This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6001000381

Presented by
the widow and children
of the late
Rev. Stephen Brown Bathe, M.A.,
Balliol, Rector of Rushbury.
1912.

14041 f. 95

MANNA

QUOTIDIANUM SACERDOTUM

SIVE

PRECES

ANTE ET POST MISSAE CELEBRATIONEM

CUM BREVIBUS MEDITATIONUM PUNCTIS PRO SINGULIS ANNI DIEBUS.

TOMUS I.

AB ADVENTU USQUE AD DOMINICAM I. QUADRAGESIMAE.

FRIBURGI BRISGOVIAE.

SUMTIBUS HERDER.

1863.

Imprimatur.

Friburgi Brisgov. die 6 Novemb. 1863.

✝ **Hermannus**, Archiepiscopus.

L. S.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

Praefatio.

A multis sacerdotibus jam pridem liber desiderabatur, in quo solitâ major offerretur copia precum, quae recitari possent ante et post missae celebrationem: ut earum et multitudine seligendi praeberetur facultas, et varietate orantis vitaretur taedium. Haud me latebat quidem, copiosissimam ejusmodi precum collectionem haberi in opere P. Boppert, cui titulus: „Scutum fidei"; novi tamen, minus convenire hoc opus majori numero sacerdotum, imprimis propter nimiam ejus amplitudinem molemque, qua pretium augebatur, impediebatur commodior usus. Porro cum meditationes in praedicto opere contentae vix cuiquam arriderent, et testimonia ex ss. Patrum scriptis ibidem apposita paucorum tantum inservirent usui: opus nec ingratum nec inutile reverendis confratribus meis sacerdotibus praestiturum me duxi, si preces illic pro missae celebratione singulis diebus assignatas seorsum ederem; id quod in hoc libello feci: preces enim hîc oblatae non a me sunt compositae, sed ex „Scuto fidei" transscriptae. Meditationibus ibidem praemissis alias substitui, brevissimas tamen: cum, ne operis nimis augeretur volumen, tum, ut eorum quoque consuleretur necessitati et desiderio, quibus aut tempus non suppetit, aut animus non est, prolixiores perlegere meditationes, quique proprias potius efformare, quam alienas sequi praeoptant cogitationes et affectus. Ita

tamen meditationum puncta, quae offero, puto esse comparata, ut, quamvis brevia, sufficientem nihilominus meditaturo praebere possint materiam [1].

Quod in appendice brevem meditandi methodum, praecipuorumque, qui in meditatione excitari et foveri solent, affectuum formulas addiderim, vitio mihi non vertetur. Hebdomadam eucharisticam ex „Memoriali vitae sacerdotalis“ adscribendam curavi, cum ob praeclarum, quo conscripta est, devotionis spiritum, tum ut eorum votis satisfiat, qui singularum virtutum actus ante vel post missam eliciendos separatim notatos desiderant. Orationes denique, quantum brevitatis ratio permisit, collegi indulgentiis ditatas, quae ad operis scopum facere videbantur.

Liber, quem offero, tribus tomis integrum comprehendet annum. Sequentur hunc primum tomum secundus ante Quadragesimam, tertius circa Pentecosten a. 1864, ita ut eo proximi anni ecclesiastici tempore, quo opus eis fuerit, lecteri benevolo praesto sint futuri. Secundo quoque et tertio tomo pro majore utentium commoditate eadem, quae huic primo apposita est, adjungetur appendix.

Accipe igitur, carissime confrater, libellum, ad promovendam Dei gloriam tuamque salutem conscriptum; et orationibus tuis ac sacrae in divino sacrificio offerendo memoriae commendatum, quaeso, habeas

Editorem.

---

[1] Usui mihi fuerunt in concinnandis meditationum punctis meditationes, quas composuerunt Scotti, de Ponte, Avancinus, Lancicius, Tanner, Barxel, Médaille, Chevassu, Chaignon, aliique nonnulli hujusmodi libri.

Index.

Pag.

Hebd. I. Adventus.

Dom. Jesus judex venturus 1
Fer. 2. Jesus divinus medicus 5
Fer. 3. Jesus magister noster 11
Fer. 4. De sapientia Dei 16
Fer. 5. De Christi erga nos amore . . . 21
Fer. 6. Sacerdotis mali in judicio confusio . . 26
Sab. Quam indignus sis s. communione . . 31

Hebd. II. Adventus.

Dom. De concipiendo desiderio Salvatoris . . 37
Fer. 2. Sacerdos exerceat virtutem spei . . 43
Fer. 3. Jesus pater noster 48
Fer. 4. Boni sacerdotes ministri pacis . . 52
Fer. 5. De incarnatione 57
Fer. 6. Motiva ad zelum animarum inflammantia 62
Sab. Sacerdos mediator Deum inter et homines 67

Hebd. III. Adventus.

Dom. De gratiarum actione post missam . . 72
Fer. 2. Jesus Deus absconditus 77
Fer. 3. Sacerdos et Angeli 81
Fer. 4. De annuntiatione B. V. 86
Fer. 5. Sanctifica te 91
Fer. 6. De visitatione B. V. 96
Sab. De humilitate acquirenda 102

Pag.

Hebd. IV. Adventus.

Dom. De cura animarum 106
Fer. 2. Jesus advocatus noster 110
Fer. 3. De obedientia sacerdotali . . . 115
Fer. 4. Confortat nos Christus 119
Fer. 5. De munere confessarii libenter obeundo . 124
Fer. 6. De Christi patientia 129
Die 24. Dec. De nomine Jesu 133
Die 25. Dec. Jesus parvulus 138
Die 26. Dec. De s. Stephano 143
Die 27. Dec. S. Joannes exemplar sacerdotis . 147
Die 28. Dec. Patere et coronaberis cum ss. Innocentibus 151
Dom inf. Oct. Nat. D. Jesus positus in ruinam et resurrectionem 155
Die 29. Dec. Praesepe Domini 159
Die 30. Dec. Jesus Emmanuel 164
Die 31. Dec. De anno elapso 168
Die 1. Jan. Salus cur et quomodo operanda . 172
Die 2. Jan. Jesus quomodo immolandus et sumendus 176
Die 3. Jan. De boni sacerdotis felicitate . . 181
Die 4. Jan Sacerdos debet crescere . . . 184
Die 5. Jan. Trade te providentiae divinae . . 188
Die 6. Jan. De ss. Magis 192
Die 7. Jan. De fide propaganda 196
Die 8. Jan. Sacerdotes quinam similes Pharisaeis, Herodi, Magis 200
Die 9. Jan. Christus stella 204
Dom. I. post Epiph. Ubi Christus inveniatur . 207
Die 10. Jan. Obedientiae sacrae fructus . . 211
Die 11. Jan. Poenitentia comparata cum baptismo 215
Die 12. Jan. De baptismo 219
Die 13. Jan. In baptismo Christi signantur gratiae effectus 223

Hebd. I. post Epiph.

Fer. 2. De s. missae sacrificio 227
Fer. 3. Cur Christus tentari voluerit . . . 231

Pag.
Fer. 4. De Angelo custode 235
Fer. 5. De missa ut sacrificio propitiatorio . 239
Fer. 6. Christus comparatur agno . . . 242
Sab. De praeparatione ad missam . . . 246

Hebd. II. post Epiph.

Dom. De nomine Jesu 249
Fer. 2. Praedicator aspiret sanctitatem . . 253
Fer. 3. Praedicator, qui paucos habet auditores 256
Fer. 4. Christus comparatur luci . . . 259
Fer. 5. De peccato et ejus poena . . . 263
Fer. 6. Recordare ordinationis tuae . . . 266
Sab. Ad quid zelus domus Dei impellere sacerdotem debeat 269

Hebd. III. post Epiph.

Dom. Malus sacerdos leprosus 273
Fer. 2. De sanatione pueri centurionis . . 276
Fer. 3. De tepiditate timenda 279
Fer. 4. De ambitione 283
Fer. 5. Sacerdos oret plus quam laici . . 286
Fer. 6. Sacerdos frequenter consideret passionem D. 289
Sab. Christus pastor — nos oves . . . 292

Hebd. IV. post Epiph.

Dom. De Ecclesiae procellis 296
Fer. 2. Peccatum servitus 300
Fer. 3. Gratiae post missam quomodo agendae 304
Fer. 4. Morbis quomodo utendum . . . 307
Fer. 5. Justus moriens 310
Fer. 6. Lacrymare, sacerdos 313
Sab. De praeparatione ad mortem . . . 316

Hebd. V. post Epiph.

Dom. Ut possis coenare cum Christo: quid agendum? 320
Fer. 2. De missa ut sacrificio latreutico . . 324
Fer. 3. De judiciis temerariis 328

Pag.
Fer. 4. Sacerdos libenter moretur in ecclesia . 332
Fer. 5. De nimia valetudinis cura . . . 336
Fer. 6. Sacerdos facile damnatur . . . 339
Sab. Tribulationes nobis utilissimae . . . 343

Hebd. VI. post Epiph.

Dom. De fide in sacramentorum administratione necessaria 347
Fer. 2. Jesus comparatur gallinae . . . 351
Fer. 3. De invidia 355
Fer. 4. De Dei omniscientia 359
Fer. 5. De fidei obstaculis 363
Fer. 6. De precibus jaculatoriis 367
Sab. De passione dominante 370

Hebd. Septuag.

Dom. De gratia vocationis ad sacerdotium . 374
Fer. 2. De eucharistiae institutione . . 378
Fer. 3. Christus discipulorum pedes abluens . 383
Fer. 4. Conversio sacerdotis rara . . . 388
Fer. 5. De gratitudine pro instituta eucharistia . 392
Fer. 6. Peccator et Crucifixus 396
Sab. De novo dilectionis mandato . . . 400

Hebd. Sexag.

Dom. Jesus via, veritas, vita 404
Fer. 2. De signis amoris erga Deum . . . 408
Fer. 3. Quinam sunt hostes cleri? . . . 411
Fer. 4. Quid consolari debet clerum in persecutionibus 415
Fer. 5. Tempore bacchanalium quid faciendum sacerdoti 419
Fer. 6. Qua intentione sacerdos recitare debeat breviarium 423
Sab. Pro quibus imprimis orandum etc. . . 427

Hebd. Quinquag.

Dom. Quid debeas consacerdotibus . . . 431
Fer. 2. De concordia inter sacerdotes servanda . 435

Pag.
Fer. 3. Jesus egressus in montem Olivarum . 440
Fer. 4. De oratione Jesu in horto . . . 443
Fer. 5. De causis sanguinei sudoris . . . 447
Fer. 6. De osculo Judae 451
Sab. De fuga Apostolorum 456

In festo s. Andreae Apost. 460
In festo immaculatae conceptionis B. V. M. . 460
In festo s. Thomae Apost. 464
In festo cathedrae s. Petri Apost. Rom. . . 465
In festo conversionis s. Pauli Apost. . . . 465
In festo praesentationis Domini 465
In festo s. Matthiae Apost. 470

APPENDIX.

I. Brevis meditandi methodus 471
II. Formulae aliquae affectuum 472
III. a. Praeparatio ante missam (Ex Missali romano) 487
b. Gratiarum actio post missam (ex eodem) 493
IV. Preces ante et post missam (ex Memoriali vitae sacerd.) Dom. ante missam . . . 496
Dom. post missam 500
Fer. 2 ante missam 505
Fer. 2 post missam 508
Fer. 3 ante missam 513
Fer. 3 post missam 516
Fer. 4 ante missam 521
Fer. 4 post missam 525
Fer. 5 ante missam 529
Fer. 5 post missam 533
Fer. 6 ante missam 538
Fer. 6 post missam 541
Sab. ante missam 546
Sab. post missam 549
V. Preces indulgentiis ditatae, ad missae celebrationem aliquo modo spectantes . . . 555

Pag.

a. Preces ante missam recitandae:
1. Directio intentionis 554
2. Ad s. Joseph 555
b. Preces post missam recitandae:
3. Oratio coram imagine Crucifixi . . 556
4. Oratio: Obsecro etc. 557
5. Oratio s. Ignatii 557
c. Preces, quae tum ante, tum post missae celebrationem recitari possunt:
6. Hymnus s. Thomae 558
7. Oratio coram ss. sacramento . . 559
8. Oratio ad ss. sacramentum et ss. cor Jesu 559
9. Deprecatio ad Jesum in ss. sacramento 560
10. Oratio in memoriam passionis Domini . 561
11. Oratio: Pietate tua etc. . . . 561
12. Oblatio pretios. sanguinis . . . 562
13. Septem pretios. sanguinis oblationes . 562
14. Orationes et precationes . . . 564
15. Laudes divini nominis 565
16. Hymnus ad Spiritum sanctum . . 566
17. Sequentia ad Spiritum sanctum . . 566
18. Oratio ad b. Joseph 567
d. Orationes breviores et preces jaculatoriae:
19. Trisagium 567
20. Actus renuntiationis in div. voluntatem 568
21. Salutatio christiana 568
22. Invocatio 568
23. Aspiratio b. Leonardi a Portu Mauritio 568
24. Aspiratio s. Hieronymi Aemiliani . 569
25. In adorationem ss. sacramenti . . 569
26. Oblatio sui ad cor Jesu . . . 569
27. Oblatio pretios. sanguinis . . . 569
28. Tres aspirationes 569
29. Oratio s. Bernardi: Memorare . . 570
30. Oratio et invocatio 570
31. Salve Regina etc. et Sub tuum etc. . 571
32. Orationes jaculatoriae ad immaculatam conceptionem 571
33. Aspiratio ad s cor Mariae . . . 572
34. Oratio ad Matrem dolorosam . . 572

Pag.
35. Aspiratio ad Matrem dolorosam . . 572
36. Ad s. Angelum custodem . . . 572
37. Pro morientibus 573
38. Pro animabus purgatorii . . . 573
Additamentum.
Oratio ante confessiones excipiendas . . 574
Oratio post exceptas confessiones . . 574

DOMINICA I. ADVENTUS.

MEDITATIO.

Christus in adventu secundo erit judex: 1) omniscius, et ideo peccator coram eo non habebit excusationem; 2) omnipotens et ideo peccator contra eum non habebit adjutorium; 3) justus et iratus, et ideo peccator in eo non habebit misericordiam.

PRECES ANTE MISSAM.

Domine Jesu! Judex terribilis! sacrosanctam equidem tuam adire mensam desidero ad reficiendas animae meae vires: sed memor vilitatis et malitiae meae, illuc accedere vereor, pedemque retraho. Nam si tuam circumspicio Majestatem incomprehensibilem, mens mea deficit, vox haesitat, cor trepidat; vix tecum loqui praesumo. Aut quomodo digne loqui poterit homo cum Deo, mortalis cum Immortali, mutabilis cum Immutabili, opus cum Opifice, balbutiens cum Verbo, pulvis cum Immenso, vermis cum Omnipotente? Quo tandem pacto digne loqui poterit servorum minimus cum Domino tam magno, ministrorum ignavissimus cum Rege tam potente, reorum postremus cum Judice tam terribili? Quomodo peccator ego nefarius audeam conscendere altare tuum, Domine, ibique manducare te, qui vel ipsam judicas ju-

stitiam? Timor et tremor veniunt super me, quoties tuum illud terribile judicium cogito, in quo exactissimam totius vitae meae rationem a me reposces. Jam nunc contremisco, dum recordor secundi adventus tui, ubi de tota mea aeternitate decidetur per sententiam irrevocabilem. Qui enim cum humilitate et mansuetudine venisti redimere nos, iterum cum terrore et majestate venies judicare nos: et qui nunc, inter Angelorum frequentiam, in altari jaces Victima perquam tremenda; cum omnibus Angelis tuis rursum venies Judex metuendus nimis. Jure proin merito vereor adire mensam tuam, vilissimus ego homuncio, tot criminum reus.

Verumtamen, dum apertam et immensam, quam in adventu primo patefecisti, abyssum miserationum tuarum inspicio, spes blanda animum meum subiens foras mittit timorem, meque confidenter ad aram tuam accedere monet. Magna igitur animatus fiducia obsecro te, clementissime Jesu, ne projicias me a facie tua, neque repellas a mensa tua. Praepara tibi dignum in corde meo habitaculum, et munda me ab omni peccati labe, ne indigne manducando corpus *Judicis* adeo terribilis, judicium mihi manducem. — *Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam.* (Can. Miss.)

Ad Patrem. Omnipotens aeterne Deus, misericordissime Pater, qui Unigenitum tuum misisti in hunc mundum, ut vivamus per eum; eundem hodie offerimus adorandae Majestati tuae in contestationem nostrae subjectionis in supremum tuum dominium: in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, maxime pro sum-

na benignitate tua, qua dilectum filium tuum ad homines peccatores misisti, ut eorum animas redimeret, et ad tuam reformaret imaginem. Immaculatam tibi hodie victimam offerimus in satisfactionem pro peccatis nostris. Ad te, Pater optime, levamus oculos et animos nostros in tot tribulationibus, et plena fiducia confugimus ad te, una voce clamantes: ***Miserere nostri, Domine, miserere nostri.*** Noli despicere preces nostras, et cum extenderimus ad te manus nostras, ne avertas oculos tuos a nobis, sed clementer exaudi nos. Tribue, quaesumus, ut, dum inchoamus hodie primum Christi tui adventum grato animo recolere, simul etiam incipiamus emendare mores nostros, ne in secundo illius adventu terribili cum impiis damnemur. Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. ***Hora est jam nos de somno surgere*** (Rom. 13). Sat diu dormitavimus jacentes in tepore. Excita, sancte Pater! excita dormitantes in tenebris et umbra mortis. Illustra mentes nostras coelesti lumine tuo, ut abjectis tenebrarum operibus, induamur arma lucis, et sicut in die honeste ambulemus. Fac, Omnipotens, ut his diebus sacris augeamus virtutis studium, quo securius secundum Christi adventum exspectare valeamus. Memento fidelium viv. ac defunct. N. N.

PRECES POST MISSAM.

Jesu, benignissime Redemtor, Deus, Judex juste, fortis, et patiens, in corde meo revera praesens! infinitas tibi grates debeo pro innumeris beneficiis tuis, quibus me sacerdotem tuum hactenus cumulasti. Amori tuo satis non erat, in hunc mundum de coelo venisse, ut ad novam me vitam regenerares: voluisti et hodie in ma-

mundum venisti, sanare perversas hominum voluntates; hodiedum clamas: *Venite ad me omnes.* En! ego peccator omnium miserrimus, variis laborans infirmitatibus, venio ad te, quia copiosa apud te salus et redemtio. Ad te, ad aram tuam adrepo miserabilis ego homuncio, plurimis sauciatus plagis, quotidie ingemiscens voluntati meae semper in malum pronae. Quo confugiam, nisi ad te, qui, si volueris, potes me unico sanare verbo. Quo miserior aegrotus, eo meliori eget medico: ecquis miserior me? quis melior te? Tu es ille Samaritanus misericors, qui curam gessit diligentem de homine graviter sauciato et in via semivivo relicto. Jacebat toto orbe terrarum aegrotans humanum genus. Ad sanandum hunc grandem aegrotum, de coelo descendisti, grandis Medice! Verbum omnipotens! — Humiliasti teipsum usque ad mortalem carnem, velut ad molestissimum lectum aegrotantis servuli. Praevidebas equidem injurias, ab ingratis hominibus pro mercede ferendas. At tuam nihil morari poterat caritatem. Infirmitates nostras in te sponte suscepisti, et languores nostros ipse portasti. Quin imo pretiosi corporis et sanguinis tui sacramentum instituisti pro quotidiano ac saluberrimo animarum medicamine. Actum esset de salute generis humani, nisi talibus ei remediis bonitas tua subvenisset.

„Magne Medice! qui Adami posteros curatum in terras venisti, remedia ferens a tua benefica et liberali bonitate excogitata“ [1]: miserere mei, et sana animam meam graviter aegrotantem. Sanasti quondam aegros innumeros, solo quandoque tuarum attactu vestium. Perfectam igitur animae sanitatem spero, si jam non vestimenta tua tetigero, sed teipsum totum in hoc sacrificio

[1] S. Ephraem.

fide ac fiducia plenus sumsero, totumque te manducavero. Vel ex sola medici praesentia magnam aeger consolationem capit, ejus alloquio recreatur, et falsa subinde longioris vitae promissione delectatur mirifice. Tu autem, Jesu suavissime, non vitam mortalem sed aeternam promittis manducantibus te, neque discedis a promissis.

Festino igitur ad te, divine Medice! a te solo salutis opem quero et exspecto, infirmus ego servus tuus, qui nec resistere malo nec insistere bono possum propriis viribus. Ad te levavi oculos meos, qui es unica spes et salus mea. Sine te miser jacerem ac contabescerem in sordibus. Clementer itaque nunc admitte me ad altare tuum, o coelestis Medice! nullus enim dubito, quin sacrosancti corporis et sanguinis tui mysterium, saluberrima sit animarum medicina. Fac etiam, Domine Jesu, ut debita reverentia et devotione praecelsum hoc sacramentum percipiam, quo citius exoptatos istius medicamenti effectus in anima mea sentiam. Amen.

Ad Patrem. Pater noster, qui es in coelis! misericordissime Deus! qui unigenitum Filium tuum misisti ad nos servos tuos aegrotantes, ut, quos a primo homine contraximus, morbos lethales ille persanaret in nobis: offerimus tibi sanctissimum hoc missae sacrificium, in cultum latriae tibi soli Deo ac Creatori nostro debitum; in contestationem supremi tui dominii ac imperii in omnes creaturas; nec non in gratiarum actionem pro universis beneficiis et donis tuis, tam liberaliter nobis concessis, speciatim vero pro illa caritate tua ineffabili, qua dilectum Filium tuum, tanquam Medicum omnipotentem, voluisti et jussisti de coelo in terram descendere, in carne mortali visitare aegros, conversari cum hominibus, et denique violentam subire mortem pro servis tuis, ut eis redderet amissam libertatem, sanitatem,

vitam, et haereditatem incorruptibilem. Ejusdem Unigeniti tui humanitatem, quam ultro pro nobis assumsit; ejus passionem ac mortem, quam pro nobis subire dignatus est; omnia ipsius merita offerimus tibi, sancte Pater, in satisfactionem culparum nostrarum, quibus divinam Majestatem tuam in dies offendimus: pro impetrando simul auxilio gratiae tuae, ut recuperatam animarum nostrarum valetudinem nunquam effrenate destruamus, sed potius remediis salutaribus, a nostro coelesti Medico praescriptis, accuratius utamur, et quidquid ad salutem nostram conducere agnoverimus, posthac diligentius adhibeamus. Tandem obsecramus te, benignissime Pater! ut miserearis tot infidelium phreneticorum, qui et Medicum et medicinam coelestem aspernantur. Tolle velamen ab oculis eorum, ut et mortiferam aegritudinem suam, et divini medicamenti necessitatem agnoscant, atque nobiscum ad clementem animarum Medicum, ad Unigenitum tuum fideliter confugiant. Memento etiam fidelium viv. N. ac defunct. N.

PRECES POST MISSAM.

Quanta est tua in me caritas, Domine Jesu, qui denuo mihi sacrum corpus et sanguinem tuum, tanquam medicamentum saluberrimum, dedisti in cibum et potum! O vere mirandam beneficentiam! — Revera bonus es dominus; revera misericors medicus. Quotidie personaliter visitas me, languentem servum tuum. Singulis diebus dulcem aeque ac salutarem mihi praebes medicinam. Ubinam talis inter homines dominus? ubinam talis medicus? — Profecto, nunquam sat dignis laudibus efferre possum infinitam bonitatem tuam, qua mihi quotidie pharmacum immortalitatis, panem vitae et poculum salutis concedere dignaris.

„Largitor cunctorum bonorum! Fons sanitatum! Thesaure miserationum! Quia in meipso assidue immensa remedia tua, quae singulis mihi diebus impertiris, experior; propterea confidenter te Deum meum clementissimum obsecro, ut gratia tua super me jugiter veniat, et occulta rursus vulnera mea sanet. Deus longanimis, sana ut misericors medicus frequentes infirmitates meas. Ego quidem dignas curationibus tuis mercedes reddere prorsus nequeo: tua enim medicamenta omnem aestimationem excedunt pretii. Non coelum, non terra pro merito tuarum curationum dignum quidpiam tibi retribuere possunt. Remedia atque medicamenta tua nobis' Salvator, pro lacrymis, pro fletu largiris. Quis igitur non obstupescat? Quis tantam bonitatis tuae clementiam non depraedicet, o Medice animarum, qui pro curationum tuarum praemio etiam nostras suscipere dignaris lacrymas? Laudo te Dominum, bonitate optimum, magnitudine maximum, qui nostra sanaturus vulnera, descendisti de coelis, et factus es quasi unus ex nobis. Protende mihi dexteram tuam, quae obliget vulnera mea, et ulceribus medeatur.“ *S. Ephraem.*

Domine Jesu! Medice omnipotens! ecce, quem amas, infirmatur: quem amas, nova quotidie plagarum incommoda vexant. Fiducialiter a te opem efflagito; nam firmiter credo, te in hunc mundum ideo venisse, ut miseros homines, tam funestis concupiscentiae et ignorantiae vulneribus sauciatos, sanares, tuaeque gratiae dono ad priorem innocentiae statum reduceres. Credo, Fili Dei! ideo te fuisse incarnatum, ut servis tuis graviter vulneratis salutem restitueres, infirmisque nobis hominibus de ipso corpore et sanguine tuo salutiferam parares medicinam. O felicem me! hoc momento cruor tuus sanctissimus fluit in venis meis. Nunquid sperem inte-

gram animae sanitatem, dum adeo pretiosa quotidie et tam efficacia recipio medicamina? —

Aut quomodo intumescam superbia, qui ipsius Medici humillimi carnem multoties comedo? An iracundia rursum effervescere potero, qui jam toties Medici patientissimi sanguinem hausi? Cur nondum amore divino totus exardesco, qui tam frequenter manibus teneo corpus Verbi, quod amore mei caro factum est? O Jesu! Medice amabilissime! semper deinceps amabo te, diu noctuque cogitabo te, et nihil desiderabo unquam praeter te. Et quia amo te, accuratius in posterum observabo, quaecumque me jusseris facere. Ad nutum tuum, Domine, abstinebo et sustinebo. En! amore tui libenter accipio de manu tua medicinas utut amaras. Minime recuso molestias et incommoda vitae praesentis. „Amarum passionis poculum tu prior bibisti Medicus, ne bibere timeret aegrotus.“ *S. Aug.*

Quodsi videas, o Medice omniscie, sic expedire saluti animae meae, ut vel aegro sim corpore, vel famae jacturam patiar, vel internis torquear angustiis et desolationibus, neutiquam repugno. Divinae providentiae tuae vias humiliter adoro, paratus ad omnia dura et aspera. Hic ure, hic seca, Medice benevole! dummodo mihi parcas in altera vita. Dolores corporis mei corruptibilis haud timeo nec aversor; immortalis potius animae meae salus est, quam tibi nunc submississime commendo, Jesu misericors! Nec opus est, ut tibi multis exponam miserandum animae meae statum, qui utique tibi magis notus est quam mihimet ipsi. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. — „Tu solus potes infirmos sanare, sanatos conservare, lapsos erigere, et erectos stabilire.“ *S. Aug.*

Si vis, omnipotens Medice! potes me mundare, potes

me sanare. Tantum dic verbo, et sanabitur anima mea. — O Verbum incarnatum! an unicum a te verbulum non sperem? Tantum die verbo, et sanabitur arrogantia mea; sanabitur avaritia mea; sanabitur impatientia mea; sanabitur periculosus animae meae tepor: tantum dic verbo, et sanabor ex integro. Fixum mihi est, illas deinceps evitare occasiones, unde mihi nova possent infligi vulnera. Imprimis autem propono, sancte et pie transigere hos dies salutis, qui anniversariam nativitatis tuae memoriam praecurrunt. Ad exequenda haec bona proposita mea, necessariam a te gratiam et benedictionem suppliciter exoro, Domine Jesu Christe! qui vivis.

FERIA III.

Jesus magister noster: 1) verbo (quod debes audire, legere, considerare); 2) exemplo (quod debes meditari, imitari); 3) gratia (quam debes desiderare exorare, eique cooperari.)

PRECES ANTE MISSAM.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater, quaerens, qui adorent te in spiritu et veritate! indignus ego sacerdos tuus, prostratus coram divina et immensa Majestate tua, supplicibus verbis adoro et glorifico te, simulque a cunctis mecum hominibus te reverenter adorari et glorificari desidero. Hoc mane accedo ad altare tuum, oblaturus tibi sanctissimum missae sacrificium, in cultum latriae tibi soli Deo debitum, in testimonium divinae excellentiae tuae, in contestationem supremi tui in nos dominii,

nec non in signum demississimae nostrae subjectionis et dependentiae a te. Accedo, munifice Pater, ut per sacrificium hoc eucharisticum debitas tibi grates referam pro summa benignitate tua, qua plurima hucusque dona et bona in nos indignos contulisti, et nova quotidie adhuc conferre dignaris.

„Pro omnibus hisce beneficiis tuis ego vilissimus terrae vermiculus et peccator miserrimus, supplici mente totoque cordis affectu, tibi gratias ago, Pater coelestis, qui per Unigenitum tuum, cum periissemus, misericorditer requisivisti nos. Gratias tibi ago, Deus meus, pro incomprehensibili tua erga nos dilectione, qua eundem Unigenitum tuum in hanc vallem miseriae nostrae descendere voluisti, ut peccatores salvos faceret. Misisti eum ad nos, ceu magistrum et doctorem justitiae optatissimum, ducem benignissimum, auxiliatorem fortissimum, qui, devicto principe tenebrarum, nos ad agnitionem tui nominis, ad verae virtutis perfectionem, et ad aeternae felicitatis gloriam revocaret. O Pater dulcissime! ego servorum tuorum indignissimus, ex totis animae meae medullis, gratias tibi ago pro admirando incarnationis ejus mysterio, pro universis ejusdem Magistri documentis et operibus. O Pater misericordiarum! ex profundissima humilitatis meae abysso, infinitas tibi gratias ago pro omnibus miserationibus inexhaustae bonitatis tuae, quibus dignatus es nobis indignis subvenire per ipsum unigenitum Filium tuum, benignissimum Redemtorem nostrum, quem dedisti nobis ex infinita tua erga nos dilectione, ut per illum aeternae gloriae cohaeredes efficeremur“ [1].

---

[1] Ludov. Blosius.

In gratiarum actionem offero tibi, clementissime Pater, eundem Filium tuum Jesum Christum, quem ad nos et propter nos peccatores in hunc mundum misisti: In satisfactionem quoque et expiationem culparum nostrarum, quibus ingrati nos homines summam bonitatem tuam in dies offendimus: nec non in commemorationem illarum gravium aerumnarum, quas incarnatus Filius tuus amore nostri novem mensibus pertulit in utero Virginis, et exinde usque ad ignominiosam mortem crucis.

Offero tibi, Pater aeterne, hoc sacrificium ad impetrandum gratiae tuae auxilium, mihi et proximis meis necessarium, ut, quae Unigenitus tuus, praestantissimus veritatis magister, nos docuit, corde firmiter credamus, ore profiteamur intrepide, ac opere constanter exequamur. Denique tibi supplico pro conversione haereticorum, infidelium, Judaeorum, ac impiorum christianorum, qui *tenebris obscuratum habentes intellectum*, [1] divini doctrinam Magistri hactenus accipere vel servare noluerunt. Memento fidelium viv. N. et defunct. N.

PRECES POST MISSAM.

Adoro te, o Verbum caro factum! amantissime Jesu, realiter nunc praesens in corde meo! — Tuorum ego discipulorum minimus ac indignissimus, laudo et glorifico te, Magister optime! Ex intimis praecordiis meis amo te: et utinam singulis momentis magis ac magis te diligere possem! In auxilium meum respice, bone Jesu! Nisi tu adjuves me, pro merito te diligere nequeo miser ego homo. Accende vehementius in corde meo flammam tuae dilectionis beatissimae. — O Magister amabilis-

[1] Ephes. 4.

sime! fac me penitius agnoscere, quam infinite me ames, et quam sis infinite amabilis. Quando, ah quando amabo te, Domine, tanto caritatis aestu, quanto a me diligi promereris? Quid amore tui possum agere, Praeceptor mi suavissime? quid aliud, nisi diligenter voci tuae auscultare ac celeriter obedire? Sincero corde cupio placere tibi tam in hac peregrinatione mortalium, quam in illa regione vivorum.

Domine Jesu! illustra faciem tuam super servum tuum, super sacerdotem et discipulum tuum. Illumina oculos mentis meae ad contemplandum te, Verbum incarnatum, plenum gratiae et veritatis. *Sonet vox tua in auribus meis;* vox enim tua dulcis, dulcissima est. Loquere mihi, Magister adorande! qui jam pridem in hunc mundum, et toties jam venisti in cor meum. O quam miser essem et infelix, si omnino taceres mihi! Sunt certa temporis momenta, quibus et negotia et consilia mihi haerent. Tunc loquere, Domine, quia audit servus tuus. Dum inops consilii sum, suggere mihi quid agendum. Faciles tibi semper aures praebebo, monitis tuis obtemperabo, et attenta mente percipiam verba tua, Magister magne! nam *verba vitae aeternae habes*, et sermo tuus veritas est. An paucula denegabis verba discipulo et sacerdoti tuo, cui sacrosanctum corpus et sanguinem tuum minime denegasti? —

Gustavi jam denuo, quoniam bonus et suavis es Dominus. Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum. *Bonitatem* et *disciplinam*, et *scientiam* doce me; his enim summopere indigeo tuus ego sacerdos, ut et propriae et alienae saluti consulam. Bonus es tu; et in bonitate tua doce me justificationes tuas: dirige me in veritate tua, et doce me, Magister omnium perfectissime, *potens in opere et*

sermone! [1] Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.

Jesu, Magister a Deo misse! suppliciter a te peto purissimam illuminationem intellectus mei ad tria prae aliis cognoscenda: primo ad cognoscendum perfecte divinum beneplacitum tuum, et ad faciendam sanctissimam voluntatem tuam; deinde ad cognoscendam miseriam, infirmitatem et ingratitudinem meam; — denique peto lumen tuum ad agnoscendas vocationis meae obligationes atque virtutes morales, quibus ornari atque splendescere oportet sacerdotem tuum.

Rogo insuper a te auxilium gratiae tuae, ut, quae sunt muneris mei, diligenter ac integerrime perficiam. *Rabbi, qui a Deo venisti magister!* [2] fac me demissum, morigerum atque constantem discipulum tuum. Confirma me in verbis tuis, ne unquam doctrinis variis et peregrinis abducar a te, magistro meo amicissimo. — O Verbum incomprehensibile! Verbum caro factum! obsecro te per angustias illas atque molestias, quas ante nativitatem tuam tolerasti in gremio matris tuae; dignare me magis magisque stabilire in fide et doctrina tua. Mane semper in corde meo, benignissime Jesu, qui amore mei per novem menses in Virginis utero inclusus permansisti.

Magister e coelo misse! rogo et obtestor te per ineffabilem illam caritatem, qua in hunc mundum venisti, et factus homo homines ad veram vitae sanctimoniam informasti: ut inanes philosophorum fabulas exstirpare, periculosas novatorum naenias annihilare, et incredulos

---

[1] Luc. 24, 19. [2] Joann. 3, 2.

ad unicam veritatis scholam, ad Ecclesiam Romanocatholicam, vi gratiae tuae perducere digneris. Largire, quaeso, caecis gentilibus fidei lumen, ut abjicientes opera tenebrarum, ignorantiam suam agnoscant, errores suos ejurent, suamque aversentur improbitatem.

Conforta denique, Magister omnipotens, universos nos Christianos Catholicos, ne pertinacium argutiis fallamur, nec irreligiosorum cavillationibus frangamur, neque perniciosis infidelium erroribus involvamur: sed ut stabiles semper ac fortes in fide persistamus, coelesti doctrinae tuae constanter adhaereamus, tandemque ad unum omnes congregemur in regno coelorum. Amen.

FERIA IV.

Considera et admirare, quomodo resplendeat sapientia Dei: 1) in rerum creatione, conservatione; 2) in humanae vitae directione (vita tua praeterita); 3) in redemtionis opere et gratiae mysteriis.

PRECES ANTE MISSAM.

Sapientissime Creator hujus universi! Deus aeterne, Pater omnipotens! qui Filium tuum unigenitum, coaeternam Sapientiam, de coelo a regalibus sedibus in terram misisti, ut ipse sapientes hujus seculi confunderet, atque infatuatum genus humanum ad saniorem mentem reduceret: en! nos fideles Christiani, maxime nos sacerdotes Romanocatholici, suppliciter adoramus te, unanimiter glorificamus te; et hostiam laudis, sacrificium altaris, tibi hodie offerimus, in gratiarum actionem pro

incomprehensa illa caritate ac benevolentia, qua dilectus Filius tuus, aeterna Sapientia tua, de coelo ad insipientes nos peccatores descendit, carnem ex Virgine adsumsit, et quasi domum sibi aedificavit, ut sic cum hominibus in terris conversaretur visibiliter.

Benignissime Pater, qui *omnia in Sapientia fecisti*, misericorditer ignosce nobis, quod tam raro movemur, tam parum afficimur admirandis operibus atque praeceptis incarnatae Sapientiae tuae. Et quia multoties insipienter agimus, ac in multis offendimus omnes, praesertim arrogando nobis vanas rerum scientias; pro desipiente hac animorum elatione et pro omnibus aliis delictis nostris, tuam nobis propitiationem per hoc sacrificium clementer impende, simulque necessariam nobis gratiam tuam concede, ut in hac vita mortali nonnisi talia sapiamus, quae ad aeternam animarum nostrarum salutem proficiant.

Confidenter jam propero ad fontem Sapientiae, ad altare tuum, amantissime Pater! nam aeterna tua *Sapientia proposuit mensam suam; et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis* [1]. — O magna et ineffabilis bonitas! ipsa coelestis Sapientia vult animae meae cibus esse et habitare in corde meo tam squalido et tenebroso. *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita* [2]. Dolens veniam deprecor, bone Pater, indulge poenitenti; et cor meum, abstersis noxarum sordibus, exorna decenti virtutum decore, ut digna fiat habitatio et sedes Sapientiae aeternae. — O felix hora, qua thesaurum hunc inaesti-

---

[1] **Prov. 9.** [2] **Psalm. 68.**

mabilem possidebo! tenebo eum, nec dimittam, donec et mihi de superabundantia ejus modicum quid obveniat, quo melius tractare valeam gravissima muneris mei negotia.

„Deus patrum meorum, et Domine misericordiae, qui fecisti omnia Verbo tuo, et Sapientia tua constituisti hominem! da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam; quoniam servus tuus sum ego, homo infirmus, et minor ad intellectum judicii et legum. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum; si ab illo abfuerit *Sapientia tua*, in nihilum computabitur.“ [1] Elegisti me, Domine Deus, ut essem sacerdos tuus. Ideo quam maxime indigeo divinae Sapientiae subsidio, quo si carerem, laboribus meis nihil proficerem. „Tecum Sapientia tua, quae novit opera tua, quae et adfuit tunc, cum orbem terrarum faceres. Mitte illam a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit apud te. Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis Sapientiam? Per Sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi, Domine, a principio“ [2]. Avide jam ac sitienter accedo mensam divinam, ut ibi Sapientiam e sacro calice hauriam. Per merita hujus sacrificii, defende ecclesiam tuam ab incursionibus sophistarum, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, fidemque nostram oppugnare non desinunt. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Vir ego hebes et rudis, quid jam loquar tecum, o aeterna Patris Sapientia? — Homo ego sine sensu, sine

---

[1] Sap. 9. [2] Ibid.

voce, quibus te verbis alloquar, ignoro. — Loquar tamen; libenter enim suffers insipientes, animas simplices, ac humiles corde: nec gravaris audire homines indoctos ac rudes, pro quorum salute de coelis venire dignatus es. — En igitur, o Sapientia infinita! suppliciter adoro te; laudo, benedico et glorifico te, o Verbum caro factum, habitans in medio cordis mei! — Gratias tibi ago maximas pro summa bonitate tua, qua me, servum tuum indignum, ad dulcissimam mensam tuam admisisti, ibique te, panem vivum, mihi manducandum, et calicem Sapientiae bibendum dedisti.

Credo in te, increata Sapientia! credo omnia, quae per ecclesiam tuam nobis credenda proponis; firmiter credo, in altaris sacramento vere ac realiter te esse praesentem; apertis enim id verbis adseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo, plus quam sensibus meis; plus quam omnibus omnium sophistarum argutiis. Paratum etiam me per gratiam tuam esse profiteor, pro hac fide mea crudelissimum mortis supplicium subire.

Spero in te, o divina Sapientia, o bonitas infinita! — Plures equidem culpas contraxi, et malum coram te feci: attamen per inexhaustam misericordiam tuam, per merita incarnationis, vitae, ac mortis tuae, spero veniam insipientiae meae: spero gratiae tuae augmentum, et praemium vitae aeternae. In hac spe, in hac fiducia mea et vivere et mori volo.

Diligo te, o amabilis Sapientia! Jesu suavissime! Gaudeo de immensa perfectione ac beatitudine tua, nec non de omni laude et gloria, tibi ab Angelis et electis tuis unquam reddita et in aeternum reddenda. Te, Sapientiam aeternam, omni amore possibili dignissimam, vere praesentem in corde meo, summa reverentia ac caritate complector. Tibi me offero totum; et quidquid

deinceps a me vel de me fiet, cedat ad majorem nominis tui gloriam.

Adsiste mihi, precor, o Sapientia incarnata! in omni negotio atque periculo. Succurre mihi in quibuscunque necessitatibus et dubitationibus meis. Clementer me guberna in prosperis et adversis, ne his dejiciar, nec illis extollar. Ut omnia sapienter et recte faciam, necessaria mihi est gratia tua dirigens, protegens, praeveniens et subsequens: et hanc demississimis jam precibus a te efflagito. Propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam. Jesu sapientissime! dissipa consilia impiorum, et fac, ut decidant a cogitationibus suis, quicunque vel ore vel calamo doctrinam tuam impugnant, et ecclesiae tuae fulcra quassare moliuntur.

O aeterna Patris Sapientia! quam mirabiliter ex nihilo creasti coelum et terram! *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundae factae sunt cogitationes tuae* [1]. Fac me meosque omnes *non plus sapere, quam oportet sapere* [2], sed cum devotione ac humilitate admirari stupenda manuum tuarum opera. Da nobis fidelibus tuis, ut contemplando magna, quae ad nutum tuum in firmamento coeli volvuntur lumina, excitemur ad amandum et glorificandum te, Lumen indeficiens! ut denique mereamur magna, quae diligentibus te praeparasti, bona consequi, et, quam in loco peregrinationis nostrae miramur, sapientissimam omnipotentiam aliquando contemplari in superna patria. Amen.

---

[1] Psalm. 91. [2] Rom. 12.

FERIA V.

Considera Christi erga nos amorem: 1) se nascens dedit socium; 2) convescens in edulium; 3) se moriens in pretium; 4) se regnans dat in praemium.

PRECES ANTE MISSAM.

Ad pedes divinae Majestatis tuae prostratus, o clementissime Jesu, adoro et glorifico te, obstupescens ineffabilem misericordiam tuam, qua in hunc mundum venisti, peccatores salvos facere, quorum in numerum et me devenisse fateor et deploro. Attonitus demiror illam vere magnam dilectionis tuae vim, quae de coelo te fecit descendere in hanc lacrymarum vallem, ut nos miseros homines e sordidissimo peccati volutabro extraheres, extractosque de lacu miseriae et de luto faecis, ad mensam tuam reficeres proprio tuo corpore et sanguine.

Gloria tibi, Domine Jesu! gloria tibi, Agne Dei, qui tollis peccata mundi; qui miseros nos peccatores pascere dignaris eadem tua carne sacratissima, quam pro nobis assumsisti. „Gloria aeterno Patri tuo, qui te misit in terras, humani generis Salvatorem: tua quippe gratia securitati nostrae consultum est. Adventum tuum laudamus, optime Domine! qui peccatoribus impertis misericordiam“ [1].

Propter aeternam salutem nostram, o Fili Dei, hominem induisti; tandemque post multiplices aerumnas, post

---

[1] S. Ephraem.

innumeros labores, vitam in cruce posuisti. Nos malefactores eramus, aeternis digni suppliciis: tu autem, Agnus innocens, Agnus sine macula, crudele subiisti mortis supplicium, ut nos peccatores salvos faceres. Insuper in amoris tui pignus, inscrutabile altaris mysterium instituisti, ut novo prorsus et admirabili modo semper nobiscum maneres in terris, unicus afflictorum consolator, quotidianus sacerdotum cibus.

Quis non amet te, Domine Jesu? te, qui nostri amore tanta fecisti ac etiamnum facis? — Diligo te, benignissimum Redemtorem meum. En, sincero amore et desiderio accensus ibo nunc ad altare tuum, ut illic offeram ac comedam teipsum, Agnum mitissimum; Agnum, cujus carnes deliciae in ore fidelium; Agnum, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum. Vehementer cupio suscipere te in sacra eucharistia, quo intimius tecum uniar dulci caritatis vinculo. Praepara tibi, Domine Jesu, congruam in corde meo habitationem, ne indigne te ibi recipiam etc.

Ad Patrem. Pater immensae majestatis! Dominator Domine exercituum! corde contrito profiteor coram te et Angelis tuis, me omnium esse indignissimum Ecclesiae tuae ministrum. Peccavi saepius, peccavi multum, et malum coram te feci. Justis adnumerari haud mereor. Locus tantum, nec ultimus, inter peccatores mihi debetur. Spem tamen salutis non abjicio; scio enim, firmiterque credo, Jesum Christum Filium tuum venisse in hunc mundum, peccatores salvos facere. Fiducialiter itaque me sisto tibi, misericordissime Pater! eundemque tibi dilectum offero Unigenitum tuum, ad honorem et gloriam sanctissimi nominis tui, — in gratiarum actionem pro stupendo incarnationis illius beneficio, et pro ceteris omnibus donis ac bonis a te acceptis; —

in commemorationem gravium molestiarum, quas Unigenitus tuus in mundo nascens et moriens pro nobis peccatoribus sustinuit: — in satisfactionem omnium delictorum nostrorum: — pro impetranda quoque gratia tua, mihi meisque omnibus necessaria: — in unione denique illius intentionis, qua Verbum tuum incarnatum semetipsum tibi pro peccatoribus obtulit in ara crucis.

Memento, Pater, Ecclesiae tuae, quam possedisti ab initio: memento praesulum atque pastorum orthodoxorum, ut greges sibi commissos in via salutis bene regant juxta beneplacitum tuum. *Nobis quoque peccatoris*, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, ut clementer indulgeas, suppliciter deprecamur. Dimitte nobis debita nostra *propter eum qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* Parce populo tuo per merita Verbi tui incarnati. Memento N. N.

PRECES POST MISSAM.

Fide ac fiducia stabili miser ego peccator adoro te Agnum Dei, te Jesum suavissimum, nunc vere commorantem in corde meo. Supplex veneror admirabilem misericordiam tuam qua venisti in hunc mundum, peccatores salvos facere. Ut et me vilissimum peccatorem salvares, non recusasti peccatoris habitu vestiri, multa pati, laboribus fatigari, in cruce mori. Tu Sacerdos innocens induisti habitum peccatoris, et me peccatorem decorasti habitu sacerdotis. Nec contentus admirando isthoc caritatis prodigio, teipsum mihi jam denuo dedisti in cibum et potum. Te Agnum mansuetum habeo in medio cordis mei; te totum possideo et amplector ulnis animae meae. — O mi Jesu! attonitus haereo, eoque minus

capio meipsum, quo diutius, quo attentius, tuam in me beneficentiam ac caritatem considero. —

Et quid ego facio pro te? aut quid hactenus egi? ... Multum mali; parum boni, et vel hoc parum bene. Factus ego a te, creatus ad te, non manebam apud te, sed longius recedebam a te. Aberrantem a te nil nisi miseria, nil nisi poena aeterna manebat me. O infelicem me! non erat inter mortales, qui redimeret me; non erat, qui cognosceret me; non erat, qui requireret animam meam. Tu autem, Domine Jesu! non valens in ira tua justissima continere misericordias tuas, noluisti, me sempiternis subjacere poenis, sed manens, quod eras, Filius Dei, factus es, quod non eras, Filius hominis, ut me filium hominum, me primorum praevaricantium hominum et mea ipsius culpa aeterni victimam incendii, acerbissimae passionis ac mortis tuae meritis redimeres, ac in libertatem filiorum Dei restitueres.

Utinam te semper amassem, benignissime Redemtor! utinam legem tuam nunquam violassem! Totus quantus trepido, si praeteritos vitae meae annos recogito. Ah, miserere mei, bone Jesu! qui dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Reminiscere miserationum tuarum, Domine! et misericordiarum tuarum, quae a seculo sunt. Ab omnibus iniquitatibus meis ut eruas me, obtestor te per multiplices molestias, quas novem mensibus in utero Virginis pertulisti pro me. Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris.

Iniquitates meae quidem multiplicatae sunt super capillos capitis mei, ita ut nulla dignus sim venia. Nunquam tamen desperabo, Domine! sed, quam in te collocavi, spem usque ad supremum vitae halitum retinebo. Scio enim, tuam in tuos caritatem nunquam minui, et multitudinem miserationum tuarum nunquam exhauriri.

Caro tua sacratissima, quam ex Maria Virgine susceptam, mihi hodie manducandam dedisti; et sanguis tuus vivus, in corde meo circumfluens; promissiones quoque ac miserationes tuae multae ad fiduciam me peccatorem animant, et ad reciprocam me rapiunt caritatem.

Eccur non tenerrime diligam te, Bonum summum et infinito amore dignissimum? Ab aeterno amasti me, Fili Dei! et amore mei temetipsum exinanivisti, factus homo, ut pro me peccatore pati, pro me mori posses. O Jesu suavissime! posside solus integrum cor meum ex hac hora et deinceps sine fine. Tibi totum cor meum offero, et in manus tuas lubens depono. Accipe, Domine, parvulum hoc munusculum; idque purifica penitus ab omni alio amore, qui non est in te vel propter te. Tu solus es Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum.

„Christe Domine! qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere; rogo te per indulgentissima misericordiae tuae viscera, emenda vitam meam, compone mores meos; tolle de me, quod mihi nocet, et tibi displicet. Da, quod novisti tibi placere, et mihi prodesse“ [1].

„Trahe me ad te, Salvator mi, accende me, purifica me. Impleantur amore tuo omnia viscera mea, ut benedicat tibi anima mea, et veniat super me misericordia tua: ad hoc enim misit te Pater tuus in has terras, ut salvos faceres peccatores“ [2]. — Miserere, Domine Jesu, illorum omnium, pro quibus me sacerdotem vigilare et orare oportet. Largire peccatoribus obstinatis gratiam verae conversionis, a lapsu resurgentibus spiritum seriae poenitentiae, justis omnibus donum finalis in bono perseverantiae. Amen.

[1] S. Aug. [2] Petrus Damian.

FERIA VI.

Sacerdotis mali in judicio confusio: 1) quia alii in ipso videbunt ejus cogitationes, cupiditates, virtutes fictas, vitia celata; 2) quia ipse in aliis videbit eorum innocentiam, poenitentiam, merita.

PRECES ANTE MISSAM.

„Gratias agimus infinitae misericordiae tuae, Pater aeterne, Domine Deus noster, pro omnibus miserationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es per eundem Filium tuum, Salvatorem nostrum, qui incarnatus et mortuus est propter peccata nostra; qui nunc sedet ad dexteram tuam, et simul tecum miseretur; qui Deus est ex te, Pater! coaeternus et consubstantialis tibi per omnia: unde potest in perpetuum nos salvare. Sed et secundum id, quod homo est, ex qua parte minor te est, data est ei omnis potestas in coelo et in terra, ut sic in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum. Ipse quidem constitutus est a te judex vivorum et mortuorum: tu vero non judicas quemquam, sed omne judicium tuum dedisti Filio tuo, in cujus pectore reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae. Ipse autem testis et judex est, quem nulla peccatrix conscientia effugere poterit; omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus. Ipse judicabit orbem terrae in aequitate, et populos in justitia. Benedico ergo nomen sanctum tuum in aeternum, et glorifico te ex toto corde meo, omnipotens et misericors Deus, pro illa inenarrabili conjunctione divinitatis et humanitatis in unitate personae, ut unus idemque sit Deus et Homo“ [1].

---

[1] S. Aug.

Eundem Deum-Hominem super altare tibi offerimus, misericordissime Pater, in satisfactionem omnium culparum, quibus infirmi nos ac ingrati filii hominum in dies tuam offendimus Majestatem, et divini Judicis vindictam in nos provocamus. Miserere nostri, Pater optime! per merita hujus sacrificii, quod tibi hodie offerimus in commemorationem incarnationis ac mortis dilecti Filii tui, nec non in earum memoriam molestiarum, quas idem Unigenitus tuus a primo conceptionis suae momento ad extremum usque vitae halitum pro nobis sustinuit. Fac nos ita recolere primum Christi adventum, quem antiqua exspectavit ecclesia, ut securi ac laeti videamus secundum, quem nova reexspectat Ecclesia. „Preces populi tui, quaesumus, Domine, clementer exaudi; ut qui de adventu Unigeniti tui secundum carnem laetantur, in secundo, cum venerit in majestate sua, praemium aeternae vitae percipiant“ [1]. Memento, Pater aeterne, fidel. viv. N. ac defunct. N.

Ad Christum. Domine Jesu, Fili Dei, Judex vivorum et mortuorum! quanta tunc erit trepidatio hominum, quando *in igne venies reddere in indignatione furorem tuum, et increpationem tuam in flamma ignis* [2]. In illo die, vel potius *in illa nocte* (sunt verba tua, Domine!) *erunt duo in agro; unus adsumetur, et alter relinquetur* [3]. Num ego inter bonos sacerdotes adsumi, vel inter malos relinqui meruerim, loquuntur gemitus mei, produnt lacrymae meae. — Heu! quale supplicium, derelinqui a te, summo Bono! In aeternum separari a te, quanta poena! — Justorum ac reproborum segregatio illa vere terrifica, quia sempiterna. Totus

[1] Sacram. Gelas. [2] Isai. 66. [3] Luc. 17.

in metu sum et trepidatione, recogitans omnes annos meos et delicta juventutis meae. Quî praesumam adrepere ad aram, ad mensam divini Judicis mei, quem multoties offendi graviter? Tantis implicatus culpis et angoribus, quo me vertam? Quo confugiam miser?

Ad B. V. Mariam. „Ad te levavi oculos meos, Mater dulcissima, Virgo Maria! ecce, premit me miserum cordis dolor immensus de peccatis meis. Angit me, cruciat me timor de futuro judicio: et ideo sub tuum praesidium confugio. Tu es mediatrix nostra apud Filium tuum Jesum. Quo pluribus me peccatis irretitum sentio, tanto amplius confido, quod mihi ad te pateat accessus: et quanto sceleratior sum, tanto majori jure ad te propero. Tu enim, post dilectum Filium tuum, unicum es refugium peccatorum, unicum solatium reorum. Te humescentes oculi mei respiciunt; ad te cor meum desolatum suspirat. Eja, Mater Maria! tuos pariter misericordiae oculos ad me converte, quos certe a nullo unquam poenitente avertisti, qui te humiliter invocavit. O quoties jam tremendi Judicis severam justitiam aut mitigasti, aut omnino avertisti! quoties jam apud Filium tuum mihi gratiam reconciliationis impetrasti! Vere diceris et es *Mater misericordiae.* Eja ergo, Regina clementissima! intercede pro me apud Filium tuum, ut ipse cuncta peccata mea deleat, meque sibi gratum efficiat“ [1]. Impetra mihi sacerdoti omnium indignissimo hanc gratiam, ut confidenter accedam ad tremendum altaris mysterium; ut debito illud pietatis affectu conficiam, puroque suscipiam corde. Amen.

---

[1] Ludov. Blosi.

PRECES POST MISSAM.

Jesu Christe, Homo-Deus, supreme ac aequissime Judex omnium hominum! quomodo voluisti aut potuisti subintrare cor meum adeo parvulum, adeo sordidum, adeo frigidum atque deforme? — Benedictus sit tuus iste adventus, o bone Jesu! — Benedicta liberalitas et munificentia tua, dulcissime Salvator! — Millies benedictus amor tuus, qui usque eo inclinavit te, ut iterum venires ad me miserum ac poenitentem peccatorem. Profundissima, qua par est, animi demissione atque reverentia sacros pedes tuos exosculans, adoro te Dominum Deum meum, Judicem vivorum et mortuorum. Laudo te, glorifico te, enixe rogans, ut clementer indulgeas mihi, quod tali negligentia mentisque evagatione altari tuo adsistere, teque tam irreverenter ibi tractare praesumserim.

Intimo cor meum horrore concutitur, o Judex tremendae majestatis! quoties diem illum terribilem mecum expendo, quo fideles ab infidelibus, oves ab hoedis, justos ab impiis, sacerdotes bonos a malis, electos a reprobis pro tota separabis aeternitate. Ibi sententia irrevocabili ad poenam aeternam, ad supplicia perpetua condemnabis impios et in ignem dejicies eos. — Quid tum fiet de me, o Judex omniscie? Num a dextris tuis, vel a sinistris ero in die illa tremenda? — Ob innumeras equidem, quas admisi culpas, haud aliud promeritus sum, nisi projici a te, nisi separari a te, nisi derelinqui a te sine ulla reconcilationis spe. — Sed obsecro te, clementissime Redemtor, ne projicias me a facie tua, nec damnes me servum tuum, quem toties sacro corpore et sanguine tuo reficere dignatus es. Largire mihi potius gratiae auxilium, ut extremum illud judicium

scenam illam terribilissimam, semper habeam prae oculis; eoque sollicitius ab omni peccato declinem. Confige *timore* tuo carnes meas, et *amore* tui vulnera cor meum; ut his velut duobus ambulans pedibus, indefesse pergam mandatorum tuorum viam.

„In die illa terribili, quando omnes homines sententiam suis operibus debitam audituri circumstabunt, tum quaeso, Domine, qui constitutus es judex vivorum ac mortuorum, tum ea mecum misericordia utere, cui nulla potest oratio par inveniri. Quo enim aufugiam, aut ubi me abscondam a facie irae tuae, cum nullum inveniri aut excogitari queat tam in coelo quam in terra aut in profundo spatium, quod tuae magnitudinis immensitate non impleatur. Enimvero, si metuendum diem illum recogito, summopere exherresco, ac mente prope attonitus haereo, haud ignarus, quale incendium impios sit excepturum. Deus bone! Deus misericors! ne me (precor) existimes inter mortuos amandandum, quippe quem tuo corpore pavisti, et sanguine potasti tuo. Corpus tuum me mundet, et sanguis tuus aspersas mihi labes detergat“ [1].

Effice, Domine, per auxilium gratiae tuae, ut, quae sunt muneris mei, strenue semper exequar, memor et eximiae dignitatis meae, et gravissimae aliquando rationis reddendae. Salva me, bone Jesu, in die illa terrifica, qua judicaturus es vivos et mortuos. Iis me tunc adnumera, quos tecum adsumes ad gloriam, non iis, quos in perpetuum relinques ad poenam. Per illas graves aerumnas, quas in Virginis utero incarnatus pertulisti, obtestor et obsecro te, ne unquam me a te separari

---

[1] Ex S. Ephraem.

permittas. Vehementer desidero, suavissime amor mi! tam arcte jungi tecum, ut nullo amplius pacto, nec in tempore, nec in aeternitate possim a te divelli. Qui vivis etc.

Ad B. V. Mariam. „Virgo Domina, Dei Genitrix Maria! quae Salvatorem, Dominum ac Judicem meum, in utero portasti; in te spem meam repono, ad misericordiam tuam confugio. Noli me miserum despicere, neque permittas, ut ego, indignus famulus tuus, peream in finem. Delectatur tuis precibus Filius tuus: et qui ipsemet inter servos numerari voluit, servabit gratiam et proprium decretum tibi, quae ministra eidem fuisti inexplicabilis generationis. Quapropter, Domina, optima Mater misericordiae! noli respuere me peccatorem, sed accelera suscipere deprecationem meam, conciliando mihi benevolentiam supremi Judicis precibus tuis acceptissimis. Ne permittas, Deipara, ut evadam praeda adversarii mei satanae; sed intercede pro me, o Virgo immaculata, ut aeternam gloriae haereditatem consequar. Amen.“ [1]

SABBATO.

Quam indignus sis sacra communione, intelliges, meditans: 1) Christi dignitatem et puritatem; 2) tuum nihil; 3) culparum tuarum multitudinem et foeditatem.

PRECES ANTE MISSAM.

Veneramur et admiramur immensam bonitatem tuam,

---

[1] Ex S. Ephraem.

Pater omnipotens, aeterne Deus! Concordissime praedicamus ineffabilem tuam erga nos misericordiam. Dilexisti nos miseros et ingratos homines; dilexisti nos ab aeterno, et sic dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares, non Angelum vel Archangelum, non ministrum aliquem vel principem ordinum coelestium, sed Filium tuum consubstantialem; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Misisti ad nos Verbum tuum coaeternum, quo coelos condidisti, quo terram fundasti, quo mare suis conclusisti terminis: misisti Verbum tuum adorandum, quod erat in principio apud te; Verbum, per quod omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Nec alia de causa sic amasti nos, o Pater sancte, quam quia infinite bonus es. Dilexisti nos spontanee, Deus solus terribilis et aeviternus, solus fortis et omnipotens. Gratuito dilexisti nos, o Dominator coeli et terrae, cunctorum Auctor bonorum, qui nullius indiges. Incomprehensa benignitas tua eo te adduxit, ut in terram mitteres Verbum tuum incomprehensibile, quod est vita et lux hominum. Quid amplius facere potuisti? quidve nobis dare melius?

Adoramus te, bone Deus! atque laudamus te pro inexspectata hac benevolentia tua; et in gratiarum actionem pro inaestimabili hoc beneficio, nunc offerimus tibi eundem Unigenitum tuum, idem Verbum aeternum: demississime supplicantes, ut per infinita ejusdem Verbi incarnati merita nobis delictorum veniam, simulque gratiam tuam concedere digneris, qua de tenebris ad lucem, de morte ad vitam translati, deinceps in lumine, sicut in die, honeste ambulemus. Largire nobis, amantissime Pater, auxilium tuum, ut abjectis tenebrarum operibus mentis nostrae oculos ad te sursum dirigamus, viam salutis impigre pergamus, tandemque perveniamus

ad vitam et lucem perpetuam. Memento fid. viv. N. ac defunct. N.

Ad Christum. Domine Jesu! Verbum aeternum et omnipotens! dum majestatem et magnitudinem tuam intueri ac contemplari volo, in immensitate tua dispareo, nec amplius meipsum invenio. — Ad me reversus, quaero te in carne, quam suscepisti propter me. O Verbum incarnatum! en credo firmissime, in altaris mysterio realiter adesse verum corpus et sanguinem tuum, non meram imaginem vel umbram, prout caecutientes adversarii tui somniant. Ideoque vehementer gaudeo, quia non sub imagine tantum, aut sub umbra illius, quem desidero, sedere, sed ipsissimum Dilectum meum personaliter in corde meo possidere valeo. O mi Jesu! o Verbum caro factum! praepara tibi dignum in corde meo habitaculum: dilata et extende omnes affectus animae meae, ut te Verbum magnum magno pariter amore ac desiderio suscipiam. Deus immense! quem coeli coelorum capere non possunt; minime dignus sum, ut intres sub tectum meum adeo exile ac humile. Quod si tamen propter nimiam caritatem tuam ingredi libeat cor meum, eximio virtutum decore illud exorna, qui tot astris micantibus exornasti firmamentum coeli.

„Domine Jesu! qui lumine gratiae tuae universum terrarum orbem illuminasti; illumina quoque cordis mei oculos, ut te diligam, et cum gaudio tuam jugiter voluntatem perficiam. Ecce calix tremendi sanguinis tui lumine ac vita plenus est. Intelligentiam mihi lumenque largire, ut cum fide et desiderio ad ipsum accedam; sitque mihi in remissionem peccatorum, et non ad judicium“ [1].

---

[1] S. Ephraem.

Ad B. V. Mariam. „O dulcis Virgo Maria, Mater misericordiae! miser ego peccator ex toto corde cum ardentissima caritate ad te confugio; quia, cum sis refugium peccatorum, statim parata es me exaudire, quantumlibet vilis sim et sordidus peccator. Vocaris et vere es Mater misericordiae et gloriosa Genitrix unigeniti Filii Dei. Tibi a divina bonitate concessum est propter Verbi incarnati reverentiam, ut, quicunque peccator ad te cum devota veneratione recurrit, nullo modo ab inimico infernali decipiatur. Eja ergo, Refugium peccatorum! etiam me confugientem ad te recipe“ [1]. „Inoccidui Luminis mater! audi me tenebris obrutum. Ora sine intermissione pro me, ob nimiam segnitiem mortuo, tu Virgo, quae vitam peperisti“ [2]. Intercede pro me apud Verbum ex te incarnatum; mihique divinam impetra gratiam, ut eundem Dei Filium, qui est vita et lux hominum, debita reverentia in altari offeram, nec indigne suscipiam corde. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Habeo nunc in pectore meo Verbum incarnatum. O mira dignatio! singularis gratia! — Teneo et amplector te ulnis animae meae, Verbum magnum, Verbum aeternum et omnipotens! — Indignus ego sacerdos ipsam possideo Vitam; ipsamque porto Lucem aeternam. Quanta Creatoris in creaturam dilectio! — Te suppliciter adoro, et obsecro, ineffabile Verbum! ut balbutientem me creaturam tecum loqui sinas.

Magne Deus! ante te orbis terrarum tanquam gutta

---

[1] Lud. Blosi. [2] S. Ephraem.

roris antelucani. Per te omnia facta sunt, et sine te factum est nihil, o Fili Dei unigenite! Et tamen propter nos homines in mundum venisti, ac carnem induisti mortalem. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Quid est homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis? *Quid est homo, quia innotuisti ei; aut filius hominis, quoniam reputas eum?* Ah! quid est homo, nisi miseria vere miserrima? — Nihilominus propter homines miseros factus es homo mortalis, homo patibilis, homo cruci affigendus.

Propter me, o Fili Dei! factus es homo. Et quid dico, homo? *Vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* factus es propter me. O inscrutabile caritatis mysterium! Attonitus haereo, Domine! dum admirabile hoc misericordiae tuae prodigium attente mecum perpendo. — O quam pretiosae hominum animae in oculis tuis! et quam ingens tuae bonitatis thesaurus, dulcissimo nobis fidei ac dilectionis amplexu stringendus!

Utinam, mi Jesu, digne te possem laudare et glorificare pro magno incarnationis tuae beneficio. Sed imbecillis ego homo nunquam pro merito satis te laudare valeo. „Quid enim ego sum, Domine, per me, ut laudem te? Pulvis et cinis ego sum; canis mortuus et foetens ego sum; vermis et putredo ego sum. Nunquid tenebrae laudabunt lucem, aut mors vitam? Tu Lux, ego tenebrae; tu Vita, ego mors“ [1]. — Omnia peccata mea patent oculis tuis lucidissimis. Heu! quantum foeteo coram adoranda Majestate tua! Ubinam me

[1] S. Aug.

nunc abscondam, nisi in teipso, o Vita pro me in ligno mortua? Tu es vita nostra, vita vera animarum, nostrorum vita meritorum. O Vita, quae mihi dat vitam! Vita, per quam vivo, sine qua morior! Vita, per quam coelo potior, sine qua aeternum pereo! Vita, per quam unice gaudeo, sine qua tribulor ac contabesco. Et ipsissimam hanc Vitam vere jam possideo in praecordiis meis. Realis haec praesentia tua, dulcissime Jesu, mirum in modum solatur me. Haud amplius aeternam metuo mortem, dum mecum divinam habeo Vitam: nec anxie nimis illas exteriores timeo tenebras, dum Lux perpetua lucet in corde meo.

Conjunge me tecum, Domine Jesu, arctissimo et indissolubili caritatis vinculo, ad eum quoad fieri potest modum, quo humanitati tuae juncta fuit divinitas, in qua illa subsistebat, movebatur, vivebat, et operabatur. Sis et tu vita animae meae, ita, ut in te et per te anima mea subsistat, vivat, moveatur, agat et agatur per spiritum amabilissimi cordis tui, in quo vita est et principium vitae meae. In te solo suavissime amor mi, posthac vivam atque respirem; magisque anima mea in te vivat, quem amat, quam in corpore, quod animat. O Verbum Patris! loquere mihi; identidem sonet vox tua in auribus meis. O Vita et Lux hominum! illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Majorem quoque in modum a te peto, Verbum aeternum! ut proximos meos, praesertim illos, quorum mihi salus curae ac cordi esse debet, ab omni peccato custodire, et ardentiori quotidie christianarum amore virtutum inflammare digneris, quo magis tibi placeant, alacrius serviant, firmius adhaereant, certiusque ad vitam perveniant sempiternam. Miserere pariter, o Verbum caro fatum! tot infidelium, qui etiamnum in tenebris et

in umbra mortis sedent. Educ miseros e caligine sua pestifera, et trahe eos ad te, Domine, qui es vita et lux hominum; ut omnes nos aliquando simul juncti vivamus in illa regione vivorum, ubi neque tenebrae dominantur, sed vita et lux perpetua. O quantum ibi erit gaudium nostrum! quanta felicitas! mirifice laetabimur illic, et exultabimus in te Domine! quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus Lumen. Qui vivis.

Ad B. V. Mariam. „O purissima Virgo Maria, a Deo glorificata! tu Civitas Dei a Prophetis merito es dicta et praenuntiata. Ex te ortus est ipsemet tui Creator, qui te post partum, sicut antea, semper Virginem conservavit“ [1]. — Impetra mihi, meisque omnibus, pro quibus me sacerdotem oportet orare, divinae augmentum gratiae; ut dilecto Filio tuo, vitae ac luci nostrae, constanter adhaerentes in hoc seculo, ei quoque inseparabiliter jungamur in altero. Amen.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Ut fervens concipias Salvatoris desiderium: 1) remove ex corde tuo desideria terrena, vana, nociva; 2) considera multiplicem tuam miseriam; 3) considera infinitam Christi potentiam, bonitatem et meritorum thesaurum.

PRECES ANTE MISSAM.

Jesu Christe, Salvator mundi! Desiderate cunctis gentibus! ecce, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Dominum

---

[1] Theodor. Studit.

Deum meum. O quam grave mihi est, diutius abesse a te, quem diligit anima mea! Veni, amor mi! veni ad me, Jesu suavissime! Tu dilectus meus mihi, totus amabilis, totus desiderabilis. ***Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas*** [1]. — Verumtamen non me latet, ubi pascas. In templo sancto tuo pascis esurientem me ac diligentem te. Illic parasti in conspectu meo mensam, mensam vere magnam, ubi proprio tuo corpore et sanguine reficis animam meam.

Non mera consuetudo, sed ingens tui desiderium trahit me ad aram tuam, o Desiderate cunctis gentibus! Sicut indignum me benevolentia tua fateor, ita sitientissimum me tui profiteor. Et quamvis indignitas mea nonnihil absterreat me, confidenter tamen ibo ad altare tuum, nec ulla re detineri me patiar, quo citius tui compos fiam. Praegestit animus te complecti, te benignissimum Redemtorem, in quem dudum gentes sperabant. In te jam exultant praecordia mea. Ecquid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Tu es Deus cordis mei, pars mea, salus, vita, felicitas mea in tempore et aeternitate. Te summis anhelo votis, eoque ardentius esurio te, panem angelorum, quo saepius te comedo. Veni, dulcissime cordis mei hospes! veni, ne tardes. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Apud te est fons vitae: tu solus exsatiabis famem sitimque meam; tu solus explebis ingens desiderium meum. Veni, Jesu mi desideratissime! veni, Dilecte mi! Omnis mihi mora gravis, donec amplectar quem diligit anima mea, quem omnes desideraverunt gentes, in quem desiderant Angeli prospicere. Quam felix ego, Jesu mi! brevi tecum ero!! —

---

[1] Cantic. I.

Ad Patrem. Omnipotens aeterne Deus! qui unigenitum Filium tuum, desideratum cunctis gentibus, in terram misisti, ut per evangelium suum gloriosum gloriam nominis tui ubique propagaret, cunctisque gentibus viam monstraret ad gloriam coelestem; eapropter honoramus te, laudamus te, magnificamus te. Gratias agimus tibi pro magna misericordia tua, qua tuum nobis dedisti Filium, Redemtorem summe desiderabilem, ut e tenebris gentilitatis transferret nos ad lumen veritatis.

Eundem Salvatorem nostrum tibi, Pater adorande, offerimus super altari tuo; suppliciter exorantes adjutorium tuum, ut, in qua vocatione vocati sumus, constanter perseveremus. *Excita, Domine, corda nostra ad praeparandas Unigeniti tui vias; ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur* [1]. *Da, quaesumus, populo tuo, per haec sacra mysteria, spiritum veritatis et pacis, ut te per adventum Unigeniti tui tota mente cognoscat, et quae tibi sunt placita, toto corde sectetur* [2].

Pater sancte! Deus misericors! qui beatam Virginem Mariam innumeris exornasti donis, et in matrem Filii tui elegisti; per virtutem hujus sacrificii, quod tibi offerimus, concede nobis propitius, ut, qui matrem Unigeniti tui in terris colimus, ejus intercessione salvemur. Miserere simul ethnicorum, et effunde miserationes tuas super gentes, quae non exquisierunt te, ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua; ut videant potentiam tuam, tuamque nobiscum laudent bonitatem.

„Convertat benignitas tua, quos longa sustinuit mi-

---

[1] Sacram. Gelas. [2] Missal. Bellov.

sericordia tua. Miserere omnium, o Deus omnium! ostende omnibus lucem miserationum tuarum: omnes enim miseri; omnes sumus opera tua, quae dedisti Filio tuo in haereditatem. Memento omnium nostrum, ut omnes efficiamur haeredes regni tui, et videntes aliquando gloriam tuam, adoremus bonitatem tuam, et dicamus omnes pariter, cum viderimus inaestimabilem pulchritudinem tuam: Gloria Patri, qui fecit nos; gloria Filio, qui redemit nos; gloria Spiritui sancto, qui renovavit nos: per infinita saecula saeculorum. Amen[a] [1].

Ad B. V. Mariam. Sacratissima Virgo, Mater Maria! quae cooperante Spiritu sancto, gratia plena, Messiam, desideratum cunctis gentibus, purissimis visceribus tuis concipere et portare meruisti; impetra mihi, sacerdoti omnium indignissimo, gratiam a dilecto Filio tuo Jesu Christo, ut eundem in tremendo missae sacrificio reverenter offeram et suscipiam. Exorna, quaeso, per intercessionem tuam, hospitium cordis mei debito virtutum decore, ut Jesum, amorem meum summe desiderabilem, decenter tractare ac sumere valeam.

PRECES POST MISSAM.

Salve! millies salve, Jesu suavissime! qui rursum admisisti me ad sacram mensam tuam. O quam bonus es, Domine Jesu! Quam bonus, quam benevolus es sperantibus in te! — Dedisti mihi sanctissimum corpus tuum, quod desiderio desideravi manducare: dedisti mihi pretiosum sanguinem tuum, quem desiderio desideravi bibere. Te totum ac integrum donasti mihi.

---

[1] S. Anselm. Cantuar.

Sitivit anima mea ad te Deum vivum; et tu veniens ad me, satiasti animam meam, non cibo vel potu terreno, sed temetipso.

Millies itaque, millies salve, amor mi dulcissime! millies laudo et benedico te pro infinita hac bonitate tua. Millenas tibi refero grates, o Dilecte mi! qui in dulcedine tua peccatricem animam meam iterum visitare ac consolari dignatus es. Jam habeo te, o Jesu desiderabilis! amplector te, inaestimabilem thesaurum meum, nec ultra dimitto. —

Amo te, Domine! qui singulari me prosequeris amore. Mundo huic, et omnibus quae in mundo sunt vanitatibus, lubens valedico et renuntio in perpetuum. Anima mea rerum terrenarum oblita, inter amplexus tuos suaviter requiescit. — Quid mihi ultra cum miseris saeculi crepundiis? quid mihi cum bonis transitoriis? Nihil, Domine! nihil volo, nihil cupio, nisi te summum solumque desiderabile Bonum. Junge me tibi, dulcis amor! et ita junge, ut tibi semper adhaeream.

In coelo me nunc esse existimo, dum in corde meo habitat Salvator meus, per tot saecula desideratus cunctis gentibus. Nescio prae gaudio, quid dicam, quid cogitem, quid faciam. — Obstupesco caritatis tuae magnitudinem, o Jesu amantissime! Id unum dicere, ac coram coelo et terra fateri possum, quod te super omnia diligam, et sine fine te diligere cupiam. Utinam totus tui amore liquescerem, nec alibi quam in teipso consolationem meam quaererem. Hoc oro, Domine! hoc unice desidero, ut avellas cor meum ab omnibus creaturis, ita, ut quotidie magis discam sapere coelestia, divina, aeterna; et ut respuam omnia desideria vana, inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Fac, o mi Jesu desiderabilis, ut depos-

curarum temporalium sarcina, te solum quaeram, te solum in omni labore meo intendam. Gratiam hanc spero ab immensa benignitate tua. Quid enim non sperem a te, postquam teipsum totum dedisti mihi peccatori speranti in te? Aut quid denegabis mihi famulo tuo, cui temetipsum non denegasti, o Deus meus et omnia? — Omnia nunc spero a te, dum revera te nunc habeo intra me.

Maxima igitur fiducia tibi supplico, Salvator clementissime! corrobora me, meosque omnes, auxilio gratiae tuae, ut sacris his diebus conscientiam nostram emundemus ab operibus mortuis, et ab omnibus illis naevis, qui potissimum tibi displicent in nobis. Fac, obsecro, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo. Da nobis omnibus, o Desiderate cunctis gentibus, ut te sanctificemus in cordibus nostris, conscientiam habentes bonam, quo desiderabilior nobis fiat adventus tuus novissimus, dies ille magnus, qui de tota nostra aeternitate decernet. Speramus in te, Redemtor gloriosissime! quia misericors Pater tuus dedit tibi gentes haereditatem tuam. — *Audite haec, omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.* Jesus est vita hominum, salus gentium, haeres universorum. *Omnes gentes plaudite manibus.* Ecce Christus, tamdiu desideratus, venit in mundum ad salvandas omnes gentes. *Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia ejus.*

Ad B. V. Mariam. O Maria, Virgo purissima! quae genuisti Christum, desideratum cunctis gentibus; intercede pro me ac ceteris peccatoribus, ut, quemadmodum gentilium rejicimus ac improbamus errores, ita

et gentilium aversemur mores. Impetra nobis a Deo gratiam, pie sancteque vivendi, moresque nostros sic instituendi, ut mereamur aliquando Filium tuum videre ac possidere in coelis, quem nunc desideramus in terris. Amen.

FERIA II.

Sacerdos inprimis exerceat virtutem spei: 1) quia melius cognoscit divinam misericordiam etc.; 2) quia pluribus vexatur tentationibus et tribulationibus; 3) quia debet consolari et roborare etiam alios.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater Domini nostri Jesu Christi! ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur! ad aram offerimus tibi corpus et sanguinem Filii tui propter nos incarnati, dona vere pretiosissima; supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere; sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae; et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Respice in faciem Christi tui, sicut olim respicere dignatus es super tenues altissimi hujus sacrificii figuras et umbras, quae vel ideo tibi erant acceptae, quia Christum Filium tuum praesignificabant.

Speramus, o Pater misericordissime! quod clementer accepturus sis nostra haec munera, dum tanta nobis jam contulisti beneficia. A prima statim mundi aetate Patriarchis promisisti Messiam. Inundantibus postea

hominum flagitiis, merito revocare potuisses promissionem tuam. At non secundum peccata nostra fecisti nobis; sed tuis stetisti promissis, et sicut locutus es ad patres nostros, dedisti nobis Emmanuelem, recordatus misericordiae tuae. Post innumeras mortalium iniquitates, non mutasti consilium, non revocasti promissum, non variasti sententiam: nos vero instabiles ac fluxae fidei homines, mutamur in horas; et promissa nostra tibi facta ex levi quandoque causa turpiter rescindimus. Sed en, optime Pater, accedimus ad altare, supplicantes tibi per merita Unigeniti tui, quem juxta iteratas promissiones tuas ad nos misisti, et quem tibi hodie offerimus: ut et perfidiae nostrae veniam, et tuam nobis gratiam concedas, quo majori deinceps fidelitate pias promissiones nostras servemus. Pater sancte! qui veteris Testamenti Patriarchas, Messiam a te promissum avide praestolantes, regni tui participes esse voluisti; concede nobis propitius, ut aequali constantia, pari spe ac fide perseverantes in bono, tandem ad tui visionem pertingamus, et digni efficiamur promissionibus tuis. Memento fid. viv. N. ac defunct. N.

Ad Christum. „Domine Jesu! quis ego sum, ut intres sub tectum meum? An melior ego sum, quam tot Patriarchae antiqui foederis, quibus tamen non concessisti, ut te sic haberent, quemadmodum ego te habeo? Quam profunde te demittis, Domine! ut visites me pauperem et publicanum! Satis tibi haud erat, in terris videri et cum hominibus conversari: sed insuper praecepisti nobis, ut te comedamus“ [1].

„Oro itaque dulcissimam misericordiam tuam, sua-

[1] S. Hieron.

vissime Jesu! pasce miseram animam meam, ne deficiat in hac peregrinatione fatigata. Tua me, Domine, bonitas creavit, et patienter hactenus me quotidie peccantem expectavit. Potentia divinitatis tuae fecit me: humilitas autem humanitatis tuae refecit me. Ecce, Domine Jesu, gratia tua donante recordor, quia (sicut praenuntiasti per sanctos tuos ab initio mundi) natus de sancta Virgine, veram ex ea carnem accepisti. Pasce peccatricem animam meam hac sancta tua carne; satia illam tua dulcedine" [1].

Ad B. V. Mariam. Sancta Maria! Regina Patriarcharum! beatissima Sponsa Spiritus sancti! per ardens illud desiderium, quo, ceu patrona perditorum hominum, Redemtoris adventum (unicum illud humanae reparationis remedium orbi promissum) expectasti: impetra mihi, quaeso, meritis ac intercessionibus tuis hanc gratiam, ut Filium tuum, Jesum meum, reverenter in altari suscipiam, simulque promovendae divinae gloriae et animarum salutis desiderium concipiam ferventissimum. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Quid hoc? — Messias divinus, olim mundo promissus, revera nunc praesens in pectore meo? — Jesus Christus, a sanctis Patriarchis tamdiu expectatus, nunc in praecordiis meis? — Sanctus sanctorum in brachiis indignae animae meae? — Obstupesco, Domine, mirabilem hanc clementiam tuam. Haud capio talem bonitatis tuae magnitudinem, nec comprehendere valeo tam

---

[1] S. Ansel. Cant.

FERIA III.

1) Jesus pater noster (quia ipse nos generavit in vitam gratiae, diligit, nutrit, haeredes suos constituit): qualis dignitas et felicitas! 2) Ergo simus filii ejus (reverentia, amore, gratitudine, obedientia etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Benignissime Jesu! Pater futuri saeculi! credo, te ideo in hunc mundum venisse, ut nos perditos Adami posteros regenerares in filios tuos, et, quam in protoparente nostro amisimus, vitam immortalem nobis misericorditer restitueres. Tu pater potius, quam dominus tuorum esse voluisti servorum, et diligi maluisti, quam timeri. Homo factus es mortalis, ut hominibus ex Adamo progenitis secundam dares nativitatem et vitam immortalem. Per tuam itaque incarnationem, mortem et resurrectionem liberasti me a primi parentis culpa, maledictione, morte ac corruptione perpetua. Singulari tua bonitate regenerasti me in baptismo, ut, quod tu natura es, id ego adoptionis beneficio essem, nempe filius et haeres Dei, cohaeres tuus, simili donandus claritate, vita, et incorruptione aeterna. Si gloriari oportet, Domine Jesu! gloriabor de singulari hac clementia tua, qua me miserum Adami filium ad talem evocasti honorem, et ad tantam provexisti dignitatem.

„Dei filius sum ego. Deus ipse pater meus est. O ineffabilis benignitas! o mira dignatio! o stupenda sublimitas caritatis divinae! Accedam igitur ad patrem meum, qui nihil aliud vult, nisi ut habeam eum. Nunquid ego diutius cunctabor? nunquid tardabo? nunquid aliis rebus intentus ero? Quinimo absque mora, omnibus postpositis, curram ad eum. Sufficit mihi, si habeam

dulcissimum Patrem meum. Ideoque toto cordis impetu curram ad eum. Non aliud cogitabo, nisi Jesum meum; non aliud habere desidero, nisi Patrem meum. Oculus mentis meae totus tendit in illum, quia nimis attraxit animum meum. Jesus, Pater meus! o mel, o favum in ore meo, cum te Jesum meum voco patrem meum! O dulcedo indicibilis! o jucunditas inaestimabilis! o jubilatio ineffabilis, cum te patrem meum nominare audeo. O admiratio! o exultatio medullaris! Pater meus es tu: quid ultra dicem? quid ultra petam? Pater meus es tu[a] [1].

Surgam igitur, et ibo propius ad te, Pater optime! nam usque adeo excessisti in amore mei, ut tuum mihi corpus et sanguinem offeras in cibum et potum. Ingratus equidem ego sum filius tuus, et plane indignus, ut panem filiorum comedam. Remanere tamen nequeo a mensa tua, Pater bone! dum et tuam liberalitatem, et meam attendo indigentiam. Confidenter accedo altare tuum, manducaturus panem vitae aeternae. Venerabile hoc instituisti sacramentum in memoriam paterni amoris tui, quo propter nos homines carnem induisti mortalem, et tantas in ea tolerasti miserias. Recordare igitur, dulcissime Pater! earum aerumnarum, quas infans in utero immaculatae Virginis Mariae pro nobis subiisti, atque per novem menses aequo animo pertulisti. Reminiscere miserationum tuarum, Domine! et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed memento inopiae et tribulationis filiorum tuorum. Memento fidel. viv. N. ac defunct. N.

Ad B. V. Mariam. S. Maria, Virgo immaculata!

---

[1] S. Anselm.

Regina Prophetarum! Sponsa Spiritus sancti! per illam praeparationem tuam, quam innocentissima semper ad divinam habuisti gratiam; et per humilitatem tuam profundissimam, qua Christum in ejusdem incarnatione suscepisti; impetra mihi (precor) a Deo dignam ad sacrificium istud praeparationem, ut eundem Filium tuum in altari decenter offeram, et puro ac humili corde suscipiam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Pater amantissime, Jesu Christe! liceat mihi, indigno filio tuo, dulci te patris nomine compellare. Quia nos servos tuos, vitio primae nativitatis ex Adamo filios irae et perditionis, regenerasti filios Dei et haeredes vitae aeternae, haud immerito a Propheta vocari voluisti *Pater futuri saeculi.* — Ergo pater meus es tu, qui personaliter nunc habitas in corde meo. Pater meus es tu, cujus natura mera bonitas, cujus intellectus mera sapientia, cujus voluntas mera sanctitas. Pater meus es tu, cujus cogitatio merum lumen, cujus splendor mera majestas, cujus propensio merus amor, cujus deliciae cum filiis hominum esse. Pater meus es tu, semper praesens et semper absconditus, semper terribilis et semper amabilis, semper donans et aeque semper abundans.

Laudo et benedico te, Jesu, Pater mi! Auctor vitae et incorruptionis meae perpetuae. Supplex adoro te Patrem novae prorsus ac inauditae dilectionis. Tu enim, Creator omnipotens! qui fecisti hominem sine homine, factus es homo pro homine. Venisti Medicus ad aegrotos, Summus ad infimos, Dominus ad servos, Dives ad egenos, Fortis ad debiles, Pater misericordiarum ad filios miseriarum. Descendisti de coelo, ut

filios tuos jacentes erigeres, caecos illuminares, aberrantes revocares, redeuntes susciperes, ac esurientes pane vitae satiares. Utique *Pater* es *vere* bonus, quia caro tua *vere* est cibus, et sanguis tuus *vere* est potus filiorum tuorum. Debitas tibi grates referimus pro tam eximiis munificentiae tuae opibus in nos effusis.

Qui foederis antiqui *Dominus* audisti, a Propheta jure nominatus es *Pater futuri saeculi*, seu parens novi testamenti. Lex vetus, lex timoris, praedicavit te Deum omnino formidabilem. Lex autem nova, lex amoris, ostendit te patrem undequaque bonum, patrem summe amabilem. Immorigeris equidem filiis tuis graves subinde plagas infligis in hac vita, ut parcas in altera. „Plerisque magis, cum modo parcis, irasceris, Pater futuri saeculi! ut non ad iram, sed potius ad mansuetudinem tuam pertinere intelligatur dolor, quo corripis quos diligis, ne poenis crucientur aeternis. Flagellas omnem filium, quem recipis. Nec in peccatis suis eum prosperari sinis, sed in mansuetudine illum quasi sinistra flagellas, ut emendatum aliquando ad dexteram ponas.“ *S. Aug.*

Jesu amabilis! Pater futuri saeculi! totum me ad voluntatem tuam converto. Tu es Deus vitae meae, tu auctor futurae incorruptionis meae ac immortalitatis beatae. Tu pater meus, heri et hodie, in tempore ac aeternitate. Quid timeam sub protectione tua? Cura vere paterna me foves atque gubernas. Sine comparatione plus diligis me, quam piissimi parentes diligere valent prolem suam: immo plus amas me, quam ipse me amo. Largire mihi, quaeso, reciprocum tui amorem; accende cor meum igne caritatis tuae, ut quae sunt muneris mei, strenue perficiam. Pater bone! fac me filium bonum atque morigerum. — Pater humillime!

fac me parvulum mitem et humilem corde. — Pater patientissime! fac me parvulum patientem, et ad durissima quaeque paratum. — Pater sancte! redde me filium vere pium justum et sanctum, ac conformem imaginis tuae; ut in novissimo die laetus occurram tibi, patri meo carissimo, cui nunc affectu filiali deservio.

O quanta tunc erit laetitia filiorum tuorum, Pater futuri saeculi! quando ad aeviternum eos gaudium tuum advocabis, dicens: Venite benedicti! Non est filiorum amantium, adveniente patre trepidare aut fugere, sed exultante spiritu certatim in patris occursum festinare. Unusquisque, ut primus ipse occurrat, ardenter anhelat, vehementer properat, suumque de dulcissimi patris adventu gaudium testatur gestu, plausu, osculis et amplexu. Sic et tu, mi Jesu, Pater benignissime! filios tuos probos et electos pari tunc excipies hilaritate; et in unum innumeros amplexum, expansis latius ulnis, ibi colliges, dulcesque filios tuos pectori tuo adstringens, blanda manu, paternoque affectu demulcebis, et interminabili felicitate beabis. Spero, Pater mi! suspiransque desidero cum filiis tuis in fine saeculi te coram videre, illucque venire, ubi tu perpetuo nobiscum, et nos perpetuo tecum erimus. Amen.

FERIA IV.

Boni sacerdotes sunt ministri pacis: 1) externae; 2) internae; 3) aeternae (docendo, offerendo, orando, absolvendo, dirigendo).

PRECES ANTE MISSAM.

Clementissime Deus, Pater aeterne! cujus immensa

misericordia nunquam recedit a nobis; suppliciter adorantes incomprehensam Majestatem tuam, offerimus tibi dilectum Filium tuum principem pacis: in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, maxime pro stupenda illa bonitate tua, qua eundem Unigenitum tuum misisti in hunc mundum, ut humanam indutus carnem multa pro nobis pateretur, et acerbissima morte sua nos tecum reconciliaret.

Offerimus tibi, Regi saeculorum immortali, eundem Filium tuum, principem pacis, in plenam satisfactionem delictorum nostrorum, quae (pro dolor!) in dies a nobis iterantur, pacemque te inter et nos multoties tollunt, rescindunt, atque perturbant. In omnium iniquitatum nostrarum expiationem immolamus super altari tuo pacificam et immaculatam hostiam, quam benigne respicere digneris. Condonatis criminibus nostris, recipe nos in gratiam et amicitiam tuam.

Per infinita istius hostiae merita obsecramus et obtestamur te, Domine sancte Pater! ut nobis peccatoribus indignis benigne concedas *multitudinem pacis*, pacis tam publicae quam privatae. Tibi nota est horum perturbatio temporum, tumultuantium rabies hominum, et afflictio reipublicae christianae. Mitte pacem in plebem tuam, o Pater omnipotens! et dissipa gentes, quae bella volunt. Illumina vultum tuum super nos, et miserere nostri per merita Filii tui: tibi enim *complacuit per eum reconciliare omnia* [1]. *Da propitius pacem in diebus nostris.* Talem nobis pacem concede, qualem tunc in orbe terrarum floruisse legimus, quando Unigenitus tuus, *princeps pacis*, in terris

[1] Coloss. 1, 20.

visus et cum hominibus conversatus est. Noli deinceps acerbis bellorum calamitatibus in nos animadvertere. Pacem, o Deus! pacem deposcimus omnes. *Servabis pacem*; *pacem quia in te speravimus* [1]. Da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Impetret insuper Filius tuus, princeps pacis in altaris sacramento vere latens et postulans pro nobis, ut pax et concordia fraterna cunctos inter fideles illaesa semper servetur ac integra. Propitiare per hoc sacrificium, mitissime Deus! omnibus publicae aut privatae pacis turbatoribus, ac christianae libertatis violatoribus. Pacifica, quaesumus, et tranquilliores redde turbulentorum animos hominum, qui superbia tumidi student rebus novis et vanis. — Prosit quoque haec hostia pacifica omnibus inimicis meis, ceterisque fidelibus inter se dissidentibus; militibus etiam in bello justo mortuis et nondum a poenis noxarum absolutis. Memento fidel. viv. N. defunct. N.

Ad B. V. Mariam. Regina coelorum! Domina Angelorum! Virgo Maria! de qua natus est Jesus, princeps pacis: impetra nobis ab eodem pacem optatissimam, pacem perpetuam. En idem Filius tuus in cibum mihi praebet carnem illam sanctissimam, quam ex te sumsit: in potum mihi offert sanguinem suum pretiosum, quem ex te accepit. Intercede pro me, o Mater tanti Principis! ut divinissima haec munera decenter in altari offeram, iisque salutariter vescar. Amen.

---

[1] Isai. 26.

PRECES POST MISSAM.

Ave, mi Jesu carissime! Princeps pacis! qui veram perpetuamque pacem Deum inter et homines conciliasti. Unde hoc mihi, ut tu ad me venire dignatus sis? tu, qui tantus es, ad talem? — O Jesu! Princeps infinite amabilis! unde miserrimo mihi peccatori, mihi vilissimo terrae vermiculo, mihi famulo tuo pigerrimo, mihi sacerdoti omnium indignissimo, unde mihi tanta miseratio tantae bonitatis, tanta dignatio tantae majestatis, tanta dilectio tantae divinitatis, ut denuo me ad dulcissimum altaris convivium, ad suavissimum pacis osculum admiseris? — Sanctus Dominus Deus Sabaoth!!

Benignissime Jesu! Princeps pacis! agnoscaris, ameris, et glorificeris infinite infinities ab omnibus, et in omnibus, et super omnia in aeternum. Quomodo multiplicasti misericordiam tuam super me! — Quomodo me tam singulari amore prosequi poteras? me, qui tam languido sum animo in rebus meis? — Isthoc clementiae ac caritatis tuae prodigio attonitus ego, tuosque complexans pedes, adoro te, laudo te, glorifico te; et omni, qua decet, animi demissione tibi gratias ago.

Jesu Christe! Princeps pacis perpetuae! quanta est miserationum tuarum multitudo et diuturnitas! Dilexisti homines peccatores *caritate perpetua* [1]: ideo attraxisti nos, miserans; et reconciliasti nos Patri tuo. Ab aeterno cogitasti super nos *cogitationes pacis et non afflictionis* [2], cogitationes redemtionis, et non damnationis. Jam ab aeterno decrevisti, Domine, gravissimas pati molestias a primo incarnationis tuae momento, a prae-

---

[1] Jerem. 31, 3. [2] Ibid. 29, 11.

sepio usque ad mortem in crucis patibulo subeundam; ut nos reduceres in gratiam et amicitiam cum Patre tuo, nobisque pacem dares perpetuam.

O Deus cordis mei! largire mihi, quaeso, spiritum pacis et concordiae fraternae. Da, ut mores meos in melius semper emendem, noxas vel levissimas evitem, peccandi occasiones fugiam, in virtutibus proficiam, et in suscepto sanctioris vitae consilio firmissime permaneam. Adjuva me gratia tua, ut quascumque molestias pro gloria nominis tui libenter suscipiam, nihilque sub sole praeter te diligam. Fac, o suavissime Princeps pacis perpetuae! ut in te vivam, in te moriar, in te perpetuo maneam.

Eandem hanc misericordiam exhibe, Jesu, omnibus amicis et inimicis meis, qui me unquam offenderunt, aut contristaverunt. Propitius esto confratribus meis, pro quibus orare debeo ac soleo. Fac, obsecro, potentissime Princeps pacis! ut, quae in diebus tuis orta est, *justitia et abundantia pacis* in diebus nostris restituatur in integrum, et stabiliatur in perpetuum. Tu nosti, Deus omniscie! quanta opinionum et animorum dissensio dominetur inter nationes tam orthodoxas, quam a fide nostra alienas. Quid non timendum nobis ex hac animorum discordia? Quo confugiamus, o Jesu! nisi ad te principem pacis invictissimum? Bonitas tua vel maxime tunc adesse solet, quando rebus prope desperatis nec vires nec ingenia hominum opitulari possunt. Res utut discordes ad concordiam redigis, qui universas creaturas ordine tam mirabili disposuisti in coelo et in terra.

Tolle igitur, o divine Princeps pacis! tolle ex orbe christiano, e medio nostri, cuncta dissidia, mutuaque odia; ut omnes nos absque simultatibus viventes unani-

miter, singularique voluntatum adstricti concordia, junctis quasi viribus serviamus tibi: ut, quemadmodum universis fidelibus, in Ecclesiae sinu manentibus, una lex est, una fides, unum baptisma, unus Deus, una spes, et una mystica mensa; ita et vox una sit, mens una, caritas una, sententia una, cor unum, et anima una: quo facilius universi perveniant illuc, ubi electi tui gaudentes in pace perpetua tecum sine fine regnabunt. Qui vivis et regnas etc.

FERIA V.

In sanctissimo incarnationis mysterio: 1) Dei Filius factus est homo, ut nos homines fieremus filii Dei; 2) Dives factus est pauper, ut nos pauperes fieremus divites; 3) Sanctus factus est (quod habitum et poenam) peccator, ut nos peccatores fieremus sancti.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater omnipotens, aeterne Deus! qualem caritatem dedisti nobis, ut filii tui nominemur et simus! O singularem excellentiam et dignitatem, qua nos, Christi tui nomen professos, decorasti! *Eramus natura filii irae, sicut et ceteri;* tu autem, qui dives es in misericordia, baptismi nobis ac fidei donum tribuisti, ut tuorum adoptionem filiorum reciperemus. Nunquam ego mirari satis valeo magna paternae tuae munificentiae munera, vel potius miracula. Adoptivos tuos filios enutrire dignaris carne et sanguine, non animalium rationis expertium, sed unigeniti Filii tui, qui propter nos homines homo factus est. Eundem mihi quotidie manducandum

praebes, ceu panem quotidianum ac supersubstantialem. O bonitas! o liberalitas! —

Gravi tamen metu et horrore concutior, quoties illa Prophetae tui verba recogito, dicentis: *Audite, coeli! et auribus percipe, terra! quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* [1]. Ah, Pater misericordiarum! etiam me ferit exprobratio haec, me indignum famulum tuum, cujus animum ingratum merito stupescant coeli, ac contremiscat terra. A juventute mea innumeris *enutristi* me benéficiis: et ego a juventute mea, tuorum immemor donorum, offendi te. — Tu nihilominus *exaltasti* me ad eximiam sacerdotii dignitatem, inter piissimos Ecclesiae tuae ministros: ego autem (dolens fateor) *sprevi* te, non exhibendo mores tantae dignitati consentaneos. Elegi potius imitari exempla filiorum hujus saeculi, vitia filiorum diaboli, quam colere virtutes filiorum Dei.

Agnosco nunc caecitatem meam, misericordissime Pater! Ex animo detestor ac deploro malitiam meam. Supplex veniam deprecor; et in plenam satisfactionem pro turpi negligentia et ingratitudine mea, nec non pro universis filiorum tuorum flagitiis, offero tibi propitiatorium hoc missae sacrificium. Parce Deus! parce nobis peccatoribus, qui filiali fiducia imploramus clementiam tuam *per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei* [2]. Fac, optime Pater! ut deinceps in omni conversatione sancti simus, sicut decet filios Dei. Memento fid. NN.

---

[1] Isai 1, 2. [2] Rom. 5, 1.

Ad Christum. Suavissime Jesu, Fili Dei! te fratrem meum vocare haud dubito, postquam et ego, incarnationis tuae beneficio, factus sum filius Dei. Magna prorsus et admiranda est tua in homines clementia. Quemadmodum enim propter nimiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, non reputabas divina indignum Majestate tua, servi formam induere, Virginis Mariae viscera subire, tandemque duos inter latrones ignominiosam in cruce mortem oppetere, ut nos efficeres Dei filios et fratres tuos: ita nec dedignaris cibi formam assumere, sub panis specie delitescere, fratrum tuorum corda subintrare, et animas eorum esurientes enutrire, ut donis tuis coelestibus easdem locupletares. Haec credo firmiter, o bone Jesu! quia planis dixisti verbis: *Hoc est corpus meum.* Credo, Fili Dei! te ideo factum hominem, ut nos exules filii Evae per te reciperemur in sortem filiorum Dei. Credo, teipsum ad me peccatorem jam denuo diversurum. Quis mihi det, o Jesu amantissime! ut digne bibam hodie sanguinem tuum divinum; et paulo post per acerbissimos cruciatus omnem sanguinem meum fundam pro fide ac veritate Ecclesiae tuae catholicae? Fac saltem, Unigenite Altissimi! ut ab omni reatus macula purus, ac congruo virtutum decore ornatus, accedam ad convivium tuum purissimum, ac tremendum altaris mysterium. Amen.

Ad B. V. Mariam. O beatissima Virgo Maria, Mater Christi Filii Dei, qui ex te homo factus est, cujus ope et nos homines facti sumus filii Dei! te humiliter obsecramus, ne avertas faciem tuam a nobis Christi fidelibus, in hac lacrymarum valle gementibus, neque respicias iniquitates nostras: sed potentissima intercessione tua nobis poenitentibus veniam et gratiam exorare digneris a dilecto Filio tuo Jesu Christo. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Redemtor benignissime! unigenite Fili Dei! supplici-ter adoro te habitantem in corde meo. Pedibus tuis advolutus, laudo et benedico te pro infinito amore tuo, quo nos homines peccatores dilexisti ab aeterno. Cum essemus inimici tui, filii irae, inhaerentis peccati labe contaminati; misertus es nostri, motusque commiseratione decrevisti, humanam induere naturam, ut nos homines miserabiles deitatis tuae faceres participes. O magnum amoris miraculum! Tu verus Dei Filius, lucem habitans inaccessibilem, sustentans omnia verbo virtutis tuae, non es dedignatus, inclinare majestatem tuam usque ad tene-brosum hujus mundi carcerem, vestiri sacco nostro mortali, nostrasque portare infirmitates, quo culpas nos-tras expiares, nostramque ruinam ad talem reparares gloriam et dignitatem, ut filii Dei nominemur et simus. Ideo servi formam, peccatoris habitum ultro assumsisti, o Dominator universi! — Nec servi tantum formam indutus, sed vilissimi etiam instar vermiculi humiliatus es, ac pro nihilo reputatus. Nec creator solum, nu-tritius, dominus et protector noster esse voluisti, sed redemtor etiam, imo et frater noster. Nec homo tan-tum propter homines factus es, sed cibus etiam homi-num, et hominum quidem indignissimorum. O bonitas inexhausta! inscrutabilis amor!

Tu meus es cibus, o Fili Dei! qui factus es filius hominis, ut me filium hominum faceres filium Dei. Tu meus es cibus, Domine! qui humanis te artubus coope-ruisti, ut ego fierem per adoptionem et gratiam, quod tu ab aeterno fuisti per naturam. — Quid tibi retri-buam, o Jesu, pro hac ineffabili tua beneficentia, qua teipsum mihi dedisti in cibum et potum? Quid pro

admirabili caritate tua, qua voluisti frater meus fieri, per omnia mihi similis absque peccato? — Mira plane tua in me benignitas, amor mi! — De coelo descendisti in terram, ut ego de terra tecum aliquando ascenderem in coelum. In terris visus, ac cum hominibus conversatus es, ut ego possem in coelis te videre facie ad faciem, et amice semper conversari cum Angelis et electis tuis.

Quomodo satis laudabo te, Jesum meum, fratrem meum dulcissimum, qui me gratis fecisti Dei filium? — Quomodo satis amabo te, Salvatorem meum, qui oppido semper amasti me? Undenam mihi cor adeo magnum, ut te Deum magnum pro eo, ac mereris, diligam? Unde mihi sat verba, sensa, desideria vel affectus, ad reddendam aut testificandam tibi caritatem reciprocam? Tu solus, Dei Filius et Mariae, cor meum angustum dilatare, frigidumque vales inflammare ardentissimo tui amoris igne. Accende igitur praecordia mea, in quibus adhuc quiescit sacrosanctum corpus tuum. Inflamma tui dilectione venas et arterias meas, in quibus circumfluit adorandus sanguis tuus. Tu jam factus es quasi alter ego, ut et ego alter tu fierem.

Exorna me, Domine, virtutibus divinis, quae fratri tuo, adoptivo Dei filio, maxime congruunt. Da mihi, quaeso, caritatis augmentum, filialem fiduciam, fortitudinem in tentationibus, modestiam in contumeliis, humilitatem in prosperis, patientiam in adversis, et indefessum te imitandi studium. Fac, o sanctissime Fili Dei, ut et ego, praerogativae dignitatis meae semper memor, in omni conversatione sanctus sim; ut ceteri videntes me, protinus agnoscant, me non esse filium hujus saeculi, sed filium Patris aeterni, filium Dei.

Quia factus es homo, Fili Dei! ut ego, tanquam

adoptivus Dei filius, frater tuus essem ac cohaeres in regno coelorum; ideo regnum illud unice quaero, unice desidero. Quid enim mihi cum hoc mundo, dum haereditatem spero incorruptibilem et immarcescibilem, conservatam in coelis? Quid mihi cum saeculo nequam, dum meliorem expecto patriam? O quam sordet mihi terra, dum supernam filiorum Dei civitatem aspicio! In his diebus peregrinationis meae nihil quaero aliud, quam aeternum possidere te. Hoc unum exopto; reliqua mihi omnia vanitas et afflictio spiritus.

Paria quoque desideria ut ceteris omnibus Dei filiis injicias, vehementer rogo, suavissime Jesu! Miserere singulorum fratrum meorum, pro quibus tibi supplicare me oportet. A rebus fluxis atque caducis animos avelle nostros, ut respuamus ac conculcemus saeculi delicias, quibus oblectantur filii diaboli. Erige lumina, vota, desideria nostra sursum ad illam immortalitatis regionem, ubi coelestis Pater noster, ubi verus thesaurus noster, ubi sempiternus amor noster, ubi misericors Deus noster, quem laudabimus et amabimus in aeternum. Amen.

FERIA VI.

Ad zelum animarum nos inflammet: 1) pretium animae, quam salvamus (quae Christo adeo cara, pro qua tanta fecit, tulit etc.; 2) magnitudo mali cui eam eripimus, beatitudinis cui eam restituimus; 3) magnitudo praemii, quod nobis comparamus; 4) exemplum sacerdotum apostolicorum; imo, 5) ipsius diaboli qui etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Domine Jesu! ne indigneris, si te dulcissimum animae

meae sponsum nominare audeam. Tibi enim debetur omnis totius cordis mei amor, tibi, qui semper amasti me peccatorem indignissimum. — Amore mei descendisti de coelo in orbem terrarum, in locum miseriarum; et ex Patris tui voluntate carnem induisti humanam. — Amore mei non horruisti Virginis uterum, nec dedignatus es infans in stabulo nasci, et poni in praesepio. — Amore mei civitates vicosque peragrasti, salutaria tradendo praecepta, ut etiam cibum esse tuum diceres, procurare salutem meam. — Amore mei tu, sponsus meus, speciosus forma prae filiis hominum, inter impias Judaeorum manus factus es vir dolorum, invenustus atque deformis, ut pulchram faceres animam meam, sponsam tuam. Neque pro me patiendi finem fecisti prius, quam e crucis patibulo suspensus emisisti spiritum. O caritatem plane stupendam!

Neque his satiatus est amor tuus, Sponse mi candide et rubicunde! Ut etenim assidue mecum unitus permaneres, venerabile corporis et sanguinis tui sacramentum instituisti. Idem amor immensus, qui tradidit te in manus peccatorum, teipsum mihi quotidie tradit in augustissimo altaris mysterio. Quis satis celebrare aut capere poterit istius magnitudinem beneficii? — O quam indigna beneficio hoc anima mea! Quot vitiorum maculis deformavi sponsam tuam, animam meam, electam ex millibus infidelium! — Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ad abstergendas flagitiorum meorum sordes? — Ablue, bone Jesu! ablue pretioso sanguine tuo animam meam (sponsam et imaginem tuam) ab omni delictorum macula. Amplius Domine! amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; ut, qui me ad sacrum invitasti convivium, nihil in me sordidum, nihil oculis tuis de-

prehendas indignum. Exorna me fide, spe, et praesertim caritate, ceu veste nuptiali, quo securior accedam magnificum mensae tuae convivium. Fac, ut anima mea nunc tota pulchra et decora ante faciem tuam compareat.

Ad Patrem. Deus sancte! Pater omnipotens! tibi jam offerimus sacrificium istud, ad sanctissimi nominis tui honorem et gloriam; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, quibus universam in dies Ecclesiam cumulas: simul etiam in satisfactionem criminum nostrorum. Offerimus tibi carissimum Filium tuum, nostri amore incarnatum, ut per infinita ejus merita petentes obtineamus, quod nostris meritis non valemus. Clementer respice, Pater, Ecclesiam catholicam, Unigeniti tui sponsam, eamque tibi sine macula et ruga semper speciosam exhibe. Omni virtutum genere illam exorna, quo magis suo placeat sponso, Filio tuo. Superbis Ecclesiae hostibus immitte veram animorum demissionem atque modestiam: Sectas omnes elimina, haereses funditus exstirpa, novatorum machinationes dissipa, et populis a fide alienis veritatis tuae lumen infunde, ne pereant tot animae, ad imaginem tuam creatae. Da providentissime Pater! da Ecclesiae praesules ac pastores fideles, operarios strenue semper ac impigre laborantes. Da omnibus nobis sacerdotibus singularem vitae sanctimoniam et zelum vere apostolicum, ut fideles inveniamur ministri tui et dispensatores mysteriorum tuorum. Fac, ut Ecclesia ex omnibus gentibus congregata, virgo sit integritate mentis, perfectione caritatis, unitate catholicae fidei, ac concordia pacis, et digna proinde Filii tui sponsa, quae novos quotidie filios generet dilecto sponso suo.

Tandem et anima mea supplicat tibi, benignissime

Pater! ut ei sponsum mittas amabilem, Filium tuum, quem unice desiderat, quem summis expetit votis. „Mitte mihi unigenitum Filium tuum, o Pater! Nimium diu jam illum exspecto, illumque desidero. Amplius ferre non possum amoris flammam. Ignis est ardens atque urens in visceribus meis“ [1]. — Pulcherrimi hujus sponsi praesentiam et amplexum ardenter anhelat anima mea; suspirat morae impatiens, ac continuo secum ingeminat: *Veniat dilectus meus, et osculetur me osculo oris sui.*

PRECES POST MISSAM.

„Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. — O anima mea, quomodo sustinere potes amplexum sponsi, amantis te? Quomodo prae amore adhuc vivis, o anima mea? et quare non deficis, cum tibi datum fuerit, vesci carne et sanguine sponsi tui? Nequidem meruisti ejus esse ancilla; et ecce, nunc facta es sponsa carissima in deliciis. Obstupesco, Domine Jesu! Nescio capere; nescio loqui, captus admiratione, exhilaratus delectatione, inebriatus exultatione: quid enim promerui? quid unquam feci, ut tale mihi beneficium exhiberes? Te persecutus sum ego; et tu mihi blandiris. Faciem tuam conspui, et tu mihi oscula tribuis. Te vulneravi flagellis, spinis, clavis; et tu me vulneras amore inenarrabili. Te replevi dolore: et tu me reples gaudio. Quid mirum, Sponse dulcissime! si liquefiat totum cor meum? Quid mirum, si jam nihil praeter te audiam, nihil praeter te videam, nihil praeter te cogitem, nihil

[1] Theodoret.

praeter te loquar, nihil praeter te requiram? Te si possideo, quid amplius volo? Te solum itaque semper prae oculis habeo. Nihil aliud attendo, nisi te, sponsum meum suavissimum. Te solum observo, te jugiter aspicio, ne subtraharis mihi. Quid enim moveat me, intueri vel attendere res terrenas? Praeter te omnia cetera arbitror ut stercora, quia cuncta mihi foetent saeculi bona a praesentia summi Boni." *S. Laur. Just.*

Dulcissime Jesu! Sponse mi candide et rubicunde, electe ex milibus! age nunc, extende brachia tua, complectere animam meam, et tam arcte constringe tecum, ut neque in vita neque in morte divellatur a te. Inflamma cor meum illo caritatis igne, quem venisti mittere in terram, et voluisti vehementer ardere. Fac, ut majori quotidie caritatis ardore te prosequar. Eccur non diligam te, bone Jesu! qui tam multa fecisti, tam dura tulisti pro Ecclesia, sponsa tua? A conceptione tua incredibiles sustinuisti molestias, humiliationes atque miserias. A puero gravissimos suscepisti labores. Vitam tuam activam ubique comitabantur Judaeorum odia, vexationes, et blasphemiae. Neque tamen fatigatus succubuisti praedicando, discurrendo, calumnias audiendo et invidiam tolerando. Interdiu sanandis docendisque hominibus vacabas; nocte autem montium cacumina conscendens, vigilabas in oratione pro nova sponsa tua Ecclesia. In omnibus tuis operibus nihil quaerebas aliud, nisi Patris tui gloriam, et Ecclesiae tuae utilitatem. Hoc enimvero cibum tuum esse dicebas, facere nimirum voluntatem Patris tui, et perficere opus redemtionis nostrae. Ab ingenti hoc opere non absterruit te difficultas negotii, non magnitudo debiti, non labor solutionis, non hominum ingratitudo, non itinerum asperitas, non passionis acerbitas, nec crucis ignominia. Haec omnia

pro nihilo reputasti ob amorem infinitum, quo sponsam tuam Ecclesiam complectebaris.

Da mihi, Jesu suavissime! similem zelum promovendae gloriae divinae et alienae salutis. Da mihi auxilium tuum, ne unquam in labore pro nominis tui honore lassescam. Tribue mihi necessarias mentis ac corporis vires, ut ardua vocationis meae negotia infatigabili perficiam fervore. Fac, o mi Sponse patientissime! ut sicut tu amore mei innumera pertulisti odia et incommoda; ita et ego amore tui fortiter sustineam quascunque molestias et injurias. Scio, me adhucdum esse in valle lacrymarum, in angusta peregrinationis ac crucis via, et nondum in patria. „Nullam amplius in hac vita consolationem admitto, sed diu noctuque lugeo, carissime Sponse! prae nimio desiderio videndi pulchritudinem tuam. Non cessabo hic lugere, donec in coelesti patria merear videre te, dilectum et pulcherrimum sponsum meum, Deum et Dominum meum: ut ibi videns gloriosam et admirabilem faciem tuam, omni dulcedine plenam, cum iis quos elegisti, adorem divinam Majestatem tuam.“ Amen. *S. Aug.*

SABBATO.

Sacerdos est mediator Deum inter et homines: 1) Dei vice fungitur, dum verbum Dei annuntiat, mysteria dispensat divina etc. — quantae ergo debet esse sanctitatis! 2) fidelium nomine Deo supplicat — quantopere sit oportet vir caritatis et orationis!

PRECES ANTE MISSAM.

Pater noster! Conditor omnipotens! qui cuncta creasti ex nihilo; qui omnes creaturas mirabiliter alis, foves, atque conservas: ***Pater noster!*** qui in terram misisti Filium tuum, mediatorem inter te et nos homines: ***Pater noster!*** qui, ut tuam in filios dulcedinem demonstrares, pane de coelis praestito illos nutris: en, ingrati nos filii tui, de tua confisi bonitate, nunc elevamus oculos ad te, ***qui es in coelis;*** orantes, ut et tu paternae oculis misericordiae de coelo respicias super nos exules Adami posteros, peregrinantes super terram, et suspirantes ad te dulcissimum Patrem nostrum.

Quid autem maxime petamus a te, nisi ut ***sanctificetur nomen tuum?*** Hoc imprimis desideramus, Pater omnipotens! ut, quaecumque facimus, dicimus, ac cogitamus, cedant ad majorem nominis tui gloriam. Et hac praecipue hora, qua sacris operaturi sumus, id unice cupimus, ut digne laudetur suprema tua majestas, sapientia, potentia, justitia, et praesertim infinita bonitas, cui singularem debemus honorem et gratiarum actionem, eoquod ita dilexisti nos, ut tuum nobis Filium dares mediatorem, salutis pretium, animarum cibum. .

Adveniat regnum tuum, cujus jamjam delicias in sanctissimo altaris mysterio praegustamus. Nam in pignus futurae gloriae dedisti nobis corpus et sanguinem Unigeniti tui, atque per adoptionis gratiam fecisti nos regni tui haeredes, cohaeredes autem Christi. Interim vero, dum in hoc tristi exilio peregrinamur a te; fac, optime Pater! ut quotidie magis ac magis gratiae tuae regnum in nobis proficiat, donec tandem et gloriae tuae regnum in nos perveniat.

Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra.

Largire nobis, Pater, auxilium tuum ad faciendam semper sanctissimam voluntatem tuam: ut sive in prosperis, sive in adversis, tam in vita quam in morte, gratias semper agamus divinae Majestati tuae, cunctasque providentiae tuae dispositiones aequanimiter accipiamus, aspicientes in auctorem fidei et mediatorem nostrum, qui pro nobis sustinuit crucem. De, ut flagella tua grate feramus, certiores facti, te benignissimum Patrem nostrum haud aliud velle, nisi quod nobis proficiat ad salutem.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Tribue nobis necessaria hujus vitae subsidia, tuamque gratiam, ut eis sobrie, juste ac pie semper utamur. Fac etiam, liberalissime Pater! ut in mensa tua sacratissima panem vitae aeternae nunquam comedamus indigne, sed debita potius devotione ac reverentia, quo majori dein alacritate serviamus tibi, spiritalis hujus refectionis participatione roborati.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. En, misericordissime Pater! in incruento reconciliationis sacrificio tibi offerimus infiniti valoris hostiam, ***melioris testamenti mediatorem*** [1], dilectum Filium tuum, te suppliciter deprecantes, ut dimittas nobis culpas atque negligentias, multas omnino et enormes, quibus coram oculis tuis valde gravati jacemus.

Et ne nos inducas in tentationem. Ex mera bonitate tua, Pater! parasti in conspectu nostro mensam adversus eos, qui tribulant nos; ibique nobis manducandum praebes panem vivum, qui confirmat corda nostra

---

[1] Hebr. 8, 6.

adversus periculosos impetus, quos nostrae salutis inimici quotidie renovant in nos. Bone Pater! qui solus nosti pios de tentatione eripere; per infinita Mediatoris nostri merita imploramus opem tuam: adde nobis animos invictamque fortitudinem in hora tentationis, neque permittas, ut hostilibus unquam incursionibus succumbamus, aut peccato consentiamus:

Sed libera nos a malo. Quis alius liberare nos poterit a vero et summo malo, nisi tu, o verum et summum Bonum? Omnia nobis cooperantur in bonum per Jesum Christum mediatorem nostrum: nec enim est nobis in alio aliquo salus. Is itaque, sicut in altaris sacramento semper revera praesens est, ita etiam semper nobiscum sit, semper nobiscum maneat, semper nos servet, defendat, gubernet; tandemque nos omnes servos tuos ad vitam perducat aeternam. Memento, Pater, fidel. NN.

PRECES POST MISSAM.

Benignissime Jesu! quam felix ego, cui hodie prae mille aliis hominibus concessum est, inaestimabile tuum adire convivium! Quam modo beatus ego, dum teipsum, mediatorem et patronum meum, in corde habeo! Teneo te firmiter, nec amplius dimitto. — Quid eo adegit te Domine! ut denuo venires ad me? Quid pertraxit te in hanc foedissimam cordis mei speluncam? Amor, aeternus amor tuus eo te induxit, huc inclinavit te, bone Jesu! Pro speciali hoc beneficio, pro investigabili hoc amore tuo tibi grates et nunc habeo, et semper habebo immortales.

Jucundam mihi movet admirationem immensa tua in nos homines caritas, *o Mediator Dei et hominum!* Priusquam de coelo descenderes ac corpoream indueres

naturam, mundus totus in maligno positus, idololatriae tenebatur superstitionibus. Furta, rapinae, latrocinia, aliaque nefanda crimina tunc de terra in coelum clamabant, et desuper poscebant vindictam: *Post haec in terris visus, et cum hominibus conversatus es* [1]. — Ubi secundum justitiae tuae rigorem, plenam suppliciorum phialam super homines effundere debuisses aut potuisses, plena tunc misericordiae tuae viscera super eos effudisti. Quin et pretiosum sanguinem tuum hominibus dedisti aut bibendum aut conculcandum. O mysterium inscrutabile!!

In hunc mundum venisti, Domine! ut inter coelum et terram, Deum inter et homines placidissimam, firmissimamque pacem componeres. Venisti ad nos, o Jesu! *melioris testamenti Mediator!* ut, qui crediderint in te, non pereant, sed habeant vitam aeternam. Aberrantes nos quaesiisti; non ut punires, quaesiisti, sed ut parceres; non ut moriamur, sed ut vitam habeamus, et abundantius habeamus. Venisti ad nos, non ut trucides, non ut perdas, non ut judices aut damnes; sed ut redimeres nos, nobisque Patrem tuum propitiares. O caritas ineffabilis! —

Dum inimici tui eramus inimicissimi, tunc incarnationis tuae beneficio facti sumus amici, filii carissimi, haeredes Dei, ac cohaeredes tui, Domine! In illa temporis iniquitate, cum propter hominum flagitia oportuisset universum mundum uno Dei nutu deleri, aut novo submergi diluvio; tunc, o Mediator Dei et hominum! tunc naturam assumsisti humanam, et divinae severitatis tela in homines intenta, unus pro universis excepisti; ut

---

[1] Baruch. 3, 38.

ostenderes in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae tuae in bonitate super nos. Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia tua; ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnaret per justitiam in vitam aeternam.

Si quis non amat te, Jesu mi! *sit anathema.* Ex omnibus ego viribus meis diligo te, dominum ac mediatorem meum, qui tanta mihi quotidie beneficia tribuis. Pro dono autem reciproco nunc offero tibi corpus et animam meam: totum me tibi trado ad sanctissimam voluntatem tuam. Dispone de me rebusque meis juxta beneplacitum tuum. En paratum me promtumque habes, ad quaevis pro nomine tuo suscipienda, agenda, sustinenda. Da, quod jubes; et jube quod vis.

Et quia mihi quoque, sacerdoti tuo, imposuisti partes mediatoris Deum inter et populum, enixe tuam deprecor bonitatem, ut omnibus curae meae commissis tuam largiaris gratiam et benedictionem, timorem, salutarem, amorem filialem, et ardentissimum desiderium, aliquando possidendi haereditatem illam incorruptibilem, quam tua nobis passione ac morte comparasti. Succurre tam fidelibus, quam incredulis; illis quidem, ut in fide orthodoxa permaneant; his autem, ut ad fidem veniant: quo frequentior evadat electorum numerus, unanimiter in coelesti patria collaudantium te, ***Mediatorem Dei et hominum.*** Qui vivis etc.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Sacerdos qui gratiarum actionem negligit post missam: 1) reus est ingratitudinis et irreverentiae; 2)

seipsum aliosque magnis privat gratiis; 3) laicos facile scandalizat.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater de coelis Deus! Pater Domini nostri Jesu Christi! en, adorandae Majestati tuae supplices offerimus augustissimum altaris sacrificium, laudantes ac glorificantes inenarrabilem omnipotentiam tuam, qua totum hoc universum ex nihilo condidisti, et tam paterne tamdiu conservasti. Pro magno hoc beneficio tibi semper obstricta manet omnium creaturarum universitas, quae in puncto rediret in nihilum, nisi brachio tuo potenti fulta subsisteret. — Longe majoris tamen beneficii locum apud nos obtinet illud inexspectatum paterni cordis tui consilium, quo nos peccatores miserrimos per ipsum Filium tuum redimere ac salvare decrevisti. Largire nobis per infinita Verbi tui incarnati merita, ut aliquando finem ultimum, ad quem nati et per Unigenitum tuum renati ac reformati sumus, feliciter consequamur. Et quia voluntas nostra, primi hominis peccato depravata, semper inclinat in malum; obsecramus te, clementissime Pater, in nomine ipsius Unigeniti tui, ut nobis parcas; et per sacrificii hujus propitiatorii efficaciam dimittas nobis peccata nostra, tuamque concedas gratiam, ut divinae voluntati tuae semper obsequentes, tibi placeamus in tempore ac aeternitate. Memento fid. N. N.

Fili, Redemtor mundi, Deus! ineffabilis est tua in me benignitas, immensa caritas, dum me proprio corpore et sanguine tuo quotidie nutris. Magno ac vere divino amori tuo satis non erat, temporalem mihi vitam tribuisse ac conservasse me hactenus; satis non erat, pro me perdito humanam assumsisse naturam. Sed insuper ex superabundanti caritate tua dignatus

es, me peccatorem abjectissimum ad excellentem sacerdotii honorem efferre, quo liberior mihi ac frequentior esset accessus ad mensam tuam, ad dulce convivium tuum, ad te Dominum Deum meum. Tua igitur animatus clementia, tuo fretus ac laetus amore, denuo conscendam altare, utut omnium indignissimus ego sacerdos Dei: nam mirabilis tua me illuc invitat misericordia. Paratum cor meum, Deus! paratum cor meum. Veni, mi Jesu, Deus de Deo! veni, qui sedes super Cherubim. Anima mea desiderat te. Etc.

Spiritus sancte Deus! coelestium Largitor munerum! qui de purissimo Virginis Mariae sanguine, corpus et sanguinem Salvatori nostro adaptasti, et summa tua in nos caritate formasti: desidero nunc eandem Christi carnem ex pane, et eundem illius sanguinem ex vino consecrare, ac super aram offerre in cultum latriae, ad gloriam ss. Trinitatis, in honorem sponsae tuae Virginis Mariae, in remissionem et satisfactionem contumaciae nostrae, qua lumini et instinctui tuo, o Spiritus divine, toties adversati sumus: nec non in gratiarum actionem pro cunctis inspirationibus tuis, quibus Christi fideles, per orbem terrarum diffusos, a vitiis ad virtutem, a malo ad bonum traduxisti. Simulque supplex oro, o Spiritus immense, fons et origo sanctitatis! ut et super me et super omnes, quorum mihi curam demandasti, — super singulos dioecesis nostrae pastores et sacerdotes, ac super universam Ecclesiam descendere, eamque divinis muneribus tuis exornare digneris. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Te suppliciter adoro, Jesu mi carissime! Adoro te Deum de Deo et hominem ex homine. Humiliter adoro te Deum immensum ac immutabilem, te Verbum sem-

piternum. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.* „Te adoro, Domine Jesu Christe! qui es verus Deus, splendor et imago Patris et vita aeterna! cui una est cum Patre et Spiritu sancto substantia, idem honor, aequalis gloria, coaeterna majestas. Te adoro, laudo, benedico, atque glorifico. Ne me (obsecro) perire patiaris; sed salva et adjuva me gratuito munere tuo, quem dignatus es redimere pretioso sanguine tuo“ [1].

Neque redimere solum, sed et refocillare sitientem me dignatus es eodem sanguine tuo sacratissimo. Quantas habeo causas laetandi et exultandi in te, Jesu mi jucundissime! Laetitia mirabili gestit ac exultat spiritus meus in te Deo Salvatore meo. Deus es infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, pulchritudinis, misericordiae, liberalitatis, et aliorum innumerabilium attributorum. Verus ac aeternus es Dei Filius; attamen propter nostram salutem de coelo descendisti, humanam assumsisti naturam, eamque tibi sic uniisti, ut jam verissime dicatur, Deum esse hominem et hominem Deum in una persona. Ingenti gaudio perfundor, quoties attente considero, te cum homine Deum, cum paupere ditissimum, cum infirmo omnipotentem, cum despecto excellentissimum, cum mortali immortalem, propter nos homines associatum fuisse.

Et tibi Deo-Homini complacuit, hodie rursum intrare cordis mei cubiculum, et pascere animam meam cibo ut pretiosissimo, ita saluberrimo. Gaudens gaudet anima mea, dum mecum cogito, quod praepotentem universi Auctorem revera nunc habeam in corde meo, quem

[1] S. Coelestin. Pap.

intellectu capere nequeo. „Domine! quid est homo, quia sic reputas eum? Immensam benignitatem tuam magnopere admiror, quod, cum Deus sis omniumque Opifex, talem tamen de hujusmodi vilissimo animalculo curam geras“ [1]. — Ioannes, sanctus ac innocens praecursor tuus, indignum se proclamavit, qui solveret corrigiam calceamenti tui: mihi autem peccatori concessum est hodie, ad aram manibus meis tractare teipsum, manducare carnem tuam, bibere sanguinem tuum.

Quid pro tali beneficio reddam tibi, amantissime Jesu? aut quas tibi dignas referam grates? Si me tradidero tibi in servum perpetuum, nihil est; si ad majorem nominis tui gloriam totum me sacrificem: et hoc nihil. Si per infinita saecula soli consecravero me gratiarum actioni, ipsa tamen aeternitas brevior mihi atque minor videtur ad istud amoris tui mysterium digne celebrandum. Pro me igitur laudent te omnes Angeli et Archangeli. Sempiternam pro me tibi laudem dicant omnes sancti et electi tui. Benedicant te universae creaturae in coelo et in terra, quia mensam adeo pretiosam, convivium tam magnificum parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

Amo te, semperque amabo te, o Deus cordis mei! o Bonitas infinita, solatium et gaudium animae meae! — Quam suaviter requiesco in sinu tuo divino, dulcissime Jesu! Sero te amavi, Pulchritudo tam antiqua et tam nova! sero te amavi: mecum eras, et tecum non eram. Medius in medio cordis mei semper eras, et ego nesciebam, oblitus tui. O Amor, qui semper ardes, et nunquam extingueris! Caritas, Deus meus! accende me; et

---

[1] Theodoret.

ita me accende, ita inflamma cor meum, ut nunquam extinguatur mea in te caritas, sed semper ardeat, semper aestuet, semper crescat in perpetuum. Amen.

FERIA II.

Jesus Deus absconditus (humilis simulque adorabilis): 1) in incarnatione; 2) in passione; 3) in eucharistia.

PRECES ANTE MISSAM.

„Deus omnipotens! Dominus magni nominis! qui nobis aditum ad sancta sanctorum dedisti: per adventum unigeniti Filii tui, Domini ac Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, supplices tuam imploramus bonitatem; quandoquidem contremiscimus ac trepidamus, ad sanctum altare tuum accessuri. Fac, illabatur in nos, Deus, tua bona gratia: et animas nostras sanctifica, corporaque et spiritus, nec non cogitationes nostras ad pietatem converte, ut pura conscientia tibi dona offeramus et munera: ut deleantur delicta quae admisimus, et ut toti populo tuo sis propitius, idque gratia et miseratione ac benignitate unigeniti Filii tui“ [1].

Offerimus tibi Deo Deum absconditum in carne humana, Christum Salvatorem nostrum; ad honorem et beneplacitum tuum: in contestationem nostrae subjectionis in supremum tuum dominium; in gratiarum simul actionem pro beneficiis tuis in nos collatis, praesertim vero pro stupendo Dominicae incarnationis my-

---

[1] E Liturgia s. Jacob.

sterio. Offerimus tibi, amantissime Pater, hoc missae sacrificium in unione illius caritatis tuae, qua sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares: in unione quoque illius amoris quo Filius tuus, de coelo in terram descendens, homo factus est: in unione denique admirandi illius sacrificii, quod Dominus noster Jesus Christus in ultima coena instituit, tandemque moriens in cruce consummavit. Offerimus tibi, Pater sancte, pretium sanguinis ejus, infinita mortis ejus merita; merita quoque beatissimae Virginis Mariae, omnem praeterea fidem, spem et caritatem justorum omnium veteris ac novi testamenti: omnem humilitatem, mortificationem, vitae rigorem ac cordis compunctionem vere poenitentium; cunctas denique laudes et gratiarum actiones, quas tibi universa Ecclesia, tum militans in terris, tum triumphans in coelesti patria persolvit.

Per hujus virtutem oblationis suppliciter obsecramus te, clementissime Pater! ut nobis fidelibus necessarium gratiae auxilium largiri digneris, quo fortiores ac securiores per innumera nostrae salutis obstacula atque pericula pertransire valeamus. O bone Pater! qui transeuntibus olim per desertum Israelitis Manna sapidum dedisti manducandum: effice, quaesumus, ut et nos panem vivum, qui de coelo descendit, hoc *Manna absconditum*, rite veneremur, humiliter adoremus, decenter offeramus, nec indigne manducemus. Da nobis, misericordissime Pater, integram mentis ac cordis puritatem, ne quidpiam in nobis sit, quod vel minimum displiceat divinae Majestati tuae. Ad digne celebrandum hoc sacrificium exorna nos sanctis virtutibus: da nobis fidei, spei et caritatis augmentum, humilitatem quoque profundissimam qualem dedisti Mariae Virgini, ut esset mater Filii tui, et sponsa Spiritus sancti. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? [1] Ergone credibile est, quod ego nunc habeam Deum absonditum in medio cordis mei? — Si ne coelum quidem, nec coeli coelorum te capiunt, o Verbum magnum et incomprehensibile! quanto minus angusta haec cordis mei domuncula? — Credo tamen ac firmissime credo, te nunc habitare in praecordiis meis, o Deus universorum, qui nullius indiges, qui, humanam indutus naturam, novem mensibus in sinu purissimae Virginis Mariae delitescere propter me dignatus es. Posuisti tenebras latibulum tuum, o Lux immensa! *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* — Convivium reapse divinum mihi parasti de sanctissimo corpore et sanguine tuo. Quis eo te compulit, ut teipsum mihi totum dares in cibum et potum? Quis ad talem inclinavit te munificentiam? — Ah, quis alius, nisi tuus ille amor aeternus, cujus vi adactus, temetipsum exinaniisti, et in hunc mundum venisti? —

„O Domine Jesu! propter nos homines et propter nostram salutem descendisti de coelis, et incarnatus es: Deus de Deo, Patri tuo per omnia coaequalis, justissimus et misericordissimus, pulcherrimus et fortissimus, invisibilis videns omnia, Deus ineffabilis et incomprehensibilis, immensus et aeternus, semper agens et semper quietus; Deus, sine indigentia omnia creans, sine defectu omnia nutriens, sine labore omnia perficiens atque gubernans. Propter nos incarnatus es, o Fili Dei! qui ubique praesens es, qui tenes omnia, possides omnia, imples omnia,

[1] 2 Paral. 6, 18.

complecteris omnia, et portas omnia. Tu es Deus adorandae ac immensae majestatis; qui consiliis non mutaris, locis non distenderis; temporibus non variaris, limitibus non circumscriberis. Tu es Deus verus, per quem omnia facta sunt: omnia pulchra testantur te pulcherrimum, dulcia dulcissimum, alta altissimum, fortia fortissimum, amabilia amabilissimum" [1].

Talis ac tantus cum sis, semperque fueris, o Jesu suavissime! usque tamen adeo humiliasti temetipsum, ut divinam occultaveris naturam in humana, et utramque in altaris sacramento. Profundissima nunc reverentia et animi submissione adoro te, Deum absconditum ac commorantem in pectore meo. Maximas tibi gratias ago pro inexhausta liberalitate tua, qua mihi manducandum dedisti teipsum, Manna quidem absconditum, sed dulcissimum; teipsum, panem Angelorum, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.

Et cum felix ista et exoptata sit hora, qua multum a te impetrare spero, ideo multum etiam a te supplex efflagito. Quid enim, o Deus Salvator meus! quid denegare mihi poteris in hac hora? Bona, quae jam accepi et nunc possideo, post se relinquunt ea, quae petiturus sum. Angelorum esca nutrivisti me. In sinu meo requiescit adoranda humanitas et divinitas tua. Omnis thesaurus totius vitae atque passionis tuae in pectore meo nunc absconditus est. Jam mihi dedisti corpus et sanguinem tuum, vulnera tua, merita tua: haec omnia possideo in corde meo. Minora proin a te beneficia rogare non dubito, postquam munera omnium pretiosissima jamjam tribuisti mihi.

[1] S. Laur. Just.

Confidenter itaque obsecro te, bone Jesu! Deus Israel Salvator! incende me, meosque omnes, tam vehementi caritatis tuae ardore, ut in hoc mundo nihil aeque diligamus, ac te, summum et unicum Bonum nostrum. Tu solus regnes in animabus nostris: tu solus, o Creator cordium nostrorum, unus etiam sis amor et Deus cordium nostrorum. *Dii, qui coelos et terram non fecerunt, pereant de terra* [1]: Dii alieni, qui corda nostra non fecerunt, pereant de cordibus nostris. *Non est similis tui in diis, Domine! et non est secundum opera tua.* Confringe, si quae latent in cordibus nostris, idola vanitatis; contere in frusta, comminue in pulverem indigna cordium nostrorum simulacra. Deus es omnipotens: omnia cedunt divinae potestati tuae. *Tu terribilis es; et quis resistet tibi?* Vox tua, Domine, confringit cedros Libani. Quam beati erimus, si diligere te nunquam cessaverimus! Quam felices erimus in aula tua coelesti, ubi te, Dominum Deum nostrum, nunc ab humanis absconditum oculis, palam facie ad faciem videbimus, intime possidebimus, et una voce collaudabimus per infinita saecula. Amen.

FERIA III.

Sacerdos est: 1) Angelus (medius Deum inter et homines, divinae voluntatis interpres, commissas habens animas); 2) plusquam Angelus (majore gaudet dignitate, potestate); 3) ideo imitetur Angelos (puritate, devotione, zelo).

---

[1] Jerem. 10.

PRECES ANTE MISSAM.

Rex Angelorum, Domine Deus virtutum coelestium, Jesu Christe! qui pro veteris testamenti sacrificiis aliud longe excellentius, incruentum scilicet missae sacrificium substituisti, et in Ecclesia tua quotidie celebrari voluisti: ejusdem ego minister indignissimus supremae Majestati tuae debitas referó grates pro speciali hoc beneficio, quo miserum me peccatorem prae mille aliis hominibus elegisti ad sacerdotium, ad dignitatem hanc eximiam, ad ministerium plusquam angelicum, ut quotidie mihi liberum esset, ingredi templum, adire mensam tuam, offere ac sumere sacrosanctum corpus et sanguinem tuum.

O mi Jesu! Deus magne et terribilis! Rex et Domine Angelorum! cum Zachariam, sacerdotem incredulum et Angeli tui verbis diffidentem, illico reddideris elinguem: qua ego fronte jam audeam accedere altare tuum? Unde mihi tantum sumam, miser ego peccator, qui toties et tam graviter offendi te, turpiter oblitus praerogativae dignitatis meae, ad quam me benigne sublimasti? Quomodo praesumam ego, sacerdos vitiis cumulatior quam virtutibus, adire terribilem mensam tuam, et corpus tuum sanctissimum manibus meis contingere, linguae meae imponere, ac corde meo suscipere? Nimis longe absum a tuorum puritate Angelorum, qui, licet desiderent in te prospicere, contremiscunt tamen coram magna et incomprehensa Majestate tua. Si ne coeli quidem sunt mundi in conspectu tuo; si vel in Angelis tuis reperisti pravitatem: cur ego inutilis homo non verear purissimum offerre sacrificium, hostiam sanctissimam, et quidem in medio sanctorum Angelorum? Eccur ego tot culpis ac negligentiis obstrictus non timeam adpropinquare tibi?

Sunt equidem deliciae tuae, esse cum filiis hominum: sunt Domine! sed quid in me simile est justis, amicis tuis devotis, praeter hominis naturam et infirmum sanctimoniae desiderium? Si haberem aliquid de puritate Matris tuae, Virginis Mariae, aut de sanctitate Joannis Baptistae, vel de amore ac vitae perfectione sanctorum tuorum; paulo minorem mihi admirationem moveret desiderium tuum, habitandi in corde meo. Verum peccator ego cum sim vilissimus atque servorum tuorum ultimus, tantum abest, ut promerear manducare te Angelorum Dominum, ut ne cibo quidem humano, sed omni potius supplicio dignus sim, et graviori omnino, quam Zacharias ille sacerdos incredulus, tam mirabiliter elinguatus.

Sed nunc, o Domine Jesu! detestor et abominor scelera mea super omnia mala possibilia. Sincerissime doleo, tam negligenter me hactenus sacerdotali munere meo fuisse defunctum. Firmiter etiam mecum constitui, longe majori deinceps studio cuncta dignitatis meae officia exequi. — Attamen, quid sum, quid valeo sine te, Domine? Palam ipse dixisti: *Sine me nihil potestis facere.* Quare supplex oro te, mitissime Jesu! ut me imbecillem pro sacerdotali munere ac ordine tam sublimi decenter administrando, ad honorem nominis tui et proximorum salutem, supernis gratiarum auxiliis fulcire digneris. Et quidquid ad hunc usque diem occasione sacerdotii, vel in sacramentorum administratione, vel in officio canonico, vel in aliis functionibus clericis, minus recte a me peractum, commissum aut omissum fuerit, mihi nunc in tempore clementer indulgeas, ne severiore id censura luere compellar in altero saeculo.

Jesu omnipotens! Angelorum Domine! qui sacerdotis Zachariae incredulitatem illico vindicasti; en credo

firmissime, per sacra consecrationis verba panem et vinum vere transmutari in sanctissimum corpus et sanguinem tuum. Auge mihi hanc fidem; auge simul et fiduciam ac caritatem; ne indigne tractem mysterium hoc tremendum in medio Angelorum tuorum. Tibi quoque commendo singulos consacerdotes meos, et omnes laicos, pro quibus orare teneor. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Obstupesco summam Domini mei benignitatem, et instar elinguati Zachariae propemodum obmutesco. — Deus homo factus in mundo! — Deus eucharisticus in corde meo immundo! — Immensa haec et eximia Dei beneficia demirans, quid dicam nescio. — O bone Jesu! o Domine Angelorum! o Verbum aeternum! ubi satis verborum inveniam ad digne laudandam misericordiam tuam? — Cum nihil essem, ad imaginem tuam fecisti me: cum perditus essem, morte tua redemisti me: cum malus essem, ad frugem revocasti me: cum frigidus essem, amore divino accendisti me: cum infirmus et debilis essem, ope tua adjuvisti me: cum ingratus essem, ad sacerdotium evexisti me. Neque id satis erat amori tuo: nam totum te ut impenderes pro me, tibique nihil retineres de te, incarnatus propter me, teipsum mihi dedisti, nascens in socium amicissimum, convescens in edulium suavissimum, moriens in pretium locupletissimum; futurus denique mihi in exitu viaticum desideratissimum, in conductu praesidium tutissimum, et in coelo praemium felicissimum.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius. Benedicite Domino omnes Virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Benedicite Domino, omnia

opera ejus. In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino. Gratias ago tibi, suavissime Jesu! pro mira liberalitate tua, qua mihi hodie teipsum, panem Angelorum, dedisti comedendum. Gratias insuper pro gratuito fidei dono, quod tribuisti mihi prae tot aliis hominibus, qui in tenebris infidelitatis misere nascuntur, miserius vivunt, miserrime moriuntur. Gratias tibi, Domine! pro singulari bonitate tua, qua me, peccatorem omni honore indignum, ad dignitatem ipsis adeo formidandam Angelis extulisti, in sacerdotum tuorum numero posuisti.

At heu! quantum a primo suscepti sacerdotii fervore ac studio remisi! — Ut initio calebam in servitio tuo, Domine! ita nunc oscitanter omnia facio. — Ubi sunt modo sancta illa desideria? ubi modestia illa et sensuum custodia? ubi tenerior illa conscientia et frequens animi collectio? Ubi solitudinis amor, et fervidus ille animarum zelus? ubi humilitas, patientia, sobrietas, et reliquae virtutes sacerdotio dignae? Cum in via virtutis debuissem progredi quotidie, quotidie longius ab illa deflexi. Jure habes adversum me, quod caritatem primam reliquerim. O exprobratio amarissima! Erubesco, Domine! pudetque me mei ipsius. Utinam perenni lacrymarum fonte deplorare possem inconstantiam meam, mentisque mutabilitatem! — Renovo nunc melioris vitae propositum, idque firmiter retinebo in posterum, adjuvante gratia tua, quam a te maximopere peto.

Domine Jesu! qui unum Zachariae sacerdotis verbulum, inconsiderate prolatum, punivisti mutitate novem mensium; dirige linguam meam, ut nihil contra, ac fas est, proferat. Scio, quod e sacerdotis ore, quo multoties intras, Sancte sanctorum, nonnisi sancta prodire debeant. Didici a patribus, sacerdotis linguam tuo sanguine made-

factam, in verba scurrilia non resolvendam, omnesque nugas in ore illius blasphemias esse. Zachariam incredulum et Angeli tui verbis diffidentem elinguasti, ut ostenderes, quam promte nos verbis tuis credere oporteat atque obtemperare. Adauge mihi fidem et in adversis patientiam, ut paternas castigationes tuas humili corde suscipiam, easque perinde, ac olim Zacharias, aequo perferam animo. Denique supplico tibi, Angelorum Domine! ut secundum magnam misericordiam tuam, et per infinita incarnationis tuae merita, clementer indulgeas perexiguam devotionem meam, qua vel hodie vel unquam alias sacris operabar. Fac me deinceps ita vivere, sicut decet sacerdotem; ut te Salvatorem meum, quem in via maxime diligo, in coelesti quoque patria inter Angelos et electos tuos sine fine diligere merear. Amen.

FERIA IV. Q. T.

ET DIE XXV MARTII IN ANNUNTIATIONE B. M. V.

Considera: 1) Patris caritatem, qua tradidit Filium in uterum B. V., et tradit in manus tuas; Filii humilitatem, qua se demisit in B. V. uterum et demittit in cor tuum; Spiritus s. potentiam qua formavit ex carne B. V. et format (in transsubstantiatione) corpus Christi; 2) B. Virginis dignitatem et sanctitatem — quam simitis tu in dignitate, quam dissimilis in sanctitate; 3) Angeli nuntiantis reverentiam — et tuam negligentiam etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Si tuus ego minister indignus inveni gratiam apud te, *Pater de coelis Deus!* admitte me (precor) ad sacrum altare tuum, ubi divinae Majestati tuae acceptis-

simam immolabo hostiam, unigenitum Filium tuum, Verbum carne velatum, Messiam Patriarchis promissum, a vatibus sacris praenuntiatum, a justis antiquae legis tamdiu exspectatum. Tuus iste Unigenitus, siquidem invenerim gratiam coram oculis tuis, erit hodie in manibus meis, in ore ac corde meo. Verum, o Deus, Pater sancte! quam singularis exigitur a me manuum puritas, oris munditia, cordis innocentia! quam eximia devotio, reverentia et humilitas, ut dilectum Filium tuum digne offeram! — Ah! nimium abhorret vita ac conversatio mea a sanctitate purissimae Virginis Mariae, caritate et gratia plenae. Omnibus ista nitebat virtutibus: omnibus ego sordeo vitiis. Neque tamen dedignaris, o bone Deus, mihi tradere Unigenitum tuum. Quia igitur ita vis et tibi placet, quia me vocas ad aram tuam: ecce famulum Domini! fiat mihi secundum verbum tuum. Ibo, quo me invitas: id unum obsecro, ut tuam mihi gratiam concedas ad tremendum altaris mysterium ita nunc celebrandum, ut incarnati Verbi tui corpus venerabile non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed ad consequendam vitam aeternam. Memento etc.

Fili Redemtor Mundi Deus! clementissime Jesu! qui propter nos homines in utero purissimae Virginis Mariae assumsisti carnem, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo: fac, obsecro, ut hodie ad altare tuum sanctissimae incarnationis tuae memoriam grato recolam animo, et tanti beneficii recordatione magis ac magis in tui amorem exardescam. Utinam tanta fide, caritate et animi demissione, tali virtutum decore splendesceret cor meum, quali refulsit cor immaculatum Mariae, matris tuae virgineae, dum Angelo, mirificum incarnationis tuae mysterium annuntianti, humiliter respondit: *Ecce ancilla*

Domini. Exorna, benignissime Jesu, cor meum vacuum omni virtutum genere, quo dignius rem divinam in ara conficiam, atque majus e praesentia tua capiam gaudium, solatium, emolumentum.

Spiritus sancte Deus! qui Redemtoris nostri incarnationem miranda divinitatis virtute operatus es in sinu castissimae Virginis Mariae, eamque ineffabiliter foecundasti, et ita sanctificasti, ut dignum esset tabernaculum Verbi incarnati: largire mihi necessaria gratiarum dona, ut eundem mundi Salvatorem decente hospitio recipere merear, atque portare Deum in corde meo. Per pretiosum Christi sanguinem, per corpus ejus sanctissimum, quod pro salute hominum formasti in utero sponsae tuae Virginis Mariae, peto et spero a te coelestium donorum abundantiam et exquisitissima virtutum ornamenta, ut digne valeam operari sacris, et divinam offerre hostiam ad ampliores gratias mihi meisque proximis impetrandas.

„*Ave Maria, gratia plena!* Ave Maria, per quam nos purissimam Christi carnem participamus, ad tremendam admodum mensam accedere audentes. Ave, Maria! per quam nos verum et immortalem panem gustamus.“ *S. Jo. Damasc.* Ave, gratia plena! quae sola inter mulieres benedicta, ad Dominicae incarnationis mysterium electa, et a Spiritu sancto praeparata, unigenitum Dei Filium castissimis visceribus tuis concepisti, ac mundo peperisti Salvatorem. O Virgo purissima! intercede pro me sordido peccatore, et impetra mihi a Deo scelerum meorum veniam, fidem vivam, spem firmam, caritatem perfectam; ut Dominum meum Jesum, Filium tuum magnum, in hoc sacrificio decenter offeram, corde puro suscipiam, et exoptatum inde hauriam fructum. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Gratulor mihi, suavissime Jesu; et ingenti efferor laetitia, eoquod teipsum revera nunc habeo mecum in intimo corde meo. Inexplicabili repletus solatio ad pedes tuos abjicio me, et ex abysso nihili mei reverenter adoro te Altissimi Filium, Verbum reipsa magnum, propter me incarnatum, mihique in cibum datum. Supplicem hanc adorationem meam cum illa conjungo, quam exhibuit tibi Virgo Maria mater tua, dum te, conceptum de Spiritu sancto, gestavit in utero suo. Totus inclinatus et postratus adoro te, rogans, ut mihi liceat tantisper admirari ac contemplari caritatem tuam infinitam, qua genus humanum dilexisti, et ab interitu vindicasti.

„Cum adhuc essemus inimici tui, Domine! cum mors antiqua in nos omnes exerceret dominium; recordatus es uberrimae misericordiae tuae, et prospexisti de sublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis et miseriae nostrae. Vidisti, Domine, afflictionem populi tui, et tactus dulcore caritatis intrinsecus, cogitasti super nos cogitationes pacis et redemtionis. Et quidem, cum esses Filius Dei, verus Deus, Deo Patri sanctoque Spiritui coaeternus et consubstantialis, lucem habitans inaccessibilem, portansque omnia verbo virtutis tuae, non dedignatus es in istud nostrae mortalitatis ergastulum altitudinem tuam inclinare, ubi nostram gustares miseriam, nosque reparares ad gloriam. Parum fuit caritati tuae, ad consummandum opus nostrae salutis, Cherubim aut Seraphim aut unum ex Angelis destinare; ipse ad nos venire dignatus es ex mandato Patris, cujus nimiam caritatem experti sumus in te“ [1].

[1] S. Anselm.

Parum fuit immenso amori tuo, requievisse in sinu Virginis humillimae, matris tuae Mariae; in cordibus etiam credentium habitare voluisti. Hoc fine stupendum altaris sacramentum instituisti, tuamque majestatem tremendam sub exiguis eucharistiae speciebus abscondisti, ne quid impediret, quo minus te Deum magnum pusillis cordibus nostris acciperemus. Haud equidem animo comprehendere valeo istud amoris tui mysterium; fide tamen indubitata illud credo, quia Deus es omnipotens, cui nihil difficile, juxta verissimum Angeli tui effatum: ***Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*** Promisisti mihi perinde ac ceteris credentibus gratiam tuam et vitam aeternam, o Verbum incarnatum, o Verbum veracissimum! Quocirca per auxilium gratiae tuae, per tuorum virtutem meritorum, aeternae beatitudinis praemia spero, et a te solo consequi desidero. Persuasum mihi habeo, Domine! quod bona coelestia non aliter nisi te mediante valeam obtinere. Nec dubito, quin velis illa mihi dare: ideo namque venisti in mundum; ideo conceptus es de Spiritu sancto et natus ex Maria Virgine; ideo tantis defunctus laboribus, tam indigna et horribilia passus, tantos inter dolores mortuus es; ideo ad veram fidem atque ad dignitatem sacerdotalem vocasti me; ideo corpus et sanguinem tuum virgineum multoties mihi dedisti in cibum et potum; ideo et hodie sub alienis speciebus iterum ingressus es cordis mei domicilium pauperculum et squalidum.

O dulcissime Jesu! o unicum ac verum animae meae gaudium! talem nuno consolationem, tantam in te habeo fiduciam, ut jamjam mihi videar illam possidere vitam aeternam, quam unice desidero ac confidenter exspecto a te, qui es Redemtor meus, Salvator meus, et in arduo aeternitatis meae negotio fidissimus Advocatus meus.

Eapropter omnia mihi ad salutem necessaria tam firmiter spero ab immens abonitate tua, ut, etiamsi universae creaturae in exitium meum conjurasse viderentur, etiamsi egomet in praecipitio positus, apertas jam inferorum fauces prae oculis haberem; usque tamen in te confidens cum Propheta clamarem: *In te, Domine, speravi; non confundar in aeternum.*

Eja ergo, dilectissime Jesu! o Verbum caro factum! suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam; et non confundas me ab expectatione mea. Adjuva me, et salvus ero. Junge me tecum indissolubili caritatis vinculo, neque permittas unquam me separari a te. Auxilio tuo sustine me meosque omnes, quorum anhelo salutem; ut una omnes perveniamus ad desiderabile regnum tuum, cujus non erit finis. Amen.

Ad B. V. Mariam. „Sanctissima Dei Genitrix! Maria gratia plena! supplex oro te, ut per tuam intercessionem consequar gratiam divinam. O Virgo Domina Deipara, Deo gratissima, super omnes benedicta! quae humani generis praesidium facta es; quae per partum tuum cladem primae parentis correxisti, quae patrona peccatorum es, ac consolatrix afflictorum nuncuparis: ora pro me, ut regni coelorum compos fiam, ibique beatam te praedicem. Amen.“ *S. Ephraem.*

FERIA V.

Sanctifica te, hoc est munus tuum: 1) gravissimum, non patiens excusationem; 2) personalissimum, non patiens substitutionem; 3) urgentissimum, non patiens dilationem.

PRECES ANTE MISSAM.

Respice, quaesumus, Pater aeterne! Deus sancte! clementer respice hoc sanctissimum missae sacrificium, quod divinae Majestati tuae suppliciter offerimus in testimonium demississimae nostrae subjectionis in supremum tuum dominum, cui parent universae creaturae: *Quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram.* Suscipe, sancte Pater, immaculatam hostiam, quam nunc immolaturi sumus in gratiarum actionem pro infinita bonitate tua, qua nobis, sub diabolica servitute gementibus, ipsum Unigenitum tuum, Regem aeternae gloriae, misisti in hunc mundum, ad liberandos nos de gravissimo illo adversarii nostri jugo.

Eundem Salvatorem, Regem aeternum, magnum et sanctum, offerimus tibi, Pater omnipotens, in satisfactionem omnium iniquitatum et negligentiarum nostrarum, quibus in dies tuam offendimus bonitatem. Per ejusdem efficaciam sacrificii petimus atque speramus auxilium gratiae tuae, ut eidem Filio tuo, Domino et Regi nostro immortali, ac Sancto sanctorum, deinceps serviamus in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. Pater sancte! submississime rogamus te, per preces, per gemitus et suspiria Patriarcharum et Prophetarum, ut, quemadmodum isti summis votis desiderabant aeterni Regis adventum, qui ad aeternae gloriae regnum aperiret aditum; ita et nos, patefacto jam regni coelestis introitu, desideremus ab incolatu nostrae peregrinationis ad regnum Majestatis tuae citius perduci, quia melior est dies una in atriis tuis super millia in terrenis habitationibus nostris. Fac nos terrena despicere, et regnum coelorum semper ambire. Memento etc.

Domine Jesu! — Deus magne! — Verbum sanctum! — Rex aeterne! — quam multas magnasque habeo rationes expavescendi, et trepidandi ad ingressum sanctuarii tui, miser ego homuncio, omni virtute destitutus, imo et innumeris noxarum maculis foedatus. Ah! miserere mei, benignissime Jesu! munda cor meum ab omni labe peccati, atque pulcherrimis illud exorna virtutibus, quo dignius sacris operari, sanctiusque tractare ac sumere valeam *sancta sanctorum*, *sanctis* solummodo communicanda. O Jesu! Fili Dei! Sancte sanctorum! qui propter nos peccatores de coelo a regalibus sedibus in hanc miseriarum vallem ultro venisti, atque de Spiritu sancto conceptus et incarnatus, in castissimo Virginis utero per novem menses habitasti: veni, precor, elige tibi etiam cor meum, in quo habites. Reple illud bonis spiritualibus, totumque tu solus posside, o Rex aeternae gloriae.

„Veni Domine Jesu! aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea; ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, et vindicat in me sibi sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex: luxuria dicit, ego regnabo. Ambitio, detractio, invidia et iracundia certant in meipso de meipso, cujus ego potissimum esse videar. Ego autem, quantum valeo, resisto, et Dominum meum Jesum inclamo: ipsi me defendo, quia ipsius me juris esse agnosco. Ipsum mihi dominum volo et palam dico: Non habeo regem, nisi Dominum meum Jesum. Veni ergo, Domine! veni, disperge illos in virtute tua, et regna solus in me, quia tu es ipse rex meus, et Deus meus.“ *S. Bern.*

PRECES POST MISSAM.

Sanctus Dominus Deus Sabaoth! dilectissime Jesu!

en omni, qua par est, animi submissione ac reverentia adoro te, Dominum magnum, te Verbum sanctum, te Regem meum aeternum, nunc certe praesentem in corde meo. Vix tantum mihi sumsi, ut accederem ad tremendum altaris mysterium. *Quis non timebit te, o Rex gentium?* [1] Agnosco, fateorque temeritatem meam, qua sordidus ego peccator ausus sum appropinquare tibi, omnipotenti Verbo ac Creatori hujus universi; tibi, Enti vere magno et vel in minimis maximo. Tu es, qui dinumeras arenam maris, pluviae guttas, et dies saeculi, et multitudinem stellarum, vere *magnus Dominus et Rex magnus super omnem terram.*

Quo jam minimus ego terrae vermiculus abscondam me a facie Dei magni hujus? Quonam indignus ego sacerdos abscondam me a facie Domini sancti hujus? — Abjicio me ad pedes tuos, o Jesu magne, Deus sancte, Rex aeterne! atque temeritatis meae veniam a te suppliciter deprecor. Hanc veniam spero a te, qui homo factus es pro me. Maxima nunc fiducia veneror et adoro te Dominum sanctissimum, habitantem intra cordis mei penetralia. Hic jam familiarius tecum loqui, hic tecum conversari, hic tecum deliciari, hic te propitium reddere, omnesque gratias, quibus indigeo, a te petere valeo, et impetrare spero.

Et primo quidem obsecro te, *Sancte sanctorum!* ut tuo mihi sacerdoti congruentem vitae sanctitatem impertiri digneris. Essentia tua divina principium est efficiens, forma, finis, fons et origo omnis sanctitatis, quae fulget in creaturis. Tam perfecta est tua sanctitas, ut nec addi quidquam ei, nec demi possit. Eandem

---

[1] Jerem. 10.

sanctitatem tuam, Domine, proposuisti cunctis fidelibus, praecipue sacerdotibus tuis, imitandam: non potentiam, non sapientiam, non majestatis altitudinem, sed sanctitatem tuam nobis exhibes adumbrandam morum nostrorum sanctimonia. Saepius, o Verbum aeternum! in veteri lege dixisti ad filios Israel: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Quis autem nos sanctos reddet, nisi tu, bone Jesu, qui solus sanctus, solus Dominus es sanctificans omnia? Fac igitur, ut tuus ego sacerdos integram vitae sanctimoniam sectari nunquam desinam, et a vitiis, quibus cor meum (tuum hoc sanctuarium) violari ac profanari posset, semper abhorream. Effice, precor, ut sic luceat lux mea coram hominibus, ut, qui viderint opera mea bona, glorificent (non me) sed te, *Sanctum sanctorum*, et omnis sanctitatis Auctorem.

Dein obsecro te, Domine Jesu! ut majori dilectionis tuae flamma succendas cor meum, nam nimis adhuc parva est et exigua caritas mea. Imo vero magnus est amor meus, quia tu ipse meus amor es, Deus magne, qui ab aeterno me amasti, et redemisti me pretio magno sanguinis tui. O quam angustum est cor meum pro amore tam magno! — Jesu, amor mi! dilata, dilata cor meum, et dilatatum imple caritate magna: thesauro enim tam magno magnus pariter amor debetur. Jam propono (te adjuvante) magna spiritus alacritate omnia vel minima vocationis meae negotia tractare. In obsequio tuo, magne Deus! nihil in posterum mihi parvum erit; nam parvum non est, quod tibi Domino magno sive placet, sive displicet. Quomodo parvipendam, quod me aut longius a te abducit, aut tecum intimius jungit? Tu magnus Dominus hodie venisti ad servum tuum omnium minimum: proinde nec ego minima praeteribo, non spernam modica, nihil negligam, neque gravabor magna

subire onera et incommoda pro gloria magni Dei et Salvatoris mei, qui etiam, ut spero, erit merces mea magna nimis.

Tibi denique, Rex aeterne! me libenter ac sponte submitto; jugum tuum suave summa alacritate suscipio. In primo adventu tuo apparuisti Rex pacificus, mansuetus et humilis, non incutiens majestate vel potentia terrorem, sed miseros homines bonitate ac clementia tua recreans. Natus de stirpe regia clementer regnas in domo Jacob, in ecclesia tua; et regni tui non erit finis. Eja ergo, Rex regum optime maxime! guberna et dirige me, meosque omnes, quorum de salute aeterna sollicitum me esse oportet. Adveniat in nos regnum tuum, nunc quidem gratiae, ac demum gloriae. Procul absit a nobis, ut excutiamus jugum tuum suavissimum. Volumus te, Regem vere pacificum ac aeternum, te solum volumus in nos dominari; justitia enim et clementia firmatur thronus tuus. Regna itaque super nos, omni jure tibi subjectos. Defende ecclesiam tuam, militantem in terris, ab omni hostium incursione. Dominare in medio inimicorum tuorum, o Rex omnipotens! quo securiores nos servi tui, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus tibi in sanctitate et justitia: ut ita regni tui gloria quotidie magis crescat et proficiat in nobis, donec tandem omnes ac singuli (te duce) perveniamus ad regnum tuum coeleste. Qui vivis etc.

FERIA VI. Q. T.

ET DIE II JULII IN VISITATIONE B. M. V.

Considera, admirare et imitare: 1) zelum Jesu; 2) humilitatem B. V.; 3) laetitiam sanctam b. Elisabeth.

PRECES ANTE MISSAM.

Unde hoc mihi, o Jesu, Fili Dei! unde hoc mihi, ut jam denuo venias ad me? Quae merita mea? quaenam mihi praerogativa, ut visites animam meam? — Domine! non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Formidabilis majestas tua splendet nimium: nimium e contrario foetet miserabilis anima mea. O quantum intercedit discriminis Deum inter et hominem peccatorem! — Elisabetham, Joannis matrem, quam beata Virgo Maria salutatum adiit, Spiritu sancto repletam fuisse, scriptura testatur; ego vero quis aut quid sum coram oculis tuis, Domine? quid aliud, quam sepulchrum dealbatum, plenum vanitate, plenum amore proprio et distortis affectionibus, repletum multis miseriis atque vitiis? — Eccur itaque dignaris iterum ad me peccatorem divertere, o Jesu gloriosissime? Unde hoc mihi beneficium? unde sublimis haec gratia indigno mihi servo tuo? Nempe bonus es Dominus, infinite bonus. Et ideo vocasti fideles ad mensam tuam divinam, dicens: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Vadam igitur, o bone Jesu! quia sic me invitas et urges; fidenter vadam ad coeleste convivium tuum. Jam appropinquat hora illa optatissima, qua te, Salvatorem et amatorem meum, manibus imo et corde rursum accipere mihi licet. O quanto me gaudio replebit isthaec visitatio tua! Quantum oblectabit me haec corporalis praesentia tua, suavissime Jesu! *Laetabor et exultabo in te*, sicut exultavit in gaudio praecursor tuus Joannes, quem adhuc infantem Infans in Matris utero visitasti et exhilarasti. *Laetabor et exultabo*

in misericordia tua. Avidus interim omnia temporis momenta dinumero, donec ineffabili hoc gaudio compleatur anima mea.

Ad Patrem Deus Pater omnipotens! *Excelsus et sublimis, habitans aeternitatem!*[1] qui universum terrarum orbem, a te creatum, in tempore laetificasti sacratissima Unigeniti tui incarnatione: respice, quaesumus, ad debitum servitutis nostrae obsequium, et ad dignum sacris altaribus tuis sacrificium, quod tibi hodie offerimus in agnitionem supremi tui in nos dominii; nec non in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, praesertim pro singulari exemplo humilitatis Virginis Mariae, quae, Verbo tuo incarnato gravida, impellente Spiritu sancto abiit in montana cum festinatione, et visitavit cognatam suam Elisabetham, major minorem, superior inferiorem. Da, benignissime Pater, per merita Filii tui, ut etiam in nobis nesciat tarda molimina Spiritu sancti gratia, maxime ubi sese offert occasio submissionis ac caritatis erga proximum. Largire nobis fidei augmentum; ut, de beatae Mariae Virginis exemplo, fidem habeamus verbis tuis et omnibus religionis nostrae mysteriis, praecipue stupendo super omnia miraculo, altaris sacramento. Denique supplices oramus te, clementissime Pater! ut procul de finibus nostris omnem peccandi licentiam propulsare, cunctisque paganis fidei lucem ac conversionis gratiam concedere digneris, quo magis in dies accrescat fidelium numerus in Ecclesia canentium: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemtionem plebis suae.* — Memento NN.

---

[1] Isai. 57, 15.

Ad B. V. Mariam. Sancta Maria, Virgo Deipara! benedicta tu inter mulieres; et benedictus fructus ventris tui, Jesus Christus, quem ad Elisabeth in utero portasti: per profundissimam illam animi tui demissionem, qua cognatam tuam invisere dignata es, obsecro te, ut tua mihi intercessione divinam impetres opem, quo dignus Christum Filium tuum manibus atque praecordiis meis portare valeam. „Maria! spes mea post Deum unica! intercessione tua redde me dignum, ut sine crimine particeps fiam immaculati corporis et sanguinis Filii tui et Dei mei in hoc saeculo; in futuro autem dulcedinis convivii coelestis, regni Dei, ubi laetantium omnium habitatio est" [1].

PRECES POST MISSAM.

Nimia plane et inscrutabilis est tua in me benevolentia, suavissime Jesu! Singulari prorsus et admiranda me complecteris benignitate, o unicum cordis mei Gaudium! *Unde hoc mihi*, ut toties ad me venire digneris? Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? — *Unde hoc mihi?* mihi, qui in vitia quam virtutes proniorem me sentio? mihi, qui multoties offendi te Deum, Salvatorem ac benefactorem meum optimum maximum? — *Unde hoc mihi?* mihi tam impio et ingrato peccatori? Unde, nisi ex immensa misericordiae tuae magnitudine? unde nisi quia es qui es, infinite bonus atque munificus? — O felicem, felicissimum me! — Laetare, anima mea, in Domino, qui nunc iterum invisit te, qui recreavit te in-

[1] S. Ephraem.

genti solatio, qui satiavit te pane coelesti potuque pretiosissimo. Exulta in Deo Jesu tuo, in immenso hoc bonorum omnium oceano. Gaude et plaude, anima mea, de tali caritate et beneficentia Domini tui.

Ignosce mihi, amantissime Jesu, insolitum hunc laetitiae excessum. Joannes praecursor tuus, adhuc infantulus, exultavit prae gaudio ad delectabilem tuam praesentiam; nec ita quidem unitus tecum, ut anima mea tibi nunc est unita. O quantum me hilarat optatissima haec visitatio tua! — Delector et exulto, Domine! quoties attente mecum cogito, te Deum esse tam bonum, tam misericordem, tam liberalem, infinitum, aeternum, omnipotentem, immutabilem, omnesque perfectiones possibiles in te inveniri. Sincerissimo cordis affectu congratulor tibi tantam tuam majestatem, gloriam, et beatitudinem, quam possides, et sine fine possessurus es: ideoque convoco creaturas omnes, ut mecum laudent te, dulcissimum animae meae hospitem.

Ingenti superabundo laetitia ac consolatione, dum mecum considero, teipsum *summum Bonum* nunc habitare in corde meo. Majorem adhuc capio laetitiam, dum attente perpendo, teipsum *summum Bonum* aliquando futurum esse *meum* et sine fine *meum*, nempe in coelesti patria, ubi quies secura, pax imperturbabilis, laetitia invariabilis. Tunc plene satiabor, cum apparuerit gloria tua. Invisibilis ista visitatio et praesentia tua me sic exhilarat, ut vix prae gaudio mei compos sim: quantopere laetabor ibi, contemplans te facie ad faciem?

Paternas interim castigationes tuas, Domine Jesu, in loco peregrinationis meae libenter amore tui sustinebo. Quaslibet dispositiones seu visitationes tuas humili corde acceptabo. Laetabor et exultabo in te, bone Deus! sive in gratia, sive in virga visitaveris me. Tu, Amor

mi! es et eris semper unicum gaudium atque solatium meum in adversis. Id unum a te summopere peto quaesoque, ut tuam mihi gratiam largiri digneris, qua corroboratus omnia dura et aspera patienter tolerare valeam. Abstrahe simul cor meum ab omnibus vanis saeculi gaudiis atque deliciis; ne unquam ad illorum me numerum adjungam, *qui laetantur, cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis.* Fac, oro, jucundissime Jesu! ut cum Joanne praecursore tuo tantummodo in te gaudeam, illucque tandem perveniam, ubi sanctos et electos tuos perenni gaudiorum torrente potabis. Qui vivis etc.

Ad B. V. Mariam. „Maria! Mater Dei optimi! Domina benignissima! auxiliatrix afflictorum, patrona periclitantium, salus fluctuantium, portus naufragantium, et adjutrix versantium in necessitatibus! (*Maria Deipara quae benedicto fructu ventris tui, et Joannem et ejus matrem Elisabeth mirum in modum exhilarasti:*) impetra mihi servo tuo tranquillitatem cordis, serenitatem mentis, spiritum humilitatis convenientem sanctitati dignitatis meae. Dissipa in me nubes tristitiae, et custodi me semper imperturbatum et hilarem. Dilata cor meum, exhilara mentem meam, o Mater Domini mei! et impetra mihi gaudium sanctum ac continuum: ut vias rectas mandatorum Filii tui recto cursu conficiam, atque irreprehensibili conscientia et inoffensa conversatione procedam. Amen.“ *S. Ephraem.*

SABBATO.

Ut acquiras humilitatis virtutem, saepe: 1) considera Christi, B. V. et sanctorum exempla; 2) teipsum examina, defectus tuos perpende; 3) humiliationis actus exerce (quoad Deum, proximum, teipsum); 4) auxilium implora divinum.

PRECES ANTE MISSAM.

Infima humilitate ac animorum demissione coram te denuo comparemus, o Deus immensae majestatis et magnitudinis, Pater infinitae misericordiae atque potentiae! Suppliciter adoramus te supremum mundi Dominatorem, qui facis potentiam in brachio tuo, et dispergis superbos mente cordis sui. Benedicimus te sapientissimum totius universi Moderatorem, qui deponis potentes de sede, et exaltas humiles. Laudamus et glorificamus te liberalissimum bonorum omnium Auctorem, qui servos tuos esurientes imples bonis, et divites dimittis inanes.

Humiliter profitemur te omnipotentem Creatorem coeli et terrae, nos autem creaturas tuas, per omnia dependentes a te. Et in signum ac contestationem hujus nostrae subjectionis, offerimus tibi hoc missae sacrificium; in honorem quoque ac commemorationem sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis D. N. J. C. nec non in gratiarum actionem pro mirifico divinae tuae misericordiae atque potentiae artificio, quo Verbum caro factum est, ut nos perditos redimeret mortis suae meritis, rudes erudiret salutaribus praeceptis, tardos stimularet virtutum exemplis, infirmos roboraret corporis et sanguinis sui mysteriis. Debitas

praeterea grates agimus tibi, Domine, pro illa benignitate tua, qua respexisti humilitatem ancillae tuae, Virginis Mariae, cui tam magna fecisti, qui potens es, ut eandem nunc beatam dicant omnes generationes. Gratias denique pro omnibus beneficiis, Ecclesiae tuae inde a principio ad nostra usque tempora concessis.

Per vim et efficaciam istius sacrae oblationis obsecramus te, clementissime Pater! ut quotidianas nobis iniquitates atque negligentias benigne condones, recordatus misericordiae tuae, qua olim orbi perdito Salvatorem promisisti, et tempore rato misisti. Largire nobis opem necessariam, ut exitialem mentis elationem ac cetera vitiorum monstra devitemus. Et quamvis sine speciali auxilio tuo nostra non ferat natura, ut cunctas etiam leviores noxas effugere valeamus: hanc saltem fac nobis gratiam, ne graviori unquam seu mortifero nos obstringamus delicto. Sane hoc est, quod et tu vis, et acrius praecipis. Da ergo, quod jubes; et jube, quod vis. Fac insuper, o Deus misericors et omnipotens! ut in cordibus nostris vitiorum loco dominentur sanctae virtutes, praesertim humilitas, submissio, fides et obedientia, quo facilius tuam nobis benevolentiam conciliemus. Propitiare, mitissime Pater, omnibus Christianis arrogantibus atque superbis, qui, saeculi vanitatibus illecti, altiora semper honorum fastigia conscendere nituntur. Aperi oculos eorum, ut videant, quo deveniant ambulantes in magnis et mirabilibus super se. Memento NN.

Ad B. V. Mariam. „Maria, Domina Deipara! Virgo humillima, Deo gratissima! beata es tu in generationibus generationum. Inclina aurem tuam, et exaudi verba emissa a labiis meis sordidis et impuris; ecce enim, corde contrito atque humili mente ad te confugio. Oro et deprecor te, misericordem Dei misericordis Ma-

trem, ut hac hora intercedas pro me, qui, si unquam alias, maxime nunc protectione tua indigeo, dum ad tremenda Filii tui mysteria venire cupio. Per indefessas intercessiones tuas fac me facilem ad concipiendum ignem mysteriorum vivificorum, et me purificari ac illustrari horum participatione, ut reliquum vitae meae in poenitentia, castitate, atque humilitate percurram. Amen." *S. Ephraem.*

PRECES POST MISSAM.

Dominus meus in me! — ego in Domino meo! — Vilis servus et inutilis — intime jam unitus amabilissimo Domino suo! — Audite coeli: ***Magnificat anima mea Dominum***, Dominum vere bonum et liberalem, qui me servum suum esurientem implevit bonis, et tot alios dimisit inanes. — Exultat spiritus meus in Deo salutari meo; quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus: et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. — Domine Jesu Christe! en, vilissimus ego famulus tuus, prostratus ad pedes tuos, adoro te omni, qua possum, animi demissione; tibique gratias ago pro magna hac misericordia tua, qua respexisti parvitatem meam, ita, ut denuo cibaveris me pretiosissimo corpore et sanguine tuo. Adhaec corde humili gratias ago tibi Domine pro admiranda benignitate tua, qua de coelo descendisti, et Mariae Virginis humillimae Filius esse voluisti. O Jesu misericordissime! tanta est tua in nos caritas, ut nec intellectu humano capi, nec mortalium laudibus satis celebrari queat.

„Cum esses dives, summumque ab aeterno imperium in nos omnes obtineres, ultro te in egestatem nostram

demisisti, ut nobis pauperrimis inexhaustas atque perennes conciliares opes. O Creator increate! o Conditor universae creaturae! ut nos ad increatae naturae tuae consortium eveheres, ineffabili dignatione misericordiae tuae familiariter ad creaturas, ad naturam humanam inclinasti te. Cum omnis corporeae substantiae exsors degeres, caro et corpus fieri voluisti, ut nos corporibus nostris superiores efficeres, carne tua propria nos pasceres, nostramque carnem immortalitate donares. Cum secundum divinitatem tuam nullis circumscriptus sis limitibus, carnis tibi circumscriptionem adscivisti, ut ad immensum regnum tuum nobis patefaceres aditum. Cum innocentissimus esses, in *similitudinem carnis peccati* (*Rom. 8.*) factus es homo, ut peccata nostra tolleres, justosque nos efficeres. Cum impassibilis esses et immortalis, carnem nostram passibilem ac mortalem induisti, ut ab aeterna nos morte liberares, et corpora nostra vestires incorruptione. O amanda et vere admiranda dignatio! o caritas, o humilitas inexplicabilis!" *S. Laur. Justin.*

Domine Jesu! per hanc caritatem tuam, et per merita humillimae Virginis Mariae Matris tuae, peto a te verae humilitatis donum. Postquam tibi complacuit visitare plebem tuam, a qua diutius fueras elongatus; sola Virgo Maria inventa est digna, cujus in aula virginali tu Dominus a regalibus sedibus veniens thronum tibi et primam mansionem inter filios hominum eligeres. Per ejusdem Matris tuae humillimae intercessionem, da mihi, quaeso, gratiam tuam, ut hominum injurias aeque ac laudes corde humili suscipiam, et propter res humanas nec intempestive doleam, nec inepte gaudeam; sed ut spiritus meus in te Deo salutari meo laetitiam quaerat, in te levamen inveniat, in te solo suaviter requiescat.

Ingens vis amoris tui abducat mentem meam ab omnibus, quae sub coelo sunt. Effice, precor, Amor mi humillime! ut totus ardeam perfectissima tui caritate, quo facilius obliviscar omnium rerum terrenarum, illucque secura libertate aliquando perveniam, ubi cum beata Virgine Maria et cum omnibus sanctis tuis, aeternum magnificabit anima mea mirabilem tuam misericordiam atque potentiam. Amen.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Inflammet nos ad curam animarum consideratio eorum quae Jesu: 1) fecit pro nobis; 2) facit et faciet in nobis; 3) faciet per nos.

PRECES ANTE MISSAM.

Humilitate profundissima provolutus ad thronum divinae Majestatis tuae, Pater omnipotens, adoro te; et tuum accessurus altare, jam nunc offero tibi augustissimum hoc missae sacrificium, ad laudem et gloriam tuam, in signum nostrae dependentiae a te, Domino ac Creatore nostro; in memoriam sacrosanctae incarnationis, nativitatis, vitae ac mortis D. N. J. C. nec non in gratiarum actionem pro omnibus donis et bonis a paterna liberalitate tua acceptis. Offero tibi, sancte Pater! ipsum dilectum Filium tuum, salutis nostrae causa incarnatum, in unione caritatis tuae mirabilis, qua nobis eundem dedisti Salvatorem; simulque in plenam expiationem et satisfactionem pro peccatis ac negligentiis nostris, atque in perfectam suppletionem bonorum operum ac meritorum, quae nobis desunt. Denique majorem in

modum commendo tibi domesticos fidei, praesertim illos, quorum salutem credidisti curae meae. Miserere nostri, Pater exorabilis! et per infinita Verbi tui incarnati merita propitius esto nobis peccatoribus miserrimis.

„Omnipotens sempiterne Deus, qui Filium tuum unigenitum per carnis nostrae susceptionem sic ad nos misisti, ut non discederet a te, nosque praedicationibus suis, vitae exemplo, et sanguinis sui effusione elevaret ad te: concede nobis, misericordiam tuam pie imploran-tibus, nostramque fragilitatem humiliter confitentibus, ipsius Salvatoris nostri vestigia imitari, quatenus tibi Deo nostro placere valeamus. Da nobis famulis tuis donum lacrymarum, compunctionis gemitum, nostri ip-sorum cognitionem, orationis affectum, devotionis gus-tum, et tui amoris juge solatium: ut internae consola-tionis pabulo refecti, tuaeque veritatis splendore illu-minati, mereamur esse in adversis fortes, in prosperis humiles, in tribulationibus laeti, in infirmitatibus patien-tes, in tentationibus animosi, in moribus graves, in con-siliis providi, in sacra lectione assidui, in precibus at-tenti, et in gratiarum actione impigri. Rogamus te, Domine Deus, ut cor nostrum caritate ignescat, spiritus noster proficiendi desiderio ferveat, et exterior homo noster omnium virtutum exercitatione clarescat. Infunde mentibus nostris Spiritum sapientiae et intellectus, con-silii et fortitudinis, scientiae et pietatis atque timoris tui salutaris: quo praecedente, comitante, protegente ac dirigente, formidolosa nostrae peregrinationis discrimina inoffenso pede ita pertranseamus, ut consummato vitae praesentis agone, securi veniamus ad te, exultemus in te, de te repleamur in te, et tota virtute laudemus te, sociati cum laetantibus Angelorum agminibus, atque jubilantibus sanctorum omnium choris: quibuscum (te

largiente) erit nobis perpetua requies, jucunda felicitas, sempiterna laudatio, pax secura, lumen indeficiens, bonum ineffabile, tuique visio sine fine beata. Haec nobis humiliter supplicantibus praestare digneris, Pater clementissime. Qui vivis etc.“ *S. Laur. Just.*

PRECES POST MISSAM.

„Laetificasti animam meam dulci hac praesentia tua, o Jesu, Fili Dei, nostrae salutis causa incarnate! Ingenti nunc et liquidissimo perfusus gaudio, veneror et adoro te Salvatorem meum, realiter praesentem in corde meo. Grata mente laudo et glorifico te, sane benevolum in me. Haud equidem omnia et singula, quae mihi hactenus detulisti, beneficia nosco: eorum tamen, quorum probe recordor, tanta est magnitudo, multitudo tanta, ut nec ullo tempore nec ulla ratione me satis tibi gratum pro illis exhibere valeam. Summa plane et omnino divina est tua in homines benignitas. Tam ingentia, tam multiplicia in nos indignos contulisti munera, Domine Jesu! ut nunquam pares illis gratias tibi referre possimus.

„Descendisti de coelo propter nos homines, et propter nostram salutem, in solatium peregrinationis nostrae, in signum dilectionis tuae, in testimonium misericordiae tuae, in pignus foederis, in vinculum caritatis, et in pretium redemtionis nostrae. Acquisivisti nobis veniam delictorum, gratiam merendi, stolam immortalitatis et perpetuae jucunditatis. Tu coelestis gloriae nobis introitum patefecisti. Quamobrem totum, quod habemus meriti, quod virtutis, quod veritatis, quod fidei, quod spei, quod caritatis, quod gratiae, et quod speramus gloriae: totum adscribimus tibi Salvatori nostro, qui ob humanae assumtionem naturae factus es nobis frater.

Omne quod possumus, omne quod habemus, omne quod vivimus, omne quod sumus, tibi soli debemus, qui nos sic dilexisti, sic salvasti, sic sanctificasti, sic sublimasti.“ *S. Laur. Just.*

Quid autem ego, qui prae tot aliis hominibus singularia a te accepi beneficia, quid ego hucusque retribui, Domine, pro omnibus, quae tribuisti mihi! Proh! quam ingratum, quam frigidum me in hanc usque horam exhibui pro caritate tua perpetua! — Sed deinceps ardentius amabo te, suavissime Salvator! ad mortem usque, quin aeternum amabo te, o Verbum caro factum! Nunc interim offero tibi cor meum, meipsum totum: omnia mea lubens tibi trado ad honorem et beneplacitum tuum. Simulque rogo te, dulcissime Jesu! ut tecum intime conjungas me, tuique amore succendas omnia interiora mea, quo firmius tibi semper adhaeream, et praeter te nihil amplius cupiam. Praesidio tuo, charissime Salvator, tuere salutem animae meae. In cordis tui sacrario protege me contra frequentes inimicorum meorum incursus. Posside me solus, Amor mi! posside me totum, et tam arcte me tibi adstringe, ut nec tribulatio nec persecutio, neque mors neque vita, neque creatura alia possit me separare a te. Jam suscipe me (precor) in amplexus tuos, et torpentem animam meam ardentissimo tui solius amore magis ac magis incende.

Adhaec oro te, amantissime Jesu! qui salvos facis sperantes in te: miserere proximorum, tam superiorum quam subditorum meorum, quorum salus aeterna mihi perinde ac tibi cordi est. Dirige nos omnes in via mandatorum tuorum; consolare moestos, corrobora vacillantes, erige lapsos, tutare certantes in variis tentationibus, ne vel unus sit, qui cedat aut cadat, nec unus qui tibi displiceat. Reminiscere miserationum tuarum, Do-

mine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt. Salvator utique misericordissimus es, qui nostrae salutis ergo suscepisti naturam humanam, atque multoties reficis nos sacratissimo corpore et sanguine tuo. Ineffabili hac clementia et liberalitate tua luculenter ostendis, quia non venisti animas perdere, sed salvare. Fiat misericordia tua, Domine, super nos omnes ac singulos, ut salvi facti glorificemus nomen tuum per infinita saecula. Amen.

FERIA II.

Considera: 1) quam necessarius tibi sit advocatus, qui apud Deum pro te intercedat (propter peccata — inopiam tuam — gratias necessarias etc.); 2) quam praestanter Christus advocati partes agere valeat et agat; 3) quid tibi faciendum, ut Christus libenter et efficaciter pro te intercedat.

PRECES ANTE MISSAM.

Fidentibus animis apparemus hodie coram tremenda Majestate tua, Pater omnipotens, aeterne Deus! ut immolemus tibi sanctissimum missae sacrificium, atque per illud adoremus et glorificemus te, Creatorem ac Conservatorem nostrum. Omnia bona nobis ad salutem proficua praestare te posse novimus, quia omnipotens es; et velle te non dubitamus, quia misericors et infinite bonus es. Universae quidem creaturae, tam in coelo quam in terra, te Deum optimum maximum laudare debent; at nunquam pro merito laudare sufficiunt. Et nos vilissimi peccatores ad laudandum et orandum te, heu, quam

indigni sumus ob innumera flagitia nostra! Te quotidie in multis offendimus omnes. Qua igitur ratione nos servi tam inutiles inveniamus gratiam in conspectu tuo?

Respice, Pater, unigenitum Filium tuum, quem propter nos peccatores in mundum misisti, ut indutus carne nostra, nostram apud te causam ageret. Respice nostrum hunc advocatum, assiduum intercessorem, atque sacerdotem aeternum, qui semetipsum tibi hodie per manus nostras in altari oblaturus est. Benigne respice dilectum hunc Filium tuum, in quo tibi bene complaces; cujus in nomine tibi nunc gratias agimus pro eadem bonitate tua, qua nobis Unigenitum tuum dedisti advocatum fidissimum. En optime Pater! offerimus tibi cunctas ejusdem Filii tui preces supplicationesque, quas *in diebus carnis suae, cum clamore valido et lacrymis*, obtulit tibi pro nobis, clientibus suis carissimis. Offerimus tibi omnes illius cogitationes sanctissimas, orationes, desideria, verba et opera; universa denique incarnationis ejus, vitae, passionis ac mortis merita: ut ex immenso istorum thesauro suppleatur quod nobis deest, atque per ipsum, velut unicum advocatum nostrum, placeat tibi, Pater, obsequium servitutis nostrae. Per hujus victimae virtutem, et per infinita Redemtoris nostri merita, dimitte nobis, Pater, debita nostra, piacula quotidiana; et aufer a nobis, quidquid divinae Majestati tuae in nobis displicet. Purifica mentes nostras ab omnibus vanis et alienis cogitationibus, ut in spiritu et veritate te adorantes, quae ad aram petimus, facilius impetremus per eundem D. N. J. C. Filium tuum. Memento praecipue NN.

Ad Christum. Jesu, Fili Dei! qui, nostrum ut ageres advocatum, ultro peccatoris habitum induisti; en, ego miserrimus peccator, et plane indignus minister tuus oro suppliciter, ut causam meam suscipias apud Patrem

tuum, qui diligit te, et exaudit te pro tua reverentia. Si tu me deseras, o bone Jesu! res mea occisa est, actumque de salute mea. In tuam me confero clientelam. Esto (precor) advocatus meus; suscipe causae meae patrocinium, tuoque me Patri reconcilia. Gratiam hanc spero a te, clementissime Jesu! et in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam. Ad celebrandum perquam tremendum altaris mysterium fidenter accedo, quoniam tu es, Domine, spes mea. Resumo nunc spiritum, et propero ad mensam tuam, ubi me reficis sanctissimo corpore et sanguine tuo. Quis non speret in te? quis non diligat te, o Amor aeterne, Advocate optime? — Advolo, advelo ad dulcissimum convivium tuum, o bone Jesu! aestuat cor meum: caritas urget me; aviditas mea nullas patitur moras.

PRECES POST MISSAM.

Jesu suavissime! quid dicam modo? Fili Dei omnipotens! Verbum caro factum! quid despicabilis ego peccator loquar tecum? — „Desiderium compellit me loqui tecum; summa vero indignitas mea silentium mihi imperat. Multae meae infirmitates ac necessitates loqui me urgent; sed peccata mea, ut taceam, suadent. Anima mea intimo vexatur dolore, et oculi mei lacrymas concupiscunt. Heu mihi! quoniam cordis mei puritatem ob ignaviam meam contaminavi. Quis me deplorabit? quis me consolabitur? Tu solus Salvator meus pro tua benignitate afflictum me consolari vales.“ *S. Ephraem.*

Tu solus, advocatus et defensor meus, vacillantem fiduciam meam firmare potes. Te igitur obsecro, benignissime Jesu! erige jacentem, consolare lugentem animam meam, quae ob multiplices suas iniquitates merito Patris

tui reformidat iram. Per eximiam illam caritatem, quae *traxit* te in Virginis uterum; per amorem illum inenarrabilem, quo mihi jam toties sacratissimum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum, obtestor et oro te, ut misertus mei tanquam advocatus meus respondeas pro me, tuoque Patri reconcilies me peccatorem miserrimum. Intercede pro me, fratrum tuorum minimo, ac inaestimabilem mihi exora Patris tui gratiam, ut, cujus iram expavesco, clementiam sentire merear.

Domine Jesu! in te solo (potentissimo reorum patrono hominum) spem meam habeo repositam. Stupendus sane et immensus est amor tuus, quo jam inde a saeculis aeternis decrevisti, perditorum hominum causam, imo et ipsam eorum naturam in te suscipere, ut eos ab aeterna morte liberares. Angelis peccantibus non pepercisti, Deus! sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidisti cruciandos sine fine. Horum infelicium Angelorum ut suppleres numerum per homines salvandos, humanis te artubus velasti, factus homo. Egisti hoc, o Jesu admirabilis! non necessitate compulsus, non utilitate propria permotus, sed ex mera et liberrima caritate tua, quae de largifluo bonitatis fonte sua suis nunquam desinit dona conferre. Egisti hoc, ut arctiori et perpetuo caritatis vinculo nos tecum constringeres. Multum enimvero tibi debeo, dulcissime Jesu, pro tua clementia, qua propter me miserum peccatorem homo factus es ut fieres advocatus meus apud Patrem. Plus debeo tibi pro favore speciali, quo me non tantum fidelibus, sed et sacerdotibus tuis admunerasti. Plurimum vero pro caritate tua, qua praeter alia dona quotidie mihi teipsum largiris in altaris sacramento, ibique familiariter apponis erga me cor tuum.

„Tu es, Domine! a quo bona cuncta procedunt. Tu

es fons vitae, tu auctor salutis aeternae. Inquiro equidem apud me, ut et ego tibi de meo aliquid offeram: sed cum omnia pectoris mei arcana revolvo, nihil ibi praeter vitiorum tribulos et spinas invenio. Vide ergo, Domine, miseriam meam; vide tantae paupertatis inopiam, mihique compunctionis gratiam tribue, quae tergat rubiginem animae meae. Expelle, obsecro, omnem torporem ex pectore meo, et in me dulcissimae caritatis tuae flammam accende. Aut quid, Domine? an immensam tuae bonitatis abundantiam, quam innumera totius mundi crimina non poterant superare, vincere poterit iniquitas mea? cum totus pene mundus idololatriae ac improbitati esset deditus, quis te rogare praesumserit, ut tu ipse Dei Filius, quem coeli coelorum non capiunt, uteri Virginalis angustias habitaturus inviseres, et mortalitatis nostrae carnem susciperes, mortisque atrocissimae tormenta perferres, ut nos, inimicos tuos, ab aeternae mortis supplicio liberares? Quia igitur, o clementissime Domine, misericordiae tuae magnitudinem non vicerunt infinita totius mundi flagitia; num unius canis mortui peccata illam superabunt? Absit hoc a te, Domine! absit a te, qui dixisti: Nolo mortem impii.“ *S. Pet. Damian.*

Laetus nunc, ingentique recreatus solatio, revertor ad negotia vocationis meae. Tu, mi Jesu, semper es unica spes ac consolatio mea, unicum gaudium atque refugium meum, unicus protector et advocatus meus. Tibi ac clientelae tuae me meosque singulos enixe committo. Ad te in omni tentatione ac necessitate confugio: in te confido, nec erubescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Qui vivis etc.

FERIA III.

Obedientia sacerdotis sit: 1) simplex in motivis; 2) universalis quoad res praescriptas sive praescribendas; 3) prompta et laeta in executione.

PRECES ANTE MISSAM.

Quam bonus es, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus! quam misericors atque benignus in nos homines peccatores. Pro humanae superbiae remedio, misisti ad nos Filium tibi coaequalem, qui humilem tibi praestaret obedientiam usque ad mortem crucis, ut ex ipsius meritis et exemplis debitum capiamus fructum, et vitam consequamur aeternam. Elegisti nos in Filio tuo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti in terris, et beati in coelis: *Diligis enim omnia, quae sunt; et nihil odisti eorum, quae fecisti. Parcis autem omnibus; quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas* [1]. Quantumvis itaque reus sim et peccator nefandus, spem tamen omnem pono in te, misericordissime Pater! „Desperare utique potuissem propter nimia peccata et vitia mea, propter culpas et infinitas negligentias meas, quas admisi, et quotidie indesinenter admitto corde, ore, opere, et omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest. Desperare potuissem, nisi Verbum tuum, Deus meus, caro factum habitasset in nobis. Sed desperare jam non audeo, quoniam Filius tuus humiliavit semetipsum, et, factus obediens tibi usque ad mortem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, et affigens illud cruci, peccatum crucifixit et mortem.“ *S. Aug.*

---

[1] Sap. 11.

Confisus igitur incarnati Verbi tui meritis, respiro securius, et magna cum fiducia progredior ad altare tuum, aeterne Deus! ut eundem Unigenitum tuum, Deum-Hominem, offeram supremae Majestati tuae, in contestationem humillimae subjectionis nostrae et dependentiae a summo dominio tuo. Ascendat salutaris haec hostia ad coelorum sublimia, ad thronum gloriae tuae, in gratiarum actionem pro insigni exemplo humilitatis et obedientiae, virtutum tibi gratissimarum, quas Unigenitus tuus exhibuit a primo incarnationis suae momento ad ignominiosam usque mortem crucis. Eundem dilectum tibi Filium, forma servili coopertum, in spiritu humilitatis offerimus, ad satisfactionem omnium delictorum nostrorum, eorum maxime, quae per superbiam aut inobedientiam admisimus. Petimus insuper a te, bone Deus, necessarium gratiae auxilium, ut secundum Filii tui exemplum semper faciamus sanctissimam voluntatem tuam.

Quo facilius autem obtineamus quae petimus, da nobis omnibus animam unam, cor unum, cor humile, cor contritum, quale nunquam despicis; nam cunctis superioribus saeculis respexisti in orationem humilium, et non sprevisti preces eorum. *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio* [1]. Propterea largire nobis, amantissime Deus, spiritum verae humilitatis et demissionis, ut et preces et actiones nostrae semper tibi placeant. Effice, quaesumus, ut tam in prosperis, quam in adversis nosmetipsos humiliemus, et omnia de manu tua gratis animis suscipiamus. Pater aeterne! qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam; da nobis

[1] Judith. 9.

per merita hujus victimae paulo post offerendae, ut superioribus nostris exhibeamus obedientiam, inferioribus et aequalibus humilitatem, omnibus caritatem et observantiam. Suscipe hoc sacrificium in solatium illorum defunctorum, qui humilitatis vel obedientiae legibus adversati, nunc luunt in poena, quod peccaverunt in vita. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Magnus Dominus laudabilis nimis, nunc in corde peccatoris despicabilis nimis! — Creator universi hujus, in sinu vilissimae creaturae! — Dei Filius, Dominus dominantium, in pectore servi sui abjectissimi! — Quid hoc? nescio prae admiratione, quid dicam aut quid cogitem. — Ergone satis non erat amori tuo, benignissime Jesu, te, jam semel humiliatum, servi formam accepisse, vel potius formam vermis et non hominis, quia nunc denuo apud me infimum terrae vermiculum divertere dignatus es? Quare pateris, o Fili Dei! ut tam foetidus peccator Sanctum sanctorum circumferat in corde suo squalido? Sed nempe haec est patientia et humilitas tua, Domine! humilitas eo mirabilior, quo profundior et diuturnior. En ego, pulvis et cinis, humiliter adoro te Deum humilem. Maximas simul, quas possum, gratias ago tibi pro humillima tua obedientia, qua non solum Patri tuo, sed et mihi, sacerdoti tuo indignissimo, paruisti, dum mox ad voluntatem et vocem meam ingens illud transsubstantiationis miraculum patrabas, et absque mora te praesentem in ara sistebas. Grates tibi pro inscrutabili beneficentia tua, qua teipsum mihi hodie rursus in cibum et potum dedisti.

O Jesu humilis corde, et obediens usque ad mortem

crucis! doce me, aeternam animae meae salutem magis aestimare, ac sollicitius quaerere. Doce me, proximorum saluti solertius invigilare, ac imitari te, qui vel ideo tam humilis et obediens factus es, ut salvares immortales animas nostras. Pro his enimvero tam multa fecisti, tam praeclara dixisti, tam indigna tulisti, ut nihil in orbe terrarum carius habere videaris, quam animas nostras. Venisti in hunc mundum, humillime Jesu! non ut principatum saecularem acciperes, non ut imperii cujusdam obtineres monarchiam, non ut omnium populorum captares plausum atque favorem; sed ideo venisti, ut perditum recuperares genus humanum, ut instrueres nos verbo, informares exemplo, mundares lavacro, roborares auxilio, redimeres in crucis patibulo, et pasceres sacro corpore et sanguine tuo. O caritas! — o miranda humilitas!

Animus mihi est, Domine! te opitulante posthac pressius insistere vestigiis tuis, et sequi te Deum-Hominem humilem et obedientem. Cum melior sit obedientia, quam victimae, in omni timore et reverentia subjiciam me superioribus meis, eorumque mandatis ac consiliis humiliter parebo, fretus illo scripturae promisso: *Vir obediens loquetur victoriam* [1]. Te igitur obsecro, Domine Jesu, qui servilem accepisti formam, et humiliasti temetipsum, factus obediens usque ad mortem: doce me, meosque omnes, quorum me cura fatigat, doce nos veram animorum demissionem, et praesta, ut optimatibus nostris exacte semper obediamus, ita, ut totum peregrinationis nostrae curriculum nihil aliud sit, quam continuum obedientiae exercitium ac juge voluntatis

[1] Prov. 21.



nobis
iit (in-
eposuit.

n omnium
ılla omnino
ınfirmitatem
a reverenter
tentiam sub-
r omnipotens,
em; qui venit
ies confortaret
enerabili sacra-
et omnibus aliis
are tuum imma-
ıcias, et pro salute
omni qua possum
uidem peccavimus,
cordiis autem

plurimis non fecisti nos in consumtionem, neque dereliquisti nos: *Quoniam Deus miserationum et clemens tu es. Nunc itaque, Deus noster, magne, fortis, et terribilis, custodiens pactum et misericordiam: ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos* [1].

Per immensa Unigeniti tui merita, oro te, Domine sancte, Pater omnipotens! conforta nos in salutari tuo, ut ab inimicorum nostrorum insidiis servemur immunes. Libera nos, Deus fortis, a multitudine operantium iniquitatem; nobisque tam efficacem largire gratiam, ut in bonis propositis, quae te inspirante concepimus, firmo semper infractoque pede incedamus. Et quia humana fragilitas nostra saepius a mandatis tuis aberrat, fortissimo brachio tuo clementer eripe nos ab hac miseria et animorum inconstantia. *Quaeso, Domine Deus coeli, fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum et misericordiam cum his, qui te diligunt et custodiunt mandata tua; et ipsi servi tui, et populus tuus, quos redemisti in fortitudine tua magna: obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, et ad orationem servorum tuorum* [2]. Memento fidelium N. N.

Ad Christum. Domine Jesu! Deus fortis! omnipotens Verbum! *Splendor gloriae, figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis tuae!* [3] qui in sinu Mariae Virginis inexplicabili modo incarnatus atque gestatus es: teipsum et ego, minister tuus indignissimus, gestabo hodie in manibus meis, gestabo in corde meo. Tremendum mysterium! — o terribilis

---

[1] 2 Esd. 9, 31. [2] 2 Esd. 1. [3] Hebr. 1, 3.

hora! — imo felix, felicissima hora! — Ad te namque venio, te gestabo in sinu meo, bone Jesu! qui non solum Deus es fortis, sed etiam infinite misericors et liberalis in adorando altaris sacramento. Maxima proinde spe et fiducia accedo ad te Jesum meum, miser ad Deum, infirmus ad fortem, debilis ad omnipotentem. Accedo securus ad mensam tuam, accepturus ibi nutrimentum animae solidum, cibum potumque fortem, quo alacrius posthac, *in fortitudine cibi illius*, ambulare valeam usque ad montem Dei. Grandis enim mihi restat via, via molesta et difficilis, via dura et angusta. Jam itaque humiliter oro te, Domine! miserere debilitatis meae, et largire mihi gratiam digne manducandi te panem Angelorum: ut exinde roboratus, inoffenso pede ad supernam patriam ambulare, illucque pertingere possim, ubi munificam Majestatem tuam aeternis laudibus prosequar. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animae meae: Dominus meus et Deus meus factus est mihi cibus et potus, cibus suavissimus, potus saluberrimus; vere *fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: iste Deus meus; omnipotens nomen ejus* [1]. Benedicite omnia opera Domini Domino. *Non est sanctus, ut est Dominus; et non est fortis, sicut Deus noster* [2]. In medio cordis mei *fortissimus Deus Dominus* [3]. — Supplex adoro te, Domine Jesu!

[1] Exod. 15. [2] 1 Reg. 2. [3] Josue 22.

Deus de Deo! Omnipotens de Omnipotente! *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios tuos. Quis similis tui in fortibus, Domine? Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti; et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum* [1]. Laus tibi, Domine Jesu! qui assiduam servorum tuorum curam geris. Benedictio et laus tibi, o Deus fortis! qui necessitatibus nostris opportuno tempore subvenis. Dicat inimicus, persequar et comprehendam: secure pertransit populus tuus. Moliatur Jezabel omnia quae potest; minas, quantum vult admoveat: Elias servus tuus, te protegente ac corroborante, non formidat. Quis unquam in te speravit, et confusus est?

Quocirca fiducialiter obsecro te, Deum non modo fortem sed etiam benignissimum, per quem *arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore* [2]: conforta similiter animam meam nimis infirmam, eamque corrobora gratiae tuae auxilio. *Miserere mei, Domine! quoniam infirmus sum;* et adversarii fortes quaerunt animam meam. Sed tu longe fortior illis, tu vere Deus *fortis et potens in proelio*, succurre mihi, servo tuo, qui foliis levior et arundine fragilior, crebros inter tentationum impetus huc illucque vacillat. Ne derelinquas me, Domine Deus, *fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis* [3]. Adesto mihi, precor, adjutor fortis! in pugna spirituali, quo facilius et vitiosam meam consuetudinem deponam, et hostium incursionibus resistam.

---

[1] Exod. 15. [2] 1 Reg. 2. [3] Jerem. 16.

„Me jam pridem ex delictorum coeno emergere conantem, ipsa peccata, quae adversum me invaluere, praepediunt. Quin etiam pestilentissimus humani generis hostis nunquam a mei oppugnatione desistit; cum illi certum in animo sedeat, suis me telis confossum sternere ac profligare. Tu, Domine Jesu, qui mortalium firmissimum es praesidium, esto mihi turris fortitudinis a facie inimici. Tuam opem imploro, in teterrimo hoc certamine constitutus [1].

Eandem victricem gratiam a te, Domine, vehementer efflagito pro omnibus proximis meis, praesertim illis, quorum de salute mihi cura est. Optime nosti, Deus fortis! quot et quantis corruptelarum illecebris exposita sit tota nostra peregrinatio in terris. Corrobora nos igitur adversus hostes salutis nostrae. Auxiliare nobis, o Verbum omnipotens! ut nec minis nec blanditiis hujus saeculi cedamus; neque prosperis seducamur, neque adversitatibus opprimamur. Inimici visibiles aeque ac invisibiles undique nos oppugnant, et in eandem nos secum ruinam pertrahere nituntur. *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini! consurge, sicut in diebus antiquis* [2]. Esto nobis Jesus, et salva nos, sicut jam innumeros salvasti. „Omnem tuam exeree fortitudinem; ut, qui per multa saecula sanctos tuos de periculis liberasti, etiam nos tua fortitudine protegas“ [3].

Domine Deus! ecce tu fecisti coelum et terram in fortitudine tua magna [4]: adesto nobis famulis tuis, neque patiaris tentari nos supra id, quod possumus.

---

[1] S. Ephraem. [2] Isai 51. [3] S. Hieron.
[4] Jerem. 32.

Indigemus adjutorio tuo in hoc itinere peregrinationis nostrae; grandis enim nobis restat via ad patriam, via spinis et laqueis plena. Fac, o bone Deus et fortis, ut per omnes miserias et calamitates, per omnes tentationes et persecutiones, per omnes labores atque fortunae vicissitudines illaesi ac fortes in fide transeamus, tandemque securi perveniamus ad patriam coelestem, ubi nobis, mercenariis tuis, non modo centuplum, sicut in hac vita, sed mercedem dabis magnam nimis, cujus nobis certissimum pignus in altaris sacramento reliquisti. Qui vivis etc.

FERIA V.

Ut libenter fungaris munere confessarii, considera: 1) quam gratum sit Deo; 2) quam salutiferum et necessarium proximo; 3) quam meritorium tibi ipsi; e contra 4) quam damnosa negligentia tibi — aliis etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Nisi tua me animaret immensa benignitas, o Pater optime maxime! esset profecto, cur tuum ingredi sanctuarium timerem, pedemque tremebundus retraherem: ego enim non solum homo miser ac miserabilis, sed et homo peccator sum, indignus proinde, qui in templo sancto tuo sacrificium longe augustissimum offeram. Verumtamen, fide doctus, Filium tuum unigenitum ideo a te fuisse missum in terras, ut carne nostra mortali coopertus *salvum faceret quod perierat:* singulari nunc confidentia templi tui limina tango, et pede intrepido sacri tui altaris gradus conscendo.

„Domine Deus, qui visitasti nos in misericordia et commiseratione, et nobis abjectis peccatoribus ac indignis servis tuis concessisti, ut confidenter accederemus ad sanctum altare tuum, et offerremus tibi venerandum et incruentum sacrificium pro nostris peccatis et ignorantiis populi: respice in me servum tuum inutilem, et dele per viscera misericordiae tuae delicta mea; et pura redde labia mea et cor meum, et idoneum me fac virtute Spiritus tui sanctissimi ad hoc sacrum ministerium Respice me tua bonitate accedentem ad sanctum altare tuum. Et placeat tibi, ut haec, quae offerimus dona manibus nostris, accepta tibi sint; meisque infirmitatibus condones, et non projicias me a facie tua, neque indignitatem meam averseris: sed miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas. Deus, qui propter magnum atque ineffabilem erga homines amorem misisti Filium tuum unigenitum in mundum, ut ovem errantem reduceret: ne averseris nos peccatores, tremendum hoc et incruentum sacrificium attrectantes; non enim de nostra justitia confidimus, sed de benigna misericordia tua, qua genus nostrum redimis. Supplicamus et imploramus bonitatem tuam, ne mysterium hoc, quod ad salutem nobis dispensatum est, in condemnationem populo sit, sed in abolitionem peccatorum“ [1].

Sanctissime Pater! nostram hanc oblationem tibi acceptam faciat ipse Filius tuus Jesus Christus, qui operatus est salutem in medio terrae; qui de coelo descendens in hunc mundum venit, ut genus humanum sal-

[1] Liturg. S. Jacobi Ap.

vum faceret, quod perierat. „Post illam namque humanae praevaricationis primam et universalem ruinam nemo dominationem diaboli, nemo vincula dirae captivitatis evaderet; nec cuiquam aut reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, nisi coaeternus et coaequalis tibi Filius tuus, etiam hominis Filius fieri dignatus esset, veniens quaerere et salvare quod perierat“ [1].

Per virtutem et efficaciam incruenti hujus sacrificii, propitiare tam haereticis, quam ceteris omnibus heterodoxis, eisque fidei donum ac conversionis gratiam misericorditer largire, ne pereant tot animae, ad imaginem tuam creatae. Miserere, clementissime Pater! miserere tot ethnicorum, Turcarum, Judaeorum, haereticorum, atheorum, ac ceterorum infidelium, qui omnes in praesentissimo aeternae damnationis periculo versantur. Efficaci gratia tua praeveni hos miseros, fidei radiis collustra, timore salutari confige, et amica quadam violentia trahe illos ad te, ne tot immortales animae in perpetuum separentur a te. Memento fidel. NN.

PRECES POST MISSAM.

Caritatem tuam gratuitam, Domine Jesu, qua indignos miserosque nos homines amplexaris, satis admirari nequeo. A via veritatis et justitiae aberraverat genus humanum: et ultro venisti in hunc mundum, *quaerere et salvum facere, quod perierat.* Novas quotidie culpas ac negligentias admittit peccatrix anima mea: nihilominus ei denuo tribuisti sacrosanctum corpus et sanguinem tuum in cibum et potum. Quid jam cogitem

---

[1] S. Leo Pap.

aut dicam, nescio. Pro tali amore quid tibi retribuam, Domine, penitus ignoro.

„Maximas interim tibi gratias habeo, Fili Dei! qui propter nimiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, ad filios hominum delapsus es, eorum redemtionem magnificentissime operaturus. Nunc quoque tuam, Domine, imploro clementiam, ut mihi peccatori propitius sis. Largire mihi, Domine Jesu! ob sacrosanctum corpus et sanguinem tuum, quem ego indignus suscepi, ut indulgentiam consequar optatissimam.“ *S. Ephraem.*

„In unione doloris tui, quo causam doloris mei assumsisti, et animadversionem pro peccatis meis suscepisti, Domine Jesu Christe! una cum universitate dolentium et vere poenitentium, confiteor tibi peccata mea, mala commissa, et bona omissa, vel non pure aut negligenter facta, sicut tu ea nosti in numero, pondere, et mensura; et dies perditos vitae meae, in quibus te offendi, et proximum simul in casum traxi. Suscipe, Domine, de miserrima vita mea residuum annorum meorum. Pro his vero annis, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Dies mei sicut umbra declinaverunt et perierunt sine fructu; impossibile est enim, ut revocem eos. Sed placeat tibi, ut recogitem eos in amaritudine animae meae. Domine! profundissimae miseriae meae abyssus abyssum invocat altissimae misericordiae tuae: ne contineas in ira miserationes tuas, et fontem inexhaustae bonitatis tuae circa me exsiccari non permittas propter peccata mea, qui misereris omnium, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Miserere mei, Domine! quia tempus est gratiae et miserationis. Et dum tempus est emendationis, da mereri gratiam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Fac me assueta mala relinquere, et tibi placita opera peragere, ut, ubi abundavit delictum, tua gratia reabundet. Rogo te per temetipsum, et per amorem piissimae Matris tuae Mariae Virginis, et per intercessionem omnium sanctorum tuorum, ut ignoscas mihi omnia peccata mea, neque in finem reserves mala mea. Recordare, Domine Jesu! quia tuum non est perdere quidquam ex eo, quod Pater tuus dedit tibi. Tuum est proprium, misereri semper et parcere, neminem perdere, sed quaerere et salvum facere, quod perierat, quia Pater tuus misit te in mundum, non ut judices mundum, sed ut vitam habeamus per te; ut sis pro nobis, non contra nos. Quod enim debuimus, tu solvisti; quod peccavimus, tu luisti; quod negleximus, tu supplevisti. Proficiat ergo, Domine, nunc et in extremis meis, plenaria imo et superflua satisfactio tua, pretium fusi sanguinis tui, et renovatio satisfactionis tuae, venerabile mysterium corporis et sanguinis tui, ad promerendam in praesenti gratiam, quam non mereor, et ad obtinendam in futuro requiem et gloriam, quam tua nobis amarissima mors impetravit. Imperfectum meum viderunt oculi tui: sed tu, Jesu misericors, ne permittas me deleri de libro vitae. Inclinet te ad misericordiam consideratio fragilitatis humanae, quia nosti, quae sit hominis substantia. Conserva me, opus bonitatis tuae, ne incassum circa me laboraveris, et ne infructuosa sit in me sanguinis tui effusio atque communicatio. Praesta, Domine Jesu! ut emundatus a peccatorum sordibus, et illuminatus acie mentis, cognoscam te, atque agnoscens in directione cordis mei, jugiter ad te tendam et adspirem: ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, o Jesu Christe! qui cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.“ *S. Bernard.*

FERIA VI.

Christi patientiam cognosce: 1) ex passionum multitudine, magnitudine, indignitate; 2) ex passionum duratione (a primo conceptionis momento ad extremum usque halitum); 3) ex libertate, promtitudine, alacritate, qua passus est.

PRECES ANTE MISSAM.

Accedo nunc iterum ad mensam tuam divinam, Domine Jesu Christe! Deus magne et admirabilis! Deus sancte in omnibus operibus tuis. Accedo timens ac tremens ad terrificum illud altaris mysterium, quod nec Cherubim nec Seraphim, nec ullae coelorum virtutes plene valent comprehendere. Tibi soli, Domine Jesu, qui hoc sacramentum instituisti; tibi soli notum atque perspectum est, quanto amoris excessu nos dilexeris ab aeterno; quanta caritate te jam in utero Virginis ad durissima quaeque propter nos peccatores obtuleris, ac etiamnum quotidie pro fidelium salute Patri tuo super aram in hostiam laudis et placationis offeras.

Universi Angelorum ordines, omnes sancti et justi investigabilem hanc dilectionis tuae profunditatem et patientiae tuae magnitudinem obstupescunt, atque sanctissimum altaris sacramentum (ineffabile hoc fidei mysterium) summa animorum demissione venerantur; eoquod teipsum, coeli terraeque Dominum, qui redemturus homines ad tormenta et opprobria in terram descendisti, jam denuo videant pro salute hominum, modo plane mirabili, per manus sacerdotum immolari, a fidelibus manducari, et innumeris impiorum injuriis exponi. O mi Jesu! tam altum est atque excellens opus istud, quod operaris in altari, ut parvitas mea non sine timore illuc

suspicere audeat. Quocirca oro te, patientissime Jesu! largire mihi veram humilitatem ac reverentiam, ut tremendum hoc sacrificium decenter peragam. Amabilissime Domine, qui propter immensam caritatem tuam panis Angelorum et cibus noster esse voluisti, da mihi gratiam tuam, ut panem hunc angelicum ardenter esuriam, et digne comedam. Amen.

Ad Patrem. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus! tibi offerimus hodie augustissimum altaris sacrificium eadem intentione, qua ipse Unigenitus tuus, a primo statim incarnationis suae momento, semet tibi obtulit ad omnia dura et aspera pro nobis subeunda. Offerimus tibi, Pater, omnes illas angustias, aerumnas et molestias, quas Verbum tuum caro factum in utero Matris suae per novem menses toleravit amore nostri. Recordare, benignissime Pater, illius singularis patientiae, qua dilectus Filius tuus, Salvator noster, in utero Virginis existens, obtulit caput suum spinis, oculos lacrymis, genas colaphis, aures blasphemiis, faciem sputis, linguam aceto, manus pedesque clavis, pectus lanceae, totum corpus plagis ac cruciatibus dirissimis. Offerimus tibi sacrificium istud in gratiarum actionem pro bonitate tua, qua nobis tam eximium patientiae specimen in ipso Filio tuo exhibuisti; nec non in plenam expiationem impatientiae nostrae, et in satisfactionem pro injustis querimoniis atque lamentis, quibus et aures aliorum, et vel ipsum quandoque coelum complevimus. Ignosce, Deus, huic nostrae sensualitati, tuamque nobis gratiam concede, ut *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen* [1], aspicientes in eximium patientiae speci-

[1] Hebr. 12.

men Jesum. Fac amantissime Pater! ut in omni eventu adoremus providentiam tuam, et de manu tua paterna quaslibet afflictiones libenter accipiamus. Per hujus sacrificii efficaciam esto propitius tot Christianis impatientibus et delicatis, qui praesentis vitae molestias aut horrent, aut intoleranter ac aegre sustinent. Miserere fidelium illorum defunctorum, qui in vita sua panem tribulationis rigabant lacrymis, et potum amaritudinis cum fletu miscebant, ob admissos autem impatientiae motus adhuc in igne purgante retinentur. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Usquequo patientiam tuam producis, bone Jesu? Ergone amori tuo satis non erat, tantas olim mortalitatis molestias propter me subiisse, quia nunc denuo majestatem tuam adorandam inclinasti ad angustias cordis mei? O caritas admirabilis! o bonitas ineffabilis! Non est similis tui, Domine! et non est secundum opera tua. — Tui sunt coeli, et tua est terra: nulla re indiges, in teipso semper felicissimus. Quid igitur est causae, quod te adeo humiliaveris, et intra Virginalis claustri angustias incluseris te, magne Deus, cujus immensae majestati vel ipsa hujus universi latitudo nimis angusta est? Cur e Virgine pauperima, ex una mortalium Adami filiarum, mortalem assumsisti carnem? Eccur eandem carnem tuam mihi servorum tuorum minimo dedisti manducandam? — Quia videlicet in caritate perpetua dilexisti me: ideo non horruisti Virginis uterum; ideo tam patienter innumera tulisti incommoda; ideo teipsum mihi peccatori jam multoties dedisti manducandum.

Domine Jesu! quis hominum tuis insistere vestigiis

renuat? quis tuam imitari patientiam recuset? Fallitur, quisquis in servitio tuo sperat vel optat vivere vitam ab omni molestia remotam. In mundum venisti, Domine! non ut temporaneam nobis afferres jucunditatem, sed felicitatem perpetuam. Non venisti, nobis comparare transitoria saeculi gaudia, sed aeterna coeli bona; neque venisti praedicare regnum mundi, sed regnum Dei. Non venisti adimere nobis hujus peregrinationis miserias, sed perducere nos ad coelestis patriae delicias. Ad has ut tendamus ardentius, variis nos calamitatibus exagitas; et ne deficiamus in via, tu, panis Angelorum, factus es cibus viatorum. Non ad hoc venisti, o Jesu patientissime, ut mundanam nobis ac perituram acquireres beatitudinem; sed ad hoc venisti, ut hominum mores informares, errores dedoceres, vitia resecares, virtutes implantares, viamque veritatis et vitae monstrares. Ad hoc venisti, o Verbum incarnatum! ut admirabili tua humilitate dissolveres opera diaboli, et patientiae nobis exempla praeberes.

O suavissime Jesu! utinam semper ante oculos nobis constituamus te, qui gravissimas olim molestias invicta pertulisti constantia. Utinam saepius inspiciamus, tanquam in speculum, in praeclarum humilitatis et patientiae tuae exemplum. „Cum tu ipse, Domine Deus omnipotens, causam nostram nimis malam humilitate ac patientia tua bonam feceris, factus obediens Patri usque ad mortem: quantum nos humiles, quantum oportet esse patientes, qui si quid laboris aut doloris accipimus, nunquam nisi nostro merito sustinemus?“ *S. Leo Pap.*

Tuis itaque vestigiis inhaerebo, Domine! et (siquidem dederis gratiam) alacriter imitabor incredibilem patientiam tuam, eamque, quoad potero, adumbrare conabor. Quascumque mihi plagas inflixeris, prompto grato-

que animo de manu tua paterna acceptabo. Et quia fortasse tunc, in ipso tribulationis certamine constitutus, propter multitudinem dolorum meorum, te (ut par est) laudare non potero; jam nunc te laudo, tibique gratias ago. Quandoquidem tam gravia te pro me tulisse incommoda scio, teque panem angelorum in mensa tua quotidie comedo: paratus, paratissimus sum amore tui quaevis adversa patienter sufferre. Id unum a te rogo, Domine! ut mihi constantem rerum humanarum tolerantiam, delictorum veniam, caritatis augmentum, tuamque divinam gratiam et benedictionem impertire digneris. Qui vivis etc.

Die XXIV. Decembris.

VIGILIA NATALIS DOMINI.

Debemus nomen Jesu: 1) praesentare Patri, ut misereatur; 2) nuntiare et invocare super homines, ut salventur; 3) obtrudere daemonibus et tentationibus, ut aufugiant.

PRECES ANTE MISSAM.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater D. N. J. C. qui prior delexisti nos, et misisti Filium tuum propitiationem pro peccatis nostris: clementer respice sacrosanctum et incruentum sacrificium, a nobis hodie peragendum. Benigne suscipe immaculatam hostiam, quam Majestati tuae tremendae suppliciter offerimus in cultum latriae tibi soli debitum, in contestationem supremi dominatus tui in omnes creaturas, et in signum nostrae subjectionis demississimae, simulque in gratiarum actionem pro

universis beneficiis tuis, maxime pro tua caritate perpetua, qua sic dilexisti nos homines, ut ipsum Unigenitum tuum carne humana vestires, eumque *pro nobis omnibus* [1] traderes.

Praeterea, quia Filius tuus ipse est *propitiatio pro peccatis nostris*, o misericordissime Pater! offerimus tibi hoc sacrificium in expiationem et satisfactionem pro cunctis hominum iniquitatibus atque flagitiis. Aspice, Pater, hanc hostiam propitiatoriam oculis misericordiae, et dimitte nobis debita nostra. Multae quidem ac turpes sunt negligentiae atque culpae nostrae, quibus tuam in nos iram atque vindictam quotidie provocamus: major tamen est apud te, Domine, misericordia, et copiosa apud Unigenitum tuum redemptio, qui venit salvum facere populum suum a peccatis eorum; qui etiam pro illis copiosissime tibi satisfecit, peracerbam in cruce mortem obeundo; cujus in memoriam hodie rem sacram facimus, et incruentam tibi hostiam immolamus.

Denique, cum in isto sacrificio prae manibus habeamus Verbum tuum incarnatum, Christum Dominum, omnis gratiae fontem nostraeque salutis auctorem: eundem offerimus tibi, clementissime Pater, ut per nomen ejus, per omnia merita passionis et mortis ejus obsecrantes impetremus, quod meritis nostris impetrare minime valemus. Imprimis autem oro te, Pater amabilissime, pro memetipso miserrimo peccatore, qui prae mille hominibus speciales obtinui gratias a te, at prae mille hominibus magis ingratus extiti erga te. Agnosco et ingemiscens fateor ingratitudinem meam. Quantumvis autem magna sit iniquitas mea, major tamen est oblatio mea, donum majus, quod a me super altare ponitur

[1] Rom. 8.

tibique offertur. *Non sicut delictum, ita et donum* [1]. Donum hoc tibi complacitum Majestatem tuam reddat mihi peccatori placabilem.

Adhuc unum modicum est [2], et introibo ad altare tuum, ad mensam purissimam, ad convivium dulcissimum. *Adhuc unum modicum est*, et manibus gestabo Filium tuum, Jesum meum, qui misericordia motus descendit de coelo, ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum. *Adhuc unum modicum*, et cibabis esurientem animam meam pretioso Verbi tui incarnati corpore et sanguine. O liberalissime Pater! qui mihi donas Filium tuum unigenitum, da mihi, quaeso, cor mundum, et auxilium tuum efficax, ut eundem tibi decenter in altari offeram, et (quoad ejus fieri potest) digne comedam. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Beatus ego, omni ex parte beatus. — Jesum meum habeo; Salvatorem meum carissimum possideo. Nihil deest mihi, quia totus et unicus amor meus, nunc vere meus est. — Complector te ulnis animae meae, Jesu suavissime! tibique debitas refero grates pro admirabili bonitate tua, qua rursum ad me peccatorem divertere dignatus es. De tua in me benevolentia ac caritate non dubito; me namque nisi diligeres, toties ad divinam mensam tuam non admitteres. Utinam et ego semper amassem te, bone Jesu! utinam nullo unquam peccato te Dominum Deum meum offendissem. At culpas culpis, negligentias negligentiis usque adeo cumulavi, ut in elapsos vitae meae annos siccis oculis respi-

[1] Rom. 5. [2] Agg. 2.

cere haud valeam. O me vecordem et ingratum sacerdotem, qui tot bonis et donis, tot gratiis et favoribus, tot diebus et horis, tot sanctimoniae subsidiis ad offensionem Dei Salvatoris mei, ad detrimentum salutis meae turpiter abusus sum! — En, mitissime Jesu! habes fatentem reum. Cor contritum et humiliatum non despicies. Spero ingratitudinis meae veniam ab infinita bonitate tua. Sanguis tuus vivus et pretiosus, qui nunc circumfluit in venis meis, animat fiduciam meam. Ineffabilis tua caritas, qua in mundum venisti peccatores salvos facere, multum erigit spem meam. Quomodo enim metu nimio de peccatis suis poenitens angatur, cujus in corde ipsissima *Propitiatio pro peccatis nostris* moratur?

Angelus tuus, Domine, dixit ad Joseph: *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* O verbum dulce! o solatium suave pro peccatore poenitente! Tuus ille Angelus non a bellis crudelibus, non a barbaris aut tyrannis, non a malis temporalibus, sed quod majus est, a peccatis, a summis malis nos fore liberandos praenuntiavit. *Fidelis sermo et omni acceptione dignus* (1 Tim. 1.) quia venisti in hunc mundum peccatores salvos facere. Jam inde ab origine mundi benignus semper ac clemens fuisti erga homines ingratos. „Homines te contemnentes, a te longe discedebant; tu autem, amans hominum, ad homines venisti. Dilexisti immundos, ut faceres mundos; dilexisti foedos, ut faceres pulchros; dilexisti impios, ut faceres justos; dilexisti infirmos, ut faceres robustos. Captivos dilexisti, ut liberares; perditos dilexisti, ut recuperares; mortuos dilexisti, ut vivificares“ [1].

---

[1] S. Aug.

Et haec dilectio tua, Domine, non erat mercenaria, sed omnino gratuita. Non praevenerunt merita, nec interpellarunt preces, ut nos miseros sic amares. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos* [1], sed secundum magnam misericordiam tuam salvasti nos: oblatus es, quia ipse voluisti. — Da igitur, amantissime Jesu, ut et ego, et proximi mei, quorum salutis cura me tangit, tota animorum intentione diligamus te, atque pro gloria dulcissimi nominis tui nos totos impendamus. Teipsum nobis totum donasti: proin vere dignum et justum est, ut et nos totos ac integros offeramus tibi ad beneplacitum tuum.

„Totus tu noster esto, Domine Jesu, ut nos pariter toti efficiamur tui: aequissimus enim Pater tuus te nobis dedit, ut nostra per te vulnera sanarentur, a Patre tu nobis datus fuisti, et tu volens, lubensque noster factus es. Nobiscum igitur esto semper, o Salvator! cum Dominus noster sis. Quoniam in terris moram nobiscum trahere non dubitasti, nostras admitte preces; et suscipe, quas funduut lacrymas peccatores poenitentes, eorumque piacula omnino dele“ [2]. Largire nobis gratiam, ut aequanimiter feramus hujus vitae miserias. Venisti quidem *salvum facere populum tuum;* attamen non a miseriis et calamitatibus, non ab injustis vexationibus, sed *a peccatis eorum.* Haec vera nos vexant mala, a quibus ut liberes nos, humiliter deprecamur. Effice, Jesu misericors! ut, qui es propitiatio et salus nostra in hoc saeculo, nostra fias merces in futuro. Qui vivis.

---

[1] Tit. 3. [2] S. Ephraem.

Die XXV. Decembris.

IN NATALI DOMINI.

Filius Dei natus est parvulus: 1) ut jam parvulus pro nobis posset pati et satisfacere (imprimis pro peccatis pueritiae nostrae); 2) quo majore fiducia et amore ad eum accederemus („Magnus Dominus et laudabilis nimis, parvus Dominus et amabilis nimis"); 3) ut et nos parvuli fieri disceremus (humilitate, puritate, pietate, caritate).

PRECES ANTE MISSAS.

I.

Misericordissime Pater, aeterne Deus, qui gratificasti nos in dilecto Filio tuo: sanctissima celebrantes altaris mysteria, divinae Majestati tuae debitas referimus grates pro beneficio illo omnium maximo, quod unigenitus Filius tuus in nos contulit, dum propter nos homines homo factus, ineffabili nativitate sua hunc mundum sanctificare dignatus est. „Vere dignum et justum est, nos tibi semper et ubique gratias agere, tuae laudis hostiam jugiter immolantes: cujus figuram Abel justus instituit, agnus quoque legalis ostendit, celebravit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit, sed verus Agnus et aeternus Pontifex hodie natus Christus implevit. Immensae Majestati tuae, misericors Deus, hostiam laudis et gratiarum actionis offerimus, coaeternum tibi Filium pronis mentibus adorantes, qui propter nos infans et egenus factus in praesepi jacere voluit, et pannis involvi" [1]. Hostiam hanc pacificam offerimus tibi, clemen-

[1] Liturg. Leon. et Gregor.

tissime Pater, in satisfactionem iniquitatum nostrarum, et pro impetrandâ ope tua divina, qua summopere indigemus. Praesertim mihi famulo tuo indignissimo largire gratiam tuam, ut decenter hodie peragam tremenda altaris mysteria.

II.

Jesu, Fili Dei! qui temetipsum usque adeo exinanivisti; ut formam servi, formam infantis accipere dignatus sis: *Ne quaeso indigneris, Domine, si loquar* [1]. Cur toties admittis me ad sacra mysteria tua? cur iterato vis subire cor meum, omni vitiorum sorde foedatum? — Quis tu? — quis ego? — Tu summa Sanctitas; ego scelerum sentina. Ergone satis non erat jam semel in stabulo foetenti natum te fuisse, et positum in praesepio? Visne rursum ad me inclinare majestatem tuam, ac collocari in corde meo squalido? — Sed scio, Domine Jesu! miseratio tua vincit te; caritas urget te. Deliciae tuae cum filiis hominum. Ideoque non admittis tantum, sed invitas quoque et vocas nos ad te; nec invitas solum, sed comminaris etiam, affirmans: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* — Attonitus haereo, stupore defigor, — vox torpet, ac mente confusus, quid respondeam, ignoro. *Humiliatus sum usquequaque, Domine!* Haud aliud nunc possum, quam gemens orare: *Miserere mei, Deus, etc.*

III.

Quoniam ita vis, o bone Jesu! iterum ibo ac mensam tuam sanctissimam. Prius tamen supplex te precor,

[1] Gen. 18.

ut animam meam frigescentem accendas ardore caritatis tuae. Fac, ut absque mentis evagatione rem sacram peragere, te corde puro suscipere et amore tenerrimo complecti merear. Veni, Domine Jesu! esto cibus animae meae semper esurientis te: veni, o panis Angelorum! veni, et noli tardare. Sed veniat (obsecro) tecum illa multum desiderabilis bonitas et misericordia tua, ut inde excusetur et adjuvetur miseria mea. Positus es in praesepio velut pabulum animalium: en Domine! *ut jumentum factus sum apud te.* Pasce me denuo: refice me vilissimum jumentum tuum. „Idem sacratissimum corpus tuum, Domine, quod recubuit in praesepio, et Mariae quievit in gremio, verissime percipimus in altaris sacramento, in propria quidem natura, sed sub aliena specie, nec absque maximo sapientiae tuae mysterio“ [1]. Terrificam ibi majestatem tuam abscondis, o Jesu, quo fidentius ad aram tuam accedamus, et tecum familiarius agamus. Veni jam, o dulcissime Salvator! veni in cor meum, ejusque duritiam emolli, et totum in amore tui consume. Amen.

PRECES POST MISSAS.

I.

Fili Dei incarnate! Jesu parvule! Dilecte mi candide et rubicunde! suppliciter adoro te, ingentique perfusus laetitia laudo et glorifico te. Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. O quantum differs ab eo, quod apparebas in praesepio! Hominum oculi plus non vident in te neonato Salvatore, quam corpus exiguum, vagiens et algens in stabulo. At mea

[1] S. Laur. Just.

me fides docet, te esse Deum verum, aeternum, immensum, omnipotentem. Terret me majestas tua: sed erigit bonitas tua. Fidenter amplector te, Pusio amantissime! quia te ideo fecisti tam parvulum et amabilem, ut sine timore te adire possemus. — O Amor mi suavissime! quam mirabilis est clementia tua! — Ut te vitae pabulum ostenderes, natus es in Bethlehem et positus in praesepio. Non erat tibi locus in diversorio, qui nobis aeternas mansiones paras in coelo. Quae te vicit caritas, Domine, ut pro nobis peccatoribus tam parvus fieres atque humilis? — Qui adoraris ab Angelis, natus es in stabulo, ut eveheres nos ad Angelorum consortium. Qui firmamentum coeli tot stellis exornasti, vilibus involutus es pannis, ut nos immortalitatis stola vestires. — O dilectio! o Jesu dulcissime! ne patiaris me in aeternum perire, cujus pro salute tam mirabiliter humiliasti temetipsum.

II.

Vere miranda est tua in nos bonitas, dilectissime Jesu! speciatim vero in me sacerdotem tuum, quem novis quotidie beneficiis cumulas. Qui sedes super Cherubim et Seraphim, qui appendis tribus digitis molem terrae, et coelos palmo ponderas, reclinatus es in brutorum stabulo. — Qui terminis circumdedisti mare, Virginis Mariae brachiis tunc constringi voluisti: nunc autem suavissimo animae meae complexu foveri te sinis. O magna caritatis mysteria! — Coelum sedes tua, terra scabellum pedum tuorum: et tu jacebas in spelunca pecorum propter flagitia hominum. Infans vagiebas in praesepio stabuli, qui tonas fulminasque in nubibus coeli. Tu Deus magnus et terribilis, propter nos peccatores factus es parvulus amabilis. E vinculis de-

lictorum ut eximeres nos, pannis vilibus involutus es. Manus et pedes tuos ibi fasciis ligari permisisti, ne cogaris aliquando nos ligatis manibus pedibusque a te projicere in tenebras sempiternas. Qui coelum pariter et terram moves, immotus jacebas in praesepio. Jesu! parvule dilectissime! qui prae mille aliis hominibus elegisti et dilexisti me *caritate perpetua:* dilectionis flammas in corde meo accende, semperque fove, ut et ego diligam te caritate perpetua. Longius ac longius a me separa, quae separare me possent a caritate tua.

III.

Domine Jesu! Verbum caro factum! ubinam verborum satis inveniam ad digne celebrandam benignitatem tuam? Unde mihi cor satis amplum et ardens ad te satis diligendum? Infinitus amor tuus nimium transcendit tam intellectus quam cordis mei limites. Mortalium nemo capit ingentem caritatem, qua genus humanum complexus es. Tu Patri coaeternus et *Antiquus dierum,* factus es infans unius diei. Vix natus, imbellis puer acuta sentiebas frigora; tremebas in praesepi gelido, qui terrae fundamenta tremore concutis. In spelunca illa tremebas, Deus tremendae majestatis, cujus ad nutum universa natura contremiscit. Judaeorum et tempestatis injurias, hominum et aëris inclementiam aequo tolerabas animo. Jacebas in stabulo ut jumentorum socius, qui fulges in coelo ut Angelorum Dominus. — Te, Regem excelsum prae regibus terrae, non exterruit fimi horror, non speluncae squalor, non brutorum praesentia, non foeni asperitas, non praesepis angustia, non frigoris acerbitas. — Caritas tua ignea superavit haec omnia. O Jesu! fac me imitari patientiam tuam; et qui viatorum in stabulo natus es, effice, precor, ut

angelico pane tam liberaliter hodie refectus, quasi peregrinus super terram, assiduo cursu ad supernam festinem patriam, ubi vivis et regnas etc.

Die XXVI. Decembris.

S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Esto sacerdos secundum exemplum s. Stephani: 1) plenus fide et scientia sacra; 2) studens orationi; 3) diligens inimicos; 4) fervens zelo animarum; 5) fortis in confessione Christi omnimoda.

PRECES ANTE MISSAM.

Fideles nos servi tui, ad thronum divinae Majestatis tuae provoluti, unanimiter oramus: *Pater noster, qui es in coelis*, qui Unigenitum tuum ad nos misisti, ut ipse nobis esset omnium virtutum exemplar; *sanctificetur nomen tuum.* Optamus sincere, vehementerque desideramus, ut gloriosum nomen tuum a cunctis hominibus, praesertim a nobis credentibus digne colatur, morumque nostrorum sanctimonia sanctificetur. Per hoc sacrificium gratias agimus tibi, Pater, pro insigni virtutum documento, quod neonatus Salvator, in praesepio jacens, ad imitandum nobis proposuit.

Adveniat regnum tuum. Da nobis, ut Filii tui exemplo edocti, non quaeramus, quae sunt super terram, non opes, non honores, non delicias, sed regnum tuum, regnum gratiae et gloriae. Eripe nos de potestate tenebrarum, et transfer nos in regnum Filii dilectionis tuae,

ut aliquando mereamur accipere regnum decoris de manua tua.

Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Sancte Pater! haec est voluntas tua, sanctificatio nostra. Ideo misisti ad nos Unigenitum tuum, exemplar omnium virtutum, ut discamus ab ipso morum sanctitatem. Voluntas tua est, ut manducemus incarnati Verbi corpus, et bibamus ejus sanguinem. Quis indignitatis suae conscius id facere auderet, nisi tu ipse unacum Filio tuo peramanter id velles atque praeciperes? Sed quia ita vis, o Deus! fiat voluntas tua.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. O felices nos sacerdotes, qui in domo tua, in vera Ecclesia semper abundamus panibus gratiae et veritatis! Praecipuus autem illic cibus noster est ille panis vivus, qui de coelo descendit, qui quasi venalis exponitur in *Bethlehem*, ceu domo panis. Fac, amantissime Deus, ut panis iste vivus, qui nobis prodest quotidie, quotidie pariter a nobis ea, qua decet, praeparatione, manducetur.

Et dimitte nobis debita nostra, quorum in satisfactionem offerimus tibi hostiam sanctam, ipsum Filium tuum; et per lacrymulas illas, quas in praesepio fudit pro nobis inimicis suis, oramus te, ut condones nobis delicta nostra, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, sectantes vestigia proto-martyris Stephani „Da nobis, quaesumus imitari quod colimus, ut discamus inimicos diligere, quia ejus hodie natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum N. J. C. Filium tuum“ [1].

Et ne nos inducas in tentationem. Imbecillitatis nostrae memores, ad te confugimus, omnipotens Deus!

[1] Sacr. Gregor.

tuamque opem fiducialiter imploramus tot inter discrimina. Auxiliare nobis per virtutem hujus sacrificii, ut, secundum incarnati Verbi tui exemplar, universas saeculi vanitates animose respuamus, neque permittas, ut rerum terrenarum illecebris transversum agamur.

Sed libera nos a malo. Praecipue nos sacerdotes tuos serva, Pater, ab omni fastu, ab auri cupiditate, ab impatientia, ab omni peccato; ut dilectum Filium tuum ad aram digne semper offerre, ac corde puro suscipere valeamus. *Amen.*

PRECES POST MISSAM.

O quam incomprehensibilis est tua in me benignitas, suavissime Jesu! — Indignus sum ad te levare oculos meos, utpote pulvis ego et cinis, terrae vermiculus, peccator nefandus, qui praeter aeternitatem igneam promerui nihil. Ne dignum quidem me fateor, illud osculari praesepe, ubi quondam infans amore mei jacuisti. Et tamen nunc ultro venisti ad me, subiisti miseram cordis mei speluncam, quo familiarius tecum agere possem. O clementiam ineffabilem! En, corde contrito et in spiritu humilitatis, exosculor manus tuas, quas ibi pannis involvi ac ligari passus es, ne ligatis ego manibus aeternum projiciar a facie tua. — Liceat mihi (precor) et genas tuas osculari, quas in praesepio propter scelera mea multa multis rigasti lacrymis, ne fletu aeterno meipsum infelicem miserumque lamentari cogar.

„Puer natus es nobis, o Jesu! non tibi, non Angelis, sed nobis, factus redemptio nostra. Quam felix et amabilis est nativitas tua, Domine, quae depravatam nativitatem nostram emendat, ut, si quem pigeat damna-

biliter esse natum, possit felicissime renasci. Quotquot enim receperunt te, dedisti eis potestatem filios Dei fieri. Gratias gratuitae nativitati tuae, per quam gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Vere tu es puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit. Tu vere bonus parvulus natus es nobis: nostra enim lucra, non augmenta tua, nascendo quaesiisti, qui ideo nasci dignatus es, ut nos humiliatione tua glorificares." *Guerric.*

„O miranda et admiranda dignatio! Tu Deus immensae gloriae propter nos vermis contemtibilis fieri non despexisti. Tu Dominus omnium, conservus servorum videri voluisti: Tu Dominus universorum, qui nullius indiges, inter ipsa tuae nativitatis initia non horruisti abjectissimae paupertatis degustare incommoda. Non erat tibi locus in diversorio, neque cunabula, quae teneritudinem tuam exciperent, habuisti, sed in vili praesepio sordentis stabuli tu, qui terram palmo concludis, reclinatus es: et hoc ipsum praesepe a brutis animalibus mater tua quasi mutuo accepit." *S. Anselm.*

„Bone Jesu! cujus cor non emolliatur, non accendatur ad amorem, non excitetur ad devotionem, non moveatur ad compassionem, si extremam inopiam tuam, admirabilem humilitatem, et ferventissimam tuam erga nos caritatem attendat? O quam cito pro nobis pati coepisti, Domine! Quare autem, o dulcissime Jesu! tam inops et abiectus fieri voluisti? Certe ut beatam nos doceres humilitatem, sanctamque nobis commendares paupertatem." *Ludov. Blos.*

Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: tu autem, et nascens in stabulo, et moriens in patibulo, non habuisti, ubi caput reclinares. Pro te Verbo magno, apparente in carne, nihil erat nisi civitas parva, parens inops, exiles fasciae, praesepe an-

gustum, modicum foenum, curta supellex. In tali rerum penuria natus es, Domine, ut magnum nos paupertatis pretium doceres. O Praeceptor a Deo misse! doce me (precor) e praesepio, tanquam e cathedra, vilipendere honores, divitias, et cetera mundi crepundia, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Fac me imitari tuarum exempla virtutum, quae hominem ad coelos sublevant. Aliud non quaero, nec aliud in votis habeo, Domine, quam ut te, amabilissimum thesaurum meum, semper possideam in tempore ac per omnem aeternitatem. Amen.

Die XXVII. Decembris.

S. JOANNIS APOSTOLI.

S. Joannes exemplar sacerdotis: 1) in castitate; 2) in dilectione; 3) in contemplatione.

PRECES ANTE MISSAM.

Gaudens et exultans, o Pater aeterne, transibo usque ***Bethlehem***, ad domum panis illius suavissimi, qui descendit de coelo, et dat vitam mundo. Festinanter advolabo ad altaris tui praesepium, ubi Filium tuum, Jesum meum, sub panis specie velatum habebo, quem multi reges olim atque Prophetae voluerunt videre, et non viderunt. Illuc propero laetus, ut videam hoc grande Verbum, atque stupendum amoris tui miraculum. Introibo ad altare tuum, optime Pater! ut immolando hostiam laudis, tibi gratias agam pro magna miseri-

cordia tua, quam in nativitate Verbi tui incarnati non solum pastoribus illis vigilantibus, sed et nobis sacerdotibus, cunctisque peccatoribus exhibuisti. Respice, Pater, Unigenitum tuum, infantem amabilem, propter nos jacentem et vagientem in praesepio. Per lacrymas, per gemitus et suspiria hujus nostri Salvatoris (cujus natalem revelasti parvulis, et decorasti miraculis) obsecramus te, ut et noxarum nobis veniam, et tuam efficacem gratiam concedas, ad imitandum illas virtutes praeclaras, quarum nobis specimina dedit neonatus Redemtor noster. Fac, ut illorum more pastorum fide humili accedamus ad tractandum mysterium fidei, quod abscondisti a sapientibus et prudentibus hujus saeculi. Memento etc.

Ad Christum. Jesu, divine Salvator! qui factus infans amabilis, pastores simplices vocasti ad cunas tuas: en nunc magna cum fiducia festino ad mensam tuam, ad illud ineffabile mysterium, quod revelasti parvulis ac credentibus, ut signum gratiae et pacis aeternae. „Domine Jesu! tu dixisti: *Venit filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.* O verba suavia super mel et favum, plena dulcedine caritatis! O bone Jesu! jam laetus et securus, depulsa formidine veneror te Deum verum, tuamque suppliciter adoro Majestatem. Domine! verba vitae aeternae habes: et quo ibo, nisi ad te, o Deus dulcis et amabilis, suavis et mitis?“ [1] „Munda cor meum, Domine Jesu! mundissimo namque Domino mundissima debetur habitatio. Vasculum tuum, quod fecisti, sanctifica, de omni malitia evacua, et imple gratia tua, plenumque jugiter conserva, ita, ut dignissimum habitationis tuae efficiatur templum.

---

[1] Lucas Tudens.

O Jesu dulcissime, benignissime, carissime, desideratissime, amabilissime! tu mihi dulcior melle, nectare suavior, auro pretiosor, cunctisque terrarum divitiis atque honoribus mihi longe carior. Tu scis, occultorum cognitor Deus, quod non solum hoc mundo et omnibus, quae in eo sunt, tu mihi sis carior, sed ipso etiam coelo" [1]. Veni hodie in cor meum, o suavissime Jesu, veni, unicum desiderium animae meae, consolare gementem, refice esurientem. Tu Deus magnus, parvulus factus es, ut parvulos reficeres, non alio cibo, nisi temetipso. Veni, Amor mi desiderabilis! ecce tali reverentia et animi demissione te invito ad me, quali unquam te ad se invitavit amantissimus aliquis servorum tuorum. Et quamvis pauperculus ego nihil Majestate tua dignum praeparaverim, invenies tamen, Domine, quod dedisti mihi, cor contritum et humiliatum, cor simplex et bonae voluntatis. Confido de infinita bonitate tua, quod istius participatio mysterii ad animae meae salutem profutura sit. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Refecisti nunc animam meam cibo potuque suavissimo, Domine Jesu! Ad divinam mensam tuam admisisti me servum tuum inertem. Pane Angelorum nutrivisti me peccatorem, indignum vesci pane hominum. Quomodo satis laudare te potero pro hac liberalitate tua, Domine laudabilis nimis? — Stupore plenus adoro te, o Jesu admirabilis, qui sub panis speciebus candidis velut panniculis involutus, denuo cibus meus esse voluisti.

---

[1] S. Laur. Just.

Suppliciter adoro te, o Deus magne et terribilis, qui pro me factus es parvulus amabilis et panis delectabilis. Adoro te, Fili Dei, antique dierum, qui propter me factus es infans unius diei.

O stupendum super omnia miraculum! — Infans factus es, omnipotens Sermo, per quem omnia facta sunt! Infans in cunis tacuisti, o Verbum aeternum, quod linguas infantium facit disertas! In angusto es positus praesepio, Deus immense, in quo vivimus, movemur et sumus! Vilissimus ego terrae vermiculus in praecordiis meis habeo te Deum infinitum, cujus ante oculos universus terrarum orbis quasi pulvis exiguus, omnesque gentes quasi stilla situlae! Porto in corde meo te Omnipotentem, qui portas omnia verbo virtutis tuae, qui versas gyrum stellarum in firmamento coeli. — Obstupesco dilectionem tuam, nec investigare valeo tuae in me caritatis abyssum. — Quam mirabilia sunt opera tua, Domine! Dum natus es *media nocte*, *claritas* circumfulsit bonos pastores, viros simplices: dum mortuus es in cruce *pleno meridie*, *tenebrae* factae sunt super Judaeos arrogantes et malevolos. Exinde mihi perspicua est divinitatis tuae potentia, cujus a nutu pendent omnia.

Et tu coeli terraeque Dominator, cujus magnitudinis non est finis; cujus majestas nullis circumscripta limitibus: tu propter nos miseros peccatores natus es parvulus, parvulus vere amabilis, quem solus amor parvulum fecit. O Amor! divine Amor! quousque progressus es? quam profunde teipsum inclinasti propter salutem nostram! Devota mente cum Angelis tuis, quos laetos nativitatis tuae nuntios misisti, cantamus tibi canticum illud: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Fac, o bone Jesu! ut et ego, et omnes,

quorum mihi salus cordi est, homines simus bonae voluntatis, ut, qui de origine Adami nos damnabiliter esse natos dolemus, gaudeamus de nativitate tua nos feliciter esse renatos. Effice, precor, ut omnes sacerdotes, praesertim animarum curatores, vigilantibus illis pastoribus similes sint, viri boni, prudentes quidem sicut serpentes, sed et simplices sicut columbae: nam *cum simplicibus sermocinatio tua, et voluntas tua in iis, qui simpliciter ambulant.* Pax tua semper exultet in cordibus nostris. Tu es pax nostra, Domine! tu salus et spes nostra; dixisti enim: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Da igitur, o Jesu amabilis! ut qui toties manducamus te panem vivum, tecum et propter te vivamus in aeternum. Amen.

Die XXVIII. Decembris.

SS. INNOCENTIUM.

Pateris et coronaberis cum ss. Innocentibus: 1) si pateris innocens; 2) si pateris persecutiones, quae fiunt ex odio Christi; 3) si pateris ad defensionem Christi et Ecclesiae.

PRECES ANTE MISSAM.

Talis et tanta est tua in rerum universitatem potestas, aeterne Deus! ut eam nec intelligere, nec admirari satis valeamus. O Pater providentissime, magne consilio et incomprehensibilis cogitatu, qui coelorum astra simul et totius mundi machinam assidue moderaris: intende nunc devotis tibi supplicantium precibus, et concede,

ut, dum hodierna die sanctissimum missae sacrificium in honorem Martyrum illorum innocentium offerimus, id praecipue cedat in gratiarum actionem pro admiranda dispositione providentiae tuae, quae recens natum Salvatorem per fugam in Aegyptum Herodis furori subduxit.

Per merita Filii tui Jesu Christi, *cujus carne alimur et cruore potamur* [1], obsecramus te, o Deus terribilis in consiliis super filios hominum! adesto Ecclesiae tuae in terris militanti et graves inter adversariorum vexationes lugenti. Tu solus illius consolator es atque defensor, qui perversa reprobas impiorum consilia; consilium autem tuum in aeternum manet. Nosti, Deus omniscie, quam occultis hostium insidiis petatur populus tuus, quem elegisti in haereditatem tibi. Obtestamur et imploramus clementiam tuam per merita Filii tui, ad necem ab Herode quaesiti: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*, neque haereditatem tuam hostium faucibus objici patiaris. Quam misera, quam deploranda foret patriae nostrae conditio, si fides inde unacum Jesu aliorsum migraret! Averte hoc malum, bone Deus! et qui nefarium dissipasti Herodis consilium, destrue (quaesumus) infidelium dolosa consilia: *leva manus tuas in superbias eorum, qui super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Esto protector noster, ulciscens in omnes adinventiones eorum. Compesce furorem adversariorum nos persequentium, eorumque machinationes ad nihilum redige: *Pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti;* ut de manu

[1] S. Hieronym.

inimicorum nostrorum liberati, serviamus tibi in sanctitate et justitia, in pace et tranquillitate, omnibus diebus nostris.

Adhaec oramus te, misericordissime Pater! ut ab insidiis diaboli, hostis nostri quam infensissimi, praesertim in hora mortis, tua protectione muniamur. Fac etiam, ut ad exemplum Christi in exilium deportati peregrinationis nostrae miserias indefessa feramus patientia: da nobis in tribulatione virtutem. Ex praecepto denique Filii tui oramus pro persequentibus et calumniantibus nos: miserere hostium nostrorum, iisque errores suos exime. Memento NN.

Ad ss. Innocentes. Vos autem, sancti Innocentes, Martyrum flores! qui Christo recens nato tenella corpuscula vestra, et ipsos infantiae ac innocentiae annos, novelli Martyres consecrastis: intercedite pro me indigno sacerdote, ut debita reverentia et devotione procedam ad altare Dei, et unacum hoc sacrificio meipsum hostiam vivam Deoque placentem offeram, tandemque aliquando vobiscum, o primae Christi victimae, Numen aeternum in coelis possidere ac collaudare merear. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Peregrinus ego in hac lacrymarum valle manducavi denuo panem viaticum, omni dulcedine plenum. In medio cordis mei fero Jesum meum, quem olim Maria et Joseph alternatim tenentes in brachiis suis, deportarunt in exilium, fugientes in Aegyptum. — O Domine Jesu! quomodo satis gratum me tibi praestabo pro hac clementia tua, qua dignatus es iterum ingredi cor meum? Ignorat anima mea, nimio perfusa gaudio, quid dicere, quid agere aut rependere pro tali beneficio debeat. —

Millies interim adoro et glorifico te, dulcissime hospes animae meae! Summa devotione exosculor sacratissimos pedes tuos, o Amor mi suavissime! — Te Dominum Deum meum diligo ex omnibus viribus meis: et utinam sic te diligere possem, prout mereris, et ego cupio. — Aegypti idola corruerunt ad tremendae Majestatis tuae praesentiam. O Jesu, vere praesens in corde meo! si quodpiam hic idolum invenias, prosterne, confringe, procul abjice. Tu es Deus cordis mei: te solum diligere cupio, te solum prae oculis habeo; te solum dilectum meum cogito, jam oblitus exilii mei.

Beati infantes illi innocentes, qui mortifera pro te vulnera, et postmodum a te martyrii coronas acceperunt. Cum miser ego peccator non amplius inveniar in numero innocentium, adjuvante tamen ope tua conabor esse in numero poenitentium. Postquam desivi esse martyr innocens, ero saltem posthac martyr poenitens; et (siquidem mihi praesto fuerit divina gratia tua) omnes exilii hujus aerumnas invicta sustinebo constantia. O Jesu, vitae Auctor, ab Herode ad necem quaesite! ecce, hostes mei machinantur animae meae mortem aeternam. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: Domine, ad adjuvandum me respice. Confundantur et reverantur simul, qui quaerunt animam meam, ut auferant eam. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi. Avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala: ferant confestim confusionem suam.

Ad te, Domine, oculi mei, qui tam mirabiliter infatuasti consilium Herodis, praematuram tibi necem machinantis. Tu unica spes mea, tu solus amor meus, Domine Deus, qui parvulus in Aegyptum fugisti, ut pro me plus operari, pati graviora posses. Tu unica fiducia ac caritas mea, Domine, qui parentum manibus in exilium deportari

voluisti, ut tuis aliquando manibus e crucis arbore suspensus pro me mori posses; qui vel ideo Herodis furori te subduxisti, ut sacrum altaris mysterium adhuc institueres, et ita palam mundo faceres, quod in finem usque dilexeris tuos. Neque enim hodie potuissem manducare te panem vivum, si Herodi datum esset desuper, ense suo demetere te *frumentum electorum*. Semper itaque sperabo in te, Domine, semper amabo te.

Jesu suavissime! qui imbellis adhuc infans, unacum Maria et Joseph, gravissimas exilii molestias ultro subiisti: fac, ut et nos servi tui, exules filii Evae, cunctas vitae hujus calamitates aequanimiter feramus. „Tenella infantia tua a persecutoris gladio tuta non fuit; jam ex tunc, o bone Jesu, pro nobis pati coepisti. Non solum autem crudelem illam infantiae tuae vexationem in teipso, sed et mortem pertulisti tunc in pusillis tuis, quorum multa millia inter ulnas matrum propter te Herodis trucidavit immanitas“ [1]. Gravissimas subinde persecutiones sustinet Ecclesia tua. Imo vero tota christiani hominis vita, si fuerit evangelio tuo conformis, appellatur *martyrium diuturnum*. Da igitur, amantissime Jesu! ut illaesi transeamus per ignem et aquam; finitoque hujus exilii martyrio educamur in refrigerium. **Amen.**

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATALIS DOMINI.

Jesus positus est: 1) „in ruinam“ sacerdoti malo; 2) „in resurrectionem“, exaltationem, sacerdoti bono.

---

[1] S. Anselm.

(Considera, quomodo utrique ad hoc conducunt doctrina, quam praedicat; gratiae, quas accipit; functiones, quas exercet.)

PRECES ANTE MISSAM.

Confiteor tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus! quia cinis ego sum et pulvis, miser peccator, et longe indignissimus, qui obvertam oculos meos sanctissimae illi mensae, ubi Filius tuus in sacrificium perquam tremendum mystice proponitur: nimis enim frequenter ausus sum contradicere Christi evangelio, non lingua sed moribus, non verbis sed operibus. — Attamen nunc dolens de peccatis meis, ac confidens de miserationibus tuis, humique provolutus ad thronum gratiae tuae, intendo nunc omni possibili amoris et devotionis affectu sanctum altaris sacrificium divinae Majestati tuae, cui soli debetur, offerre juxta omnes intentionum sublimitates mihi actu possibiles.

Insuper offero tibi, Deus, omnia merita, totamque vitam et passionem, humanitatem et divinitatem incarnati Verbi tui. In unione horum omnium offero pariter integram plenitudinem donorum ac meritorum beatae Mariae semper Virginis ac omnium sanctorum tuorum, unacum omnibus sacrificiis et orationibus totius Ecclesiae tuae, per orbem universum dilatatae. Haec omnia simul juncta offero tibi, clementissime Deus, per manus Unigeniti tui, in virtute Spiritus sancti, ad majorem nominis tui honorem et gloriam, in unione illius caritatis perpetuae, qua nobis dedisti Filium tuum, et qua iste, humanam indutus naturam, sacrificium hoc instituit, institutum offerri quotidie voluit, et semetipsum in ara crucis obtulit, et nunc in coelis ut advocatus noster, tibi vulnerum suorum cicatrices ostendendo, seipsum incessan-

ter offert; in unione denique intentionis, qua ullus unquam devotus sacerdos novi testamenti sacrificavit, aut sacrificare potuit et debuit.

Eucharisticum hoc sacrificium offerimus tibi, munificentissime Deus, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, quae integro hoc anno in nos homines ingratos contulisti; simulque veniam deprecamur improbitatis nostrae, qua tot bonis et donis tuis ad tui ipsius offensam abusi sumus. Suscipe, quod in altari offerimus, munus pretiosum, in satisfactionem iniquitatum nostrarum. Bone Deus! propitius esto nobis peccatoribus, ut amarissima Filii tui passio non sit nobis in ruinam, sed in resurrectionem et in remedium sempiternum. Largire nobis, Optime Maxime! per incruenti hujus sacrificii virtutem, ut Verbum tuum caro factum non sit nobis in signum contradictionis vel reprobationis, sed in signum salutis aeternae; consolare moerentem Ecclesiam tuam, cujus animam pertransire non cessat gladius doloris acutissimus ob ingentem improborum ruinam, qui a fidei signo dilapsi, exploratae contradicunt veritati. Fac, o Deus misericors! ut increduli resipiscant, a lapsu resurgant, et ad catholicae signum unitatis conveniant: ut Ecclesia, ubi vitiorum zizania praevaluisse doluit, bonum ibi semen evangelii denuo germinare gaudeat. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Gratias ago tibi, Domine Jesu, pro immenso hoc tuae largitatis thesauro, quem nunc in me iterum effudisti copiosissime. Pro isthoc, et pro omnibus beneficiis tuis, quibus indignum me famulum tuum a primis vitae annis ad praesentem usque horam cumulasti, scio, me

tibi undequaque obligatum esse atque obstrictum: penitus autem ignoro, Domine, tantas beneficentiae tuae reddere grates, quantas et debeo et cupio. Quocirca universas invoco creaturas, tam visibiles quam invisibiles, ut mecum et pro me glorificent adorandum nomen tuum. Laudent te omnes Angeli et sancti tui, qui throno gloriae tuae adsistentes, incessabili voce te sanctum proclamant. In aliquale tamen grati animi signum offero tibi meipsum totum, cum ardentissimo desiderio fidelius tibi deinceps serviendi, vitia resecandi, vitamque ad omnem virtutis normam exigendi. Sed infirmus ego et miser homo, quid possum sine te?

„Timor et tremor agitat me, quoniam ad omne opus bonum me imparatum et segnem, ad omne vitium vero me proclivem video. Similis sum mercatori ignavo, qui jacturam quotidie facit totius summae simul et lucri. Sic et ego miser detrimentum bonorum patior coelestium, variis praepeditus vanitatibus, quae ad mala me pertrahunt. Nondum in me pessima cessat inertia. Ah! quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem assidue coram te, Domine? — Verumtamen tu positus es *in resurrectionem multorum*. Manum itaque mihi humi jacenti porrige. Surgere enim cupiens, non possum, quia peccati pondus me premit, et pessima me consuetudo fatigat. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Exaudi me propter benignitatem tuam, et ne repellas deprecationem meam: exorare, bone Jesu! non propter justitias meas, quarum exiguus aut fere nullus est numerus; sed propter miserationes tuas, quarum infinita est multitudo. Salvam fac animam meam tribulatam a morte, qui vitae ac mortis potestatem habes.“ *S. Ephraem.*

Domine Jesu! qui dilectissimae Matri tuae Mariae

Simeonis ore praenuntiasti gladium doloris; fac, ut quoad vixero nunquam obliviscar dolorum ac cruciatuum tuorum, quorum et ego causa extiti. Quomodo posthac conqueri potero de tribulatione mea, cum probe sciam, et te in cruce, et Matrem tuam juxta crucem, acerbissimos sustinuisse dolores? Fac, ut in adversis spiritus poenitentiae mihi patientiam suggerat, et amarissimi doloris gladius pertranseat animam meam ob peccata mea propria et aliena. Non absque intimo animi dolore video, Domine, quam insano furore tibi contradicant increduli. Utinam miseros istos homines ad te, ad evangelii tui lucem e tenebris errorum evocare possem; certe nec tempori, nec labori, nec sanitati, ne vitae quidem parcerem. Sed in me non inveniq, unde id praestare valeam. Tu solus, Salvator omnipotens, mortalium corda versas in manu tua, et quocumque volueris, inclinas illa. Miserere tot animarum immortalium, quarum salus a tua ipsius miseratione pendet. Esto nobis omnibus, non in ruinam mortis, sed in resurrectionem vitae aeternae. Amen.

Die XXIX. Decembris.

Praesepe Domini est: 1) cathedra doctrinae; 2) altare sacrificii; 3) thronus beneficiorum.

PRECES ANTE MISSAM.

Unigenite Fili Dei, qui es in sinu Patris, quam mirabilis est tua in nos benignitas! Ut pro nobis peccatoribus sacrificium passionis ac mortis in cruce posses

offerre, carnem nostram induere et ex Maria Virgine nasci dignatus es. Tu es Veritas aeterna, terris ac coelis antiquior, de terra orta et incarnata propter nostram salutem. Credo in te, o Veritas amabilis! Quaecumque docuisti, credo, praecipue illud fidei dogma de reali praesentia tua in sacra eucharistia. ***Fides ex auditu*** (ait Apostolus tuus); ***auditus autem per verbum Christi.*** En audio te, o Veritas caro facta! audio promittentem atque dicentem: ***Panis, quem ego dabo, caro mea est.*** Audio et implentem promissa: ***Accipite et comedite, hoc est corpus meum.*** Credo tibi haec loquenti; quia Veritas es aeterna, quae nec falli nec fallere potest. Ne stupenda hujus sacramenti novitas et beneficii magnitudo fidem nostram superaret, incarnationis tuae mysterio in antecessum confirmasti mirandum eucharistiae mysterium. Quemadmodum enim credo, te Deum Verbum ineffabiliter esse incarnatum per hypostaticam unionem: ita firmissime credo, panem mirabiliter fieri corpus tuum per transsubstantiationem; et sicut credo, corpus tuum in utero Mariae Virginis esse conceptum obumbrante Spiritu sancto, conjunctione prorsus admirabili: ita pariter credo, eucharisticum panem converti in corpus tuum, virtute verborum tuorum, transmutatione prodigiosa. Domine! auge fidem meam; erige spem meam; accende caritatem meam. Jesu clementissime! qui in hanc lacrymarum vallem descendisti propter me, veni nunc iterum ad me, et inclina te ad profundissimam vilitatis meae vallem. De profundis clamavi ad te, Domine! veni precor, in cor meum, o Veritas incarnata, ut ibi loquaris mihi servo tuo, doceasque me vias tuas.

Ad Patrem. Benignissime Pater! qui genus humanum misere lapsum non abjecisti, sed inenarrabili

bonitate tua per Filii tui incarnationem erexisti, et ad veritatem reduxisti: suppliciter exoramus tremendam Majestatem tuam, ut, quod in honorem tuum et in testimonium nostrae subjectionis offerimus, missae sacrificium oculo benigno respicere et acceptare digneris, in gratiarum actionem pro stupenda illa caritate, qua coaeternus tibi Filius, servi formam indutus et positus in praesepio, seipsum obtulit tibi in sacrificium pro peccatis nostris. Recordare, bone Deus, omnium aerumnarum, quas Unigenitus tuus pro nobis pertulit in terris: et auxiliare nobis, ut calamitates nostras, quas juste patimur, ad exemplum Filii tui libenter ac gratis animis sufferamus. Pater misericordissime! qui non vis mortem peccatoris: enixe rogamus Clementiam tuam pro singulis peccatoribus, pro infidelibus atque haereticis, qui diaboli (patris mendaciorum) laqueis irretiti, in deploranda veritatis ignorantia versantur tuosque servos aeternae veritati addictos injusto persequuntur odio. Ah Pater! ignosce illis; non enim sciunt, quid faciunt. Aufer duritiem ac caecitatem cordis eorum, quo citius resipiscant, minas tuas metuant, gehennam expavescant, et, excusso peccati jugo, in viam justitiae et veritatis redeant. Per merita Unigeniti tui, qui est in immenso sinu tuo, miserere incredulorum hominum, et abundantes gratiarum divitias super illos effunde, ut errorem suum agnoscant, Ecclesiam audiant, et increatae Veritatis oracula fideliter accipiant. Da illis cor docile atque morigerum, ut gementes ac dolentes super cunctis abominationibus suis, absque mora salutarem poenitentiam (secundam post naufragium tabulam) amplectantur, eamque constanter ad mortem usque retinentes, digni aliquando efficiantur, qui lucem veritatis aeternae sine fine nobiscum intueantur in coelis. Memento N. N.

PRECES POST MISSAM.

Hospitaturne igitur in corde meo suprema Veritas? ergone apud me Veritas adoranda, Veritas omnipotens, quae fecit coelum et terram? — Utique, Domine! tu vere nunc es in brachiis animae meae. Ita credo, ac fide viva projicio me ad pedes tuos, humiliter adorans te Veritatem increatam, quae de terra orta est, et ante terram fuit ab aeterno. Maximo jam efferor gaudio de familiari hac praesentia tua, o Solatium meum unicum, mihique super omnia dulcissimum. Admiror et pro viribus meis glorifico beneficentiam tuam, mitissime Jesu, qui temetipsum mihi vere dedisti in cibum et potum. Gratias ago tibi, Domine, non solum pro ineffabili hoc beneficio, quod mihi nunc tribuisti, sed etiam pro stupendo illo amore, quo tu coelestis Veritas de terra oriri, de Virgine nasci, et in vili praesepio reclinari voluisti.

Jam ibi praevidisti cunctas injurias, vexationes, ignominias, funes, alapas, sputa, flagella, spinas, clavos, crucem, et cetera crudelitatis instrumenta, tuo sanguine riganda. Sponte tamen atque libenter ingentem illum injuriarum cumulum in humeros tuos suscepisti propter peccatores, quorum primus ac postremus ego sum. O Veritas amabilis! quidquid boni fecisti in mundo, id non pro te fecisti, sed pro hominibus; et quidquid malorum in terra pertulisti, id ab hominibus et pro hominibus pertulisti. Caritas sola te traxit in mundum; caritas inclusit in uterum; caritas duxit in stabulum; caritas posuit in praesepio. O caritas, o fortis dilectio, quae te supremum universi monarcham eo inclinare potuit, ut descenderes in terram, qui fuisti ante terram. Quis non miretur hoc prodigium miserationis tuae, hoc grande

opus redemptionis nostrae? Quis audire te renuat, o Veritas amabilissima? —

Dixisti aliquando: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* O Jesu mi dulcissime! perlibenter audio te, mireque gaudeo, si vox tua sonet in auribus animae meae. Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Saepe mihi sacerdoti tuo loquere, Veritas aeterna! et doce me facere voluntatem tuam. A vanis hominum colloquiis ac congressionibus abstrahe animam meam: duc eam in solitudinem, et loquere ad cor ejus. Trade mihi, quaeso, scientiam sanctorum, quo salubriora proximo dare monita valeam. Fac, ut veritatem unice diligam, ne mendacium vel dolus inveniatur in ore meo, dum ipsissima Veritas quotidie commoratur in corde meo.

Domine Jesu! miserere tot infelicium hominum, qui, perniciosis novatorum mendaciis decepti, versantur in errorum tenebris, sedentque in umbra mortis. Aperi caecorum oculos lumine gratiae tuae, ut rejecto mendacio te Veritatem diligenter quaerant, studiosius audiant, ac constantissime teneant. Tu solus emendare vales infidelium animos, falsis imbutos opinionibus. Omnia tibi possibilia sunt, o Veritas omnipotens! et quemadmodum illimitata est potentia tua, ita et bonitas tua prorsus investigabilis est. Nam in illo tempore, quo mendacium in domibus regum, tanquam in solio collocatum, regnabat hominumque cordibus dominabatur, in mundum venisti, aeterna Veritas, et in stabulo te collocari permisisti. — Cum nefanda ubique crimina grassarentur, tunc infinitam majestatem tuam sub imbecillis parvuli forma velasti, et fulminum loco, queis mendaces filii hominum tuno conteri meruerunt, tenerrima solum

emisisti suspiria, et sincerissimas effudisti lacrymas. Per easdem obsecro te, Jesu suavissime! da mihi meisque omnibus compunctionis spiritum, ut sine intermissione defleamus iniquitates nostras. Utinam modo lacrymis totus diffluerem! Felix hora, qua lacrymis madet facies; anima autem suavissimo te stringit amplexu! — Vere beati, qui lugent! In coelis absterges omnem lacrymam ab oculis nostris, quibus amoenissimam Veritatis lucem conspecturi sumus in aeternum. Amen.

Die XXX. Decembris.

Jesus (Emmanuel) sit: 1) in corde nostro (per gratiam, meditationem, orationem, virtutes); 2) in ore nostro (inprimis in praedicatione — conversatione); 3) in operibus, moribus, functionibus nostris (per rectam intentionem et implorationem divini auxilii, conformitatem cum ipso etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Erubesco, et valde timeo apparere coram te, Domine Deus, Pater aeterne, si attentius cogito, quam magna et incomprehensa sit tua majestas, et quam exilis parvitas mea. Cur non trepidet, non metuat vilissimus terrae vermiculus adrepere ad thronum gloriae summi Dei, et intrare sanctuarium illud terrificum, ubi Emmanuel, Rex regum habitat, circumdatus ingenti Angelorum exercitu. Quid igitur? an ingrediar ego — in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Quomodo peccator ego miserrimus adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine? Quomodo,

Pater, praesumam ego Filium tibi coaequalem ac coaeternum contingere manu, imponere linguae, suscipere corde? — O quam devote reverenterque sacerdotes sancti et dilecti tui coram te in oratione versati sunt! Indignus autem ego famulus tuus, heu! quam parum devotionis ac reverentiae praemefero! quam oscitanter segniterque praeparo me ad celebrandum altaris mysterium!

Pater clementissime! ne respicias peccata mea, sed respice in faciem Christi tui, Emmanuelis, Salvatoris nostri, quem hodie tibi offero ad honorem et gloriam sanctissimi nominis tui; nec non in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, speciatim vero pro admirabili bonitate tua, qua ipsum Unigenitum tuum ad nos in terram misisti, ut isthic usque ad consummationem saeculi esset *Emmanuel*, auxilio, solatio, et amore eucharistico *Nobiscum Deus*. Offero tibi, Pater, sacrificium istud in expiationem scelerum nostrorum, simulque ad impetrandam opem tuam divinam nobis summe necessariam. „Da, quaesumus, populo tuo inviolabilem fidei firmitatem; ut, qui Unigenitum tuum, in tua tecum gloria sempiternum, in veritate nostri corporis natum de Maria Virgine confitentur, et a praesentibus liberentur adversis, et mansuris gaudiis inserantur“ [1]. Memento etc.

Ad Christum. Jesu suavissime, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum! qui in hunc mundum venisti, ut nobiscum familiariter conversari posses: te hodie cordis mei hospitio suscipere cupio. Te possidere ac complecti vehementer aveo. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad

[1] Sacr. Leon.

te, Deus, quem laudant Angeli, quem adorant Dominationes et tremunt Potestates. Quam bene consuluisti fragilitati meae, dum majestatem tuam formidabilem ante oculos meos abscondisti! haud enim mihi tantum sumerem, ut tuum adirem altare, si forsitan (ne dicam teipsum) conspicerem Angelos tuos aram cingentes. Et ideo contegis te speciebus eucharisticis, quo confidentius accederem te. Abjecto igitur timore fiducialiter intrabo sanctuarium tuum, ut offeram te Patri tuo coelesti, reficiamque animam meam inaestimabili Angelorum pane.

Ad B. V. Mariam. Maria, Mater gratiae, Virgo Domina nostra! vere te Dominam confitemur, quae Deum-Hominem peperisti: per te nobiscum in terris habemus altissimi Filium; per te mitissimus ***Emmanuel, nobiscum Deus*** habitat in templis nostris. Intercede pro me et pro singulis consacerdotibus meis, ut emundentur corda nostra ab omni vitiorum contagione, ac ornentur omni virtutum decore, ne indigne tractemus tremenda altaris mysteria, sed, ut par est, sancte participemus sacrosanctum corpus et sanguinem incarnati Emmanuelis. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Quanto possum maximo reverentiae et devotionis affectu pedibus tuis advolutus, adoro te, Domine Jesu, Emmanuel ac Redemtor noster! Adoro te Deum verum, cui nec oblivio quidquam aufert, nec memoria reddit; cui praeterita non transeunt, nec futura succedunt. Te suppliciter adoro Deum-Hominem, quem tristia non perturbant, nec laeta demulcent; cui summa potestas, perpetuum regnum, et sine fine imperium. Tu mecum es

in corde meo, verus Emmanuel, Deus incomprehensibilis! qui ante omnia saecula fuisti, in omnibus saeculis es, et in omnia saecula semper eris. Tu mecum es, adorande Deus! qui fecisti terram in fortitudine tua, qui praeparasti orbem in sapientia tua, et prudentia tua extendisti coelos; qui facis mirabilia magna solus. Temetipsum personaliter mecum habeo, Emmanuel! Deus de Deo! qui infinitus es in magnitudine, omnipotens in fortitudine, summus in bonitate, investigabilis in sapientia, terribilis in decretis, justus in judiciis, copiosus in misericordiis, verax in promissis, et sanctus in omnibus operibus tuis.

Utinam iisdem te laudibus prosequi possem, Domine, queis tot Angelorum et sanctorum millia te glorificant in regno coelorum. Nimis multum, imo omnia tibi debeo Jesu dilectissime! quia propter me de coelo venisti, humanam naturam induisti, teipsum in ara crucis obtulisti, mihique jam denuo te manducandum dedisti. Quomodo satis digne magnificare te potero? Verba mihi desunt ad laudandum ac glorificandum te, o Verbum misericors et omnipotens! Dico interim, quod valeo; donec me jubeas illuc venire, ubi dicere potero, quod te decet et me oportet. — Ideoque supplex oro te, ne respicias ad id tantum, quod dico; sed potius ad id, quod dicere cupio. Desidero effari de te, quod oportet; quia te decet laus, te decet hymnus, et tibi debetur omnis honor et gloria.

Tua in nos caritas immensa omnino atque perpetua est. Vae mihi, si tuam hanc caritatem caritate mutua compensare praetermittam. Quam sincere te diligam et diligere cupiam, haud ignoras, occultorum cognitor Deus! — Utique Domine! tu omnia nosti: tu scis, quia amo te ex tota anima mea. Tu nosti, quia omnibus,

quae in coelo et in terra sunt, tu mihi longe carior, acceptior et amabilior es. Facile perspicio, Domine, transitoria saeculi bona non ea esse, quae diligi mereantur; sed te, Bonum aeternum, omni amore meo esse dignissimum. Ideoque diligo te ex toto corde meo. Et quoniam in dies ardentiori te caritate complecti cupio, ideo precor et obsecro te per illum amorem tuum, quo in hunc mundum venisti, ut in pectore meo caritatis ardorem magis ac magis inflammare digneris.

Accende pariter ignem divini amoris in cordibus proximorum meorum, praesertim illorum, pro quibus orare debeo. Excita (precor) in omnibus nobis tuae caritatis flammam, ut omnes amore communi, quasi uno corde junctisque animarum viribus, diligamus te, o Jesu! Esto nobis verus *Emmanuel, nobiscum* in adorando altaris sacramento, *nobiscum* in templi tabernaculo, *nobiscum* solatio et gratiae auxilio, *nobiscum Deus* in tentationibus et adversis, *nobiscum* in vita et morte, *nobiscum* in tempore et aeternitate. Fac etiam, ut nos tecum simus, semperque tecum maneamus: tecum in amore, tecum in gratia, tecum in certamine, tecum in passionis amaritudine, tecum in dura cruce, tecum in tempore, tecum in aeternitate, tecum sine fine beati. Amen.

Die XXXI. Decembris.

Considera: 1) annus quam rapide sit elapsus; 2) beneficia divina quam large tibi collata; 3) ratio quam severa de utroque reddenda.

PRECES ANTE MISSAM.

Liberalissime Pater, omnipotens aeterne Deus, qui hoc anno jamjam elapso plurima in nos beneficia contulisti: ecce, ingrati nos peccatores vix audemus ingredi sanctuarium tuum, ac comparere coram tremenda Majestate tua, quam (proh dolor!) innumeris quotidie flagitiis offendimus. Vere bonus et longanimis es Dominus: et ipsa haec infinita bonitas tua nostros sic erigit animos, ut iterum ad thronum misericordiae tuae fiducialiter accedamus. Sic enim dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ne pereant homines, sed habeant vitam aeternam. In hoc manifeste apparuit caritas tua in nobis, quoniam Filium tuum misisti in hunc mundum, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

Eundem tuum Unigenitum, Salvatorem mundi, offerimus tibi, Pater adorande; in cultum latriae tibi soli debitum; — in gratiarum etiam actionem pro stupenda caritate tua, qua Filium tuum unicum ad nos in mundum misisti; maxime vero pro beneficiis tuis spiritualibus et corporalibus, quae per integrum hunc annum accepimus a te Patre nostro munificentissimo. — Offerimus tibi hoc missae sacrificium in satisfactionem nefandorum criminum nostrorum, quibus tuam in nos iracundiam quotidie provocamus. In plenam expiationem harum culparum immolamus tibi hostiam propitiatoriam, humiliter deprecantes, ut eam ratam acceptabilemque habere digneris, in unione illius amoris, quo Filius tibi coaeternus mortalem indutus est carnem, et in cruce mortuus, ut per eum viveremus in aeternum. Largire nobis, optime Pater, ut gratuitam hanc dilectionem tuam agnoscentes, diligamus te super omnia: ut, quemadmodum

Salvator mundi pro nobis innumera fuit operatus et passus, ita et nos amore tui cunctas vitae miserias aequissimis feramus animis. Memento etc.

Ad Christum. Domine Jesu! Salvator mundi! singulariter in me benignus es, dum et ultimo hoc anni die admittis me ad sacram mensam tuam. Timeo quidem altare tuum adire, propriam intuens vilitatem meam, et divinae Majestatis tuae magnitudinem. Attamen fiducia redit, quando amabilem te infantem in cunis aspicio. Homo factus es mortalis, ut tua nobis morte vitam acquireres aeternam. Per te, o Salvator mundi, facti sumus ex diaboli mancipiis filii Dei, ex inimicis amici, ex servis liberi, ex alienis cohaeredes tui. Per te fiduciam habemus accedendi ad Deum, conscendendi aras, fundendi preces, impetrandi postulata, consequendi veniam, promerendi gratiam, obtinendi gloriam. Sponte suscepisti miserias nostras, ut nobis post hujus peregrinationis aerumnas tua denique bona tribueres, non caduca, non transitoria, sed aeterna, sed coelestia, sed divina. Resumto jam spiritu propero ad altare tuum, o Salvator mundi! ut ineffabilium particeps fiam donorum tuorum. Praepara tibi ipse dignum in corde meo habitaculum; et qui corpus assumsisti humanum, ut omnis, qui credit in te, non pereat, sed habeat vitam aeternam: effice, precor, ut corpus et sanguis tuus custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Sic ergo dilexisti me, Domine Jesu, ut ipse personaliter venires ad me? Tune sic dilexisti me, me peccatorem ingratum, ut teipsum mihi jam denuo dederis comedendum? — O mysterium longe transcendens angustos humani intellectus limites! — Quis digne po-

terit laudare te, te inexhaustum bonorum fontem? te profundissimum bonitatis oceanum? Novis in dies me beneficiis cumulas, bonis et donis exornas. Quid retribuam tibi, Salvator mundi, pro tantis beneficiis, quibus me hactenus per singulos anni dies obruisti? Etiamsi beatorum Angelorum scientia et potentia mihi foret, nihil tamen huic amoris tui incendio par aut dignum quidquam retribuere possem, nec exiguitas mea sufficeret ad rependendas tibi laudes debitas, quia omnem scientiam superat inaestimabilis tua caritas.

Salvator mundi! propter nos homines, innumeris peccatis obnoxios, venisti in hanc terram, et inclinasti majestatem tuam ad istud scabellum pedum tuorum, totum in maligno positum. Propter nos peccatores, ex terra et cinere factos, vagiebas infans in cunis, ne fletus et stridor dentium sors nostra sit in aeternum. Estne possibile, o Salvator mundi! ut ista quis credat, quin te diligat? te, qui bonitate, pulchritudine, majestate, potentia, et omni perfectionum genere omnem cogitatum mentis creatae infinite superas? O Amor sine principio! qui semper dilexisti me, jamque tum me dilexisti, dum neque sentire id, neque dignoscere poteram. Fecisti me quod sum, et dedisti quod habeo. O Amor mi dulcissime! quoties anno jamjam transacto factus es cibus et potus animae meae? Quot in me beneficia contulisti, ac confers quotidie? Praeter haec omnia mihi promittis adhuc infinite plura, bona longe majora, gaudia nullis saeculis terminanda. O caritas sine intermissione, sine inconstantia! O ignis semper ardens, et nunquam deficiens! Num cor me habere crederem, si te non semper diligerem?

De me prius cogitasti, bone Jesu, quam ego poteram cogitare de te: nec cogitasti de me, nisi ut beneficiis

obrueres me. Quod meditatus es de me in aeternitate, penitus executus es in tempore. Larga manus tua, Salvator mundi, magnos in me bonorum thesauros effudit. Ingrati animi mei vitia non poterant extinguere ignem tuae caritatis, non obstruere fontem misericordiae, non inhibere torrentem munificentiae. — An usque adeo cor meum obduruit, ut Jesum meum non diligam, qui seipsum mihi donat, postquam cetera donavit omnia? — Quid? ego non diligam Jesum meum, qui venit quaerere et salvare me ex illo profundo profundissimo, quo mea me praecipitaverunt flagitia? — Non diligam Jesum meum, qui a die nativitatis suae usque ad mortem crucis infinitos pro me suscepit labores et dolores, ut improbus ego non peream, sed habeam vitam aeternam? — Imo vero maxima te caritate complector, o Jesu suavissime! Salvator mundi! Utinam et ego pro te magna operari, multa pati possem! utinam totum me pro te sacrificare possem! At ex meipso quod possum, parum est, nihil est. Ideoque te summis obsecro precibus, ut, quod deest mihi, ex abundantia caritatis tuae supplere digneris. Amen.

DIE I. JANUARII.

1) Primus anni dies insinuat tibi, cur salutem tuam hoc anno strenue operari debeas; 2) festum circumcisionis insinuat tibi, quomodo salutem tuam operari hoc anno debeas, sc. a) circumcidendo (peccata, occasiones, delectationes sensuales etc.); b) in nomine Jesu.

PRECES ANTE MISSAM.

In multitudine misericordiae tuae introibo domum tuam, Pater coelestis! adorabo ad templum sanctum

tuum in timore tuo. Sacerdos ego, licet indignus, adibo altare tuum, et in nomine Jesu Christi Filii tui levabo ad te manus meas. Exaudi vocem deprecationis meae, dum oro ad te, dum extollo manus meas in templo sancto tuo. Pater aeterne, qui gratificasti nos in dilecto Filio tuo Jesu: tibi offerimus hodie novi testamenti sacrificium, in contestationem nostrae subjectionis in dominium tuum, gratias simul agentes pro paterna longanimitate tua, qua nobis socordibus servis tuis et vitae et gratiae dies prorogare dignatus es. O quot homines interim misere perierunt! quam multi peccatores improvisa morte correpti jam ardent in igne inextinguibili! nobis autem misericorditer pepercisti, quin imo nova in dies beneficia dedisti. Utinam tuae in nos munificentiae respondissemus! Sed proh! quam ingratos nos hucusque praebuimus! —

„Pater clementissime! in plenam expiationem et satisfactionem pro omnibus peccatis et negligentiis nostris, et in perfectam suppletionem meritorum, quae nobis desunt, offerimus tibi Filium tuum Jesum Christum, Redemtorem nostrum benignissimum; in unione caritatis illius, qua sic dilexisti mundum, ut eum nobis dares et donares. Eja, Pater misericordiarum! respice in faciem Christi, qui, potentia et majestate tibi coaeternus et coaequalis, ex amore nostri dignatus est in hanc miseriarum vallem descendere, ac homo fieri. Intuere, Pater coelestis, hunc Filium tuum, infantulum vix natum, in dolorosa circumcisione sua pretioso sanguine suo propter nos homines cruentatum, ac veluti tenerrimum agnellum in propitiationem pro peccatis nostris tibi in holocaustum suavissimum immolatum; quem ideo pro ineffabili perditorum hominum solatio Jesum, id est, *Salvatorem* vocari voluisti. Cum igitur iste Salvator

noster amabilis non solum in circumcisione quasdam pretiosissimi sanguinis sui guttulas, sed integros postea ejusdem rivos in passione sua propter nos effuderit, imo omnes dolores suos, et universa sua infiniti pretii ac meriti opera, et denique seipsum totum nobis donaverit, o Pater aeterne! idcirco eundem dilectum Filium tuum offerimus ac repraesentamus tanquam advocatum nostrum fidelissimum et *Salvatorem* nostrum tibi gratissimum, pro nobis peccatoribus supplicem, et totius vitae suae merita tibi offerentem in satisfactionem pro peccatis nostris, quibus iram tuam et aeternam damnationem promeriti sumus." *Ludov. Blos.*

Domine sancte, Pater omnipotens! in nomine Jesu Christi Filii tui enixius te precamur, ut per integrum hunc annum ab omnibus periculis corporis et animae nos liberare, ac cura paterna gubernare digneris. Auxiliare nobis, optime Pater! ut exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, singulos anni dies bene impendamus ad promovendam gloriam tuam, et ad lucrandam aeternitatem beatam. Da nobis, Deus, *cor novum, et spiritum novum* pone in medio nostri. Aufer *cor lapideum* de carne nostra, et da nobis *cor carneum*, cor docile ac morigerum, ut ab omni malo declinantes, *dum tempus habemus, operemur bonum , ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Amen.

PRECES POST MISSAM.

Nunc ergo Dominus Jesus personaliter in corde meo? — Jesus meus amabilis in ulnis animae meae? — Dilectus meus candidus et rubicundus in pectore meo? — Ita est: ita credo sine ulla dubitatione. — Benedicite

omnes Angeli Domino meo Jesu, laudate nomen Domini. Laudate Jesum meum, quia bonus est Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. O nomen Jesu! nomen dulce et delectabile! quid enim Jesus, nisi *Salvator?* — Eja ergo, Jesu mi! propter nomen sanctum tuum esto mihi Jesus, et salva me. Ne permittas me perire, quem pretioso sanguine tuo redemisti, et jam toties in altaris sacramento nutrivisti. Bone Jesu! ne perdat me malitia mea, quem fecit et refecit omnipotens bonitas tua. Miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me, dum tempus erit judicandi. Firmiter propono, novum hunc annum pro officio dignitatis meae sancte inchoare, sancte continuare, tanquam ultimum peregrinationis meae. Propono, cunctas pretiosi temporis horas bene collocare: „Nam aeternitati comparatum omne tempus breve est; et exiguum temporis praeteriti aeternitatis est pretium.“ *S. Hieron.*

„Tu igitur, o gloriose et semper glorificande Jesu, non secundum miseriam meam, sed secundum magnam misericordiam tuam operare in me et velle et perficere, quod beneplacitum sit in oculis tuis. Volens enim redimere dies meos, quos perniciose hactenus et perdite vivendo perdidi, propono nunc, jugo tuo cervicem meam supponere, et laxioris vitae licentias dimittere. Tu vero, Domine mi Jesu, clementer adspira. Confirma quod in me trepidat, accende quod frigescit, consolida quod nutat, erige quod desperat, humilia quod superbit, excita quod languescit.“ *Petrus Blesens.*

O Domine Deus misericors! esto mihi Jesus, et salva me: nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Non modo haec ipsa praesentia tua, sed et dulcissima nominis tui me

moria ingenti mihi consolationi est. Scribe, mi **Jesu** amabilis! scribe nunc digito tuo suavissimum **nomen** tuum in corde meo, ita, ut nunquam ibi deleri, nunquam obliterari possit, quo facilius perpetuam dilectionis **tuae** memoriam conservem. — O Jesu, unicum solatium **et** gaudium meum! nota est tibi miseria mea et **desolatio** multiplex in hac terra. Negotia me perturbant, **peccata** me cruciant, angustiae me premunt, curae me **fatigant**, affectiones malae me exagitant: et non est, qui **adjuvet**; non est, qui salvum faciat, nisi tu solus, amor **meus** suavissimus. Fer opem, Domine Jesu! et propter gloriam nominis tui libera me, quia tu es Deus *Salvator* meus.

Jesu dulcissime! qui circumcisionis legi te **sponte** subjecisti, ut nobis necessariam obedientiae **virtutem** exemplo tuo commendares: fac, me legibus divinis et humanis morem gerere; et qui vix natus, jam *cum iniquis reputatus*, acutos sensisti dolores: fac ut et ego quaslibet hujus vitae molestias et adversitates aequo animo feram. Oro te, amantissime Jesu, per sanguinem tuum pretiosum, quem et initio et in fine vitae tuae pro me fudisti: effice, precor, ut incalescat sanctissimus sanguis tuus, e calice haustus, in omnibus venis meis, vehementius inflammet amorem meum, et accendat in anima mea zelum ferventissimum promovendi gloriam nominis tui, o Jesu mi carissime! Sit nomen tuum benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum! Amen.

DIE II. JANUARII.

In s. missae sacrificio Christum immola et sume tanquam: 1) fontem sanctitatis — corde puro et sancto;

2) largitorem gratiae, — corde ardenti et devoto; 3) regem immensae majestatis, — corde humili et contrito.

PRECES ANTE MISSAM.

Domine Jesu Christe, summe Pontifex atque Sacerdos secundum ordinem Melchisedech! gratias ago tibi pro singulari benignitate tua, qua me segregasti a plebe, ut essem sacerdos et minister altaris tui. Sed (o me vecordem!) non egi vitam sacerdote dignam. Mores hactenus exhibui levissimos, et a gravitate ac amplitudine dignitatis meae longe alienos. Post tot sanctissima missae sacrificia a me celebrata majore quotidie caritatis igne debuissem incalescere, et ad eximiam vitae sanctitatem pervenire. Nunc vero, ubi sum? — quo deveni? — quantum in bono profeci? — Ah! non absque summo animi dolore video, me in nefando teporis veterno jacere: cumque dudum abundare potuissem bonorum operum meritis, adhuc inops et pauper sum ego. Hujus inopiae causa penes te non est, o Jesu liberalissime! sed omnis mali culpa in me solo haeret. Segregasti me de mundo, ut tibi servirem: ego autem mundo adhaesi plus aliis, quos in mundo reliquisti. — Fili Dei! parce servo tuo poenitenti ac intime dolenti de negligentiis admissis. Dixi, nunc coepi diligere te Dominum Deum meum. Nunc amo te magisque semper amare te desidero, qui amore mei tam grandia fecisti, tam indigna tulisti.

„Summe Sacerdos, vere Pontifex, Jesu Christe! qui teipsum Deo Patri hostiam puram et immaculatam in templo, et in ara crucis obtulisti pro nobis peccatoribus; et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem:* rogo te per eundem san-

guinem tuum pretiosum, magnum salutis nostrae pretium; rogo te per hanc miram et inenarrabilem caritatem tuam, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut nos lavares a peccatis nostris in sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua ad officium sacerdotale vocasti nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae: doce me (quaeso) tale tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac per gratiam tuam, me semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et quod expedit animae meae. Propter magnam clementiam tuam concede mihi, missarum solemnia mundo corde ac pura mente celebrare." *S. Anselm.*

Da mihi nunc, o Jesu, similem amoris affectum, quo teipsum agnum innocentem in templo praesentasti Patri tuo. Tu mecum et per manus meas offer illibatum hoc sacrificium, o summe Sacerdos! pro impetranda gratia divina, mihi et omnibus proximis meis necessaria. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Misericordia tua magna est super me, Domine Jesu! Singularis omnino ac stupenda est caritas tua erga me servum tuum indignissimum: nam ut ab aeterna morte liberares peccatricem animam meam, teipsum in templo Patri tuo praesentasti ad labores et dolores, ad vincula et flagella, ad spinas et contumelias, ad sputa et opprobria, ad amarum passionis calicem, ad acerbissimam mortem crucis. Ut autem in bono me confortares, te iterum mihi totum donasti, mihique prae mille homini-

bus sacrosanctum dedisti corpus et sanguinem tuum in cibum et potum. O beneficentiam mirabilem et vere divinam!

Quid autem retribuam tibi, bone Jesu! cum inops et pauper sim ego? Visne, ut praebeam tibi cor meum totum ac integrum? Nihil aequius: nonne Deo subjecta erit anima mea? Omni jure vendicas tibi animam et vitam meam, quia et tuam pro me posuisti in cruce. Jure optimo petis a me totum cor meum, quoniam et tu multoties apponis erga me cor tuum in adorando altaris sacramento. En paratum cor meum, Deus! paratum cor meum. Praesento tibi corpus meum, animam meam, vitam meam, et omnia mea. Recipe me totum, qui totum me creasti, et identidem recreasti sacramentorum participatione. Totus cum periissem ex me, totum te sacrificasti pro me. Quae ergo commutatio haec, si reddam me pro te, nempe pro Domino servum, pro Deo hominem, pro sancto sceleratum, pro amante frigidum, pro Agno innocente peccatorem sordidum?

Jesu dulcissime, qui dignum habuisti me, pro quo traderes te: ne avertas faciem tuam a me, neque despicias me indignum Ecclesiae tuae ministrum, o Sacerdos sacerdotum. Suscipe servum tuum in bonum, clementissime Domine, qui servi formam accepisti; suscipe me poenitentem, amabilissime Redemtor, qui in hunc mundum venisti, peccatores salvos facere. Largire mihi gratiam, ut pro dignitatis meae sanctitate sanctus sim. Fac me fortem et patientem in sacris vocationis meae functionibus, ut per dura et aspera generoso pede sequar te usque ad mortem. *Da mihi, Domine, hic patientiam, postea indulgentiam.* Obsecro te, Jesu obedientissime, qui teipsum in redemtionis meae pretium in templo praesentasti: offer et nunc Patri tuo

abundantes meritorum tuorum divitias pro me, ut de illorum exsuperantia ditetur inopia mea, et te mediante consequar gratias, quas ex meipso promereri haud valeo.

Ad Patrem. Tu autem, o Pater misericordiarum! respice hic Unigenitum tuum in brachiis animae meae. Pater sancte, qui eundem Filium tuum mihi dedisti tam in pretium quam in cibum, simulque cum ipso et in ipso omnia mihi donasti: en, sisto et offero tibi hunc Salvatorem meum, quem olim Maria et Joseph in templo praesentabant tibi. Respice, Pater, in faciem Christi tui, quem nunc fero et offero in ulnis animae meae. Respice Filium tuum dilectum, in quo tibi semper bene complacuisti. Eundem Unigenitum tuum, et una cum illo cor meum, submississime praesento et retribuo tibi pro omnibus beneficiis tuis, quibus me hactenus cumulasti. Per ipsum spero noxarum veniam a te obtinere, misericordissime Pater! — Ecce hic Mediatorem inter te et me! en Advocatum meum, qui nunc interpellat pro me! en supremum Pontificem, qui pro me indigno sacerdote intercedit. Hunc ipsum Dilectum meum, quem gesto in brachiis animae meae; hunc Jesum meum, Agnum mansuetum, e stabulo quondam ad aram templi delatum, offero et praesento tibi, Pater optime, per illum suppliciter exorans gratiam tuam efficacem ad gravissima vocationis meae officia rite praestanda: ut aliquando merear hunc Jesum meum, unum eundemque tecum ac cum Spiritu sancto Deum, facie ad faciem in coelis intueri per omnia saecula saeculorum. Amen.

DIE III. JANUARII.

Considera felicitatem boni sacerdotis: 1) in vita (arcta cum Deo conjunctio, frequens celebratio, cooperatio ad salutem proximi, pax etc.); 2) in morte (securitas, tranquillitas etc.); 3) in aeternitate (gloria, laetitia major quam laicorum).

PRECES ANTE MISSAM.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui mirifice consolatus es senem illum Simeonem in templo, eique videndum ac ulnis excipiendum dedisti Christum Filium tuum: eundem mundi Salvatorem offerimus tibi hodie in cultum latriae tibi uni Deo debitum, et ad majorem nominis tui gloriam et honorem. Pater aeterne, qui misisti Unigenitum tuum, *Lumen ad revelationem gentium:* per hoc sacrificium, quod oblaturi sumus, gratias agimus tibi pro fidei lumine, in quo nos nasci et hactenus ambulare fecisti. Pater benignissime, qui de tenebris vocasti non in admirabile lumen tuum, ignosce nobis ingratis servis tuis, qui non semper *ut filii lucis* ambulavimus, sed saepe communicavimus *operibus infructuosis tenebrarum.* Fac, Optime Maxime! ut confestim *abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis, et sicut in die honeste ambulemus.* Oramus te, clementissime Pater, per merita istius sacrificii, ut gentilium reliquias ex idololatriae tenebris in admirabile lumen evangelicae veritatis transferas. Miserere tot caecorum paganorum et infidelium, qui spreto vitae lumine, peccata peccatis cumulantes, in tenebris et in umbra mortis sedent. Propitius

esto cunctis fidelibus, illis praecipue, quorum vita finietur brevi. Adesto moribundis, et da illis digne percipere morientium sacramenta. Largire servis tuis in mortis confinio versantibus necessariam gratiam, ad eliciendos actus fidei, spei, caritatis, contritionis et patientiae. Dimitte servos tuos, Domine, secundum verbum tuum in pace ac consolatione suavissima. Memento etc.

Ad Christum. Jesu desiderabilis, justi Simeonis quondam ulnis excepte! appropinquat hora felicissima, qua et ego te Salvatorem meum manibus, imo et ulnis animae meae suscepturus sum. Ah ubi sum? — Prae ingenti gaudio vix meipsum capio. — Veni, Amor mi! veni, unicum Desiderium meum! veni, bone Jesu! tui solius amore langueo: veni, et noli tardare! Dulcissima caritate flagrans anima mea expandit ulnas suas ad amplexandum te, unicum dilectum suum. — Utinam cor meum tali amore tantoque exardescat desiderio, quanto senex ille Simeon aestuabat, excipiens te infantem in ulnas suas! O utinam maxima devotione, cordis puritate et animi demissione, omniumque virtutum decore nitescerem, quo dignius te Dominum meum excipere possem! — Suavissime Jesu! avelle nunc cor meum a rebus terrenis, ut nihil cogitem praeter te, qui sub speciebus eucharisticis verissime praesens es. Fac, amabilissime Jesu, ut mentis oculos semper in te defixos habeam, nec alibi, nisi in te, solatium quaeram. Incende cor meum frigidum igne caritatis tuae, ut totus ardeam divino amore, ac decentissime tractem altaris mysterium. Excita in intimis meis suspiria semper ardentiora, et desideria vehementiora, quibus te solum quaeram, te diligam, te inveniam. Nihil extra te desidero, Deus meus et omnia! tui solius amore teneor. Moveat te, Domine suspirium meum et multiplex dolor

meus super terram. Miser ego consolationem exspecto, qua indigeo, ne tam gravi tribulationum oneri succumbam. Fac, o Jesu, ut, quamdiu praesentis exilii calamitatibus affligor, in te refrigerium atque solatium inveniam; et postquam gravem corporis mei sarcinam *in pace* deposuero, a te recipiar in illam coelestis patriae mansionem, quam mihi ab aeterno misericorditer praeparasti. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Teneo nunc Jesum meum in ulnis animae meae. O Fili Dei! omnipotens *Brachium Domini!* cur te conjecisti in brachia peccatricis animae? — Res mira! *Lumen gentium* in corde tenebricoso! *Gloria plebis Israel* in spelunca probrosa! *Antiquus dierum* in pectore inveterati dierum malorum! — An gaudeam, vel timeam, ignoro penitus. — Jesu dilectissime! cur ad me hominem peccatorem divertisti? Nempe bonus es Dominus; et in bonitate tua dignatus es subintrare cor meum, vitiorum sordibus squalidum, et divinae Majestatis tuae praesentia minime dignum. En, supplex adoro te, o Verbum incarnatum! te fidenter amplector ulnis animae meae, Deus meus et omnia! Te diligo, te arcte contineo, nec ultra dimitto, o Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum! — Procul hinc omnia terrena! longe recedant a me creaturae et saeculi vanitates! Tu solus mihi sufficis, Amor mi amabilissime! tu solus mihi cordi es; tu solus in deliciis mihi. Fac me gustare et videre, quoniam suavis es, Domine! — Paululum mihi praebe delibandum de magna dulcedine, qua justus Simeon fuit perfusus, dum in ulnas suas excepit te.

Domine Jesu! *Lumen ad revelationem gentium!* dispelle, quaeso, mentis meae tenebras: ut, quae mihi sacerdoti agenda sunt, videam; et quae sunt officii mei, strenue ac integre perficiam. O Lumen verum, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, sed ut, procul abjectis operibus tenebrarum, abhorream a moribus gentium, veritatis luce carentium. Jesu, *gloria plebis tuae!* fac, ut, quidquid aeterna confusione dignum est, sedulo fugiam, et gloriam meam in eo solummodo quaeram, ut te cognoscam, te diligam, te imitari studeam. Absit mihi gloriari, nisi in te et in cruce tua. Si placuerit tibi, Domine, longitudine dierum replere me, qua replevisti senem illum Simeonem: rogo, ut etiam multitudine meritorum ac bonorum operum me replere digneris.

Denique suppliciter a te, Jesu, singularem hanc gratiam peto, ut in hora exitus mei, in illo formidabili temporis articulo, unde tota pendet aeternitas mea, te viaticum morientium digne suscipere valeam in ulnas animae meae hinc emigrantis. Concede mihi praeterea, Jesu suavissime, ut tunc decumbens super lectum doloris, in extremo certamine positus, possim adhuc imaginem crucis tuae torpentibus gestare manibus, moribundis aspicere oculis, devotis venerari suspiriis, et pallescentibus osculari labiis ad aliquale solatium agonizantis animae meae, donec tandem *in pace* in idipsum dormiam et requiescam. Amen.

DIE IV. JANUARII.

Cur, quomodo (et quibus auxiliis) sacerdos, ad exemplar pueri Jesu, debeat crescere: 1) sapientia; 2) gratia; 3) coram Deo et hominibus.

PRECES ANTE MISSAM.

Verbum incarnatum! Fili Dei! accedo hodie ad altare tuum, oblaturus temetipsum, hostiam sanctam et immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, ad gloriam et honorem divinae Majestatis tuae; in gratiarum simul actionem pro omnibus beneficiis tuis, pro exaltatione ecclesiae tuae, pro communi conversione infidelium, haereticorum, ac impiorum Christianorum. Pro impetranda demum salute immortalis animae meae teipsum offero Patri tuo, ut per infinita vitae ac passionis tuae merita consequar gratiam, semper crescendi in fide, spe ac caritate, crescendi in omni perfectione ac morum sanctitate. Omnem fiduciam meam pono in te, Salvator amantissime, qui sensim adolescebas aetate, quo graviora pro nobis vulnera atque tormenta sufferre posses. *Crescebas*, victima sacra, pro nobis immaniter trucidanda! *Confortabaris*, hostia propitiatoria, pro nobis in ara crucis immolanda! — *Crescebas*, o Agnus Dei, in ligno durissimo sacrificandus, ut tolleres peccata mundi! Paulatim *confortabaris*, o bone Jesu, quia poenam, delictis nostris debitam, nobis autem intolerabilem, tolerare pro nobis voluisti.

Pueritia tua, Domine Jesu, omni virtutum genere praecellentissima fuit: ego autem a puero multis animi vitiis laboravi. Illud de meipso sincere dico, quod servorum tuorum quidam de se confitebatur: *Tantillus puer, et tantus peccator.* — Pro eo, ut te diligerem, respexi in vanitates et insanias falsas. Pro eo, ut declinarem a malo et facerem bonum, declinavi sensim a bono et feci malum. Nullius apud me pretii fuit temporis pretium, nec ponderavi gravissimum aeternitatis pondus. Deus, tu scis insipientiam meam, et de-

licta mea a te non sunt abscondita. Heu! quantum abludit dissoluta juventus mea a sacratissima juventute tua! — Agnosco et dolenter deploro malitiam meam; simulque per sanctam adolescentiam tuam oro te, et obtestor: *Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris.* Sero quidem, attamen serio nunc firmiterque propono, deinceps obtemperare mandatis tuis, dignitatem meam sacerdotalem jugiter prae oculis habere, ac omni virium contentione eo adniti, ut quotidie magis crescam in amore tuo morumque integritate.

Verum ad haec omnia, Domine Jesu, summopere indigeo coelesti pabulo, pane vivo, sanctissimo videlicet corpore tuo, quod ex ineffabili tua caritate nobis in altari manducandum reliquisti. Admitte me, precor, ad dulcissimum hoc convivum, o Jesu, *Spes mea a juventute mea!* Imbecillem me conforta sacrosancto pane vitae, et calice salutis perpetuae. Liceat mihi nunc accedere ad aram tuam, ibique corporis et sanguinis tui participatione vires animae meae instaurare, ut tali cibo potuque recreatus, in omni bono fructificare, in sapientia et gratia Dei crescere, ac in virtutum exercitio confortari valeam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Exosculor supplex manum tuam, o liberalissime Jesu, qui jam denuo satiasti animam meam inaestimabili cibo et potu, nempe sanctissimo corporis et sanguinis tui mysterio. Vere bonus et misericors es Dominus erga me famulum tuum longe indignissimum. Prae mille hominibus ego ab ineunte aetate offendi te: tu autem mihi prae mille hominibus innumera dedisti beneficia. Prae mille aliis ego magna in dies contraho debita: tu

autem mihi prae mille aliis magna quotidie munera largiris. — Obstupesco, Domine Jesu, nec immerito tantopere demiror specialem tuam in me benevolentiam. Diligo te ex toto corde meo, amabilissime Jesu! Suaviter quiesco in sinu tuo vere paterno, quo me foves, protegis, nutris, doces, dirigis, ac consolaris.

Immortales tibi grates habeo, Domine, pro magna longanimitate tua, qua tamdiu peccantem me sustinuisti, quin etiam auxilium mihi et tempus concedis lugendi delicta juventutis meae, emendandi mores meos, crescendi in omni bono, et in hac vita non tantum amandi et laudandi te, sed in augustissimo etiam altaris mysterio teipsum offerendi, sumendi, amplexandi. Talia mihi beneficia tribuis, Amor mi suavissime, non propter merita mea, quae nulla sunt, sed propter nimiam caritatem tuam, qua dilexisti me a saeculis aeternis. Fac, ut et ego ferventissimo amore tibi posthac inseparabiliter adhaeream, et in omnibus sanctissimae voluntati tuae morem geram. Conforta me fragilem adversus inimicorum incursiones, ne succumbam in spirituali certamine.

Jesu, sapientia increata! en prostratus ad pedes tuos supplico, ut cor meum praemunias adversus impiorum illorum opiniones et doctrinas falsas, qui evanuerunt in cogitationibus suis, qui *dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt.* Horum fallaciis et erroribus ne decipiar ego minister tuus indignissimus, indigeo coelesti sapientia. *Servus tuus sum ego; da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* Da et bonam voluntatem, ut custodiam mandata tua. Redde me parvulum morigerum et humilem corde, nam intellectum das parvulis. O sapientissime Deus! scio, quod ignorantia nullum habere locum possit in te, qui perfecte comprehendis et distinctissime cognoscis omnia, praeterita

praesentia, et futura: o Sapientia aeterna! ex immenso lucis tuae splendore radium aliquem diffunde (precor) in mentem meam, quo facilius discernam verum a falso, clariusque videam et peccati foeditatem et virtutis pulchritudinem, ut peccatum horream, ac virtutem diligam. Eandem sapientiae lucem tribue proximis meis, quorum salutem sincerissimis exopto votis: ut omnes in omni bono quotidie crescamus, nec crescere prius desinamus, quam vivere. Amen.

Die V. Januarii.

VIGILIA EPIPHANIAE.

Tradere se providentiae divinae, est: 1) justum et rationabile; 2) Deo gratissimum; 3) nobis dulcissimum et utilissimum.

PRECES ANTE MISSAM.

Mundi Creator et Gubernator! Deus Pater summe potens, clemens, sapiens, juste, sancte, et misericors! en ego servus tuus et sacerdos indignus cupio te laudare et decenter magnificare: ad hoc enim me creatum, redemtum, atque speciali gratia tua vocatum agnosco. Verum, o quam magna majestas tua! — quam exilis parvitas mea! — Tu Creator es omnipotens, Dominus coeli et terrae: ego vilissimus terrae vermiculus, pulvis et cinis; imo quod indignius adhuc, creatura rebellis, servus malus et iners, peccator ingratus. Heu! quomodo ausim venire ad sacrificandum tremendae ac

laesae Majestati tuae? Quo pacto mihi tantum sumam, ut ingrediar sanctuarium tuum, ad confitendum nomini tuo, Domine? — Attamen non despero, nec animo consternor: sacrificium enim tibi gratum acceptumque est spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Doleo ex intimo corde meo, et utinam multo vehementius adhuc dolerem, quod toties et tam graviter offenderim te, Dominum Deum meum, te Patrem meum optimum, Ens amabilissimum, unicum et summum Bonum meum. Averte faciem tuam a peccatis meis, et clementer respice in faciem Christi tui, Salvatoris mei, quem nunc in altari sacrificaturus sum. Hic est dilectus Filius tuus, in quo tibi bene complacuit, quem pro nobis peccatoribus redimendis in mundum misisti ad aerumnas, ad labores, ad vincula, ad flagella, ad spinas, ad contumelias, ad mortem crucis. Hic est Filius tuus, quem ideo tot gratiae donis cumulasti, ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus.

Pater clementissime! offerimus tibi hodie super aram tuam Jesum Christum, Redemtorem nostrum, quem olim parvulum sanctissima Virgo Maria, et castissimus ejus sponsus Joseph, juxta mandatum tuum, modo huc modo illuc circumferebant, in omnibus semper submississimam tibi praestantes obedientiam. In eodem spiritu humilitatis et obedientiae nos quoque, secundum voluntatem tuam, offerimus tibi Unigenitum tuum, Deum-Hominem, in contestationem humillimae subjectionis nostrae in supremum tuum dominium; in gratiarum actionem pro tantis donis et bonis, quae de manu tua paterna quotidie accipimus; nec non in satisfactionem omnium iniquitatum nostrarum; in memoriam illius submissionis ac obedientiae, qua Filius tuus, propter nos incarnatus et parvulus fac-

tus, jam huc jam illuc a parentibus se deportari sustinuit; ad impetrandam denique hanc gratiam, ut inter varias hujus nostrae peregrinationis aerumnas providentiam tuam proni adoremus, atque in fide, spe ac caritate stabiles semper et immobiles permaneamus. Miserere infidelium, quaerentium catholicam subvertere Ecclesiam. Ad frugem revoca miseros istos, antequam morte defungantur. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Ubinam, quaeso, hanc a te promerui gratiam, o Jesu dilectissime, ut me rursum ad mensam tuam admitteres, ac convivio longe pretiosissimo, tuo videlicet corpore et sanguine pasceres? — Tantum abest, ut ineffabili hoc nutrimento me dignum existimem, ut ne cibo quidem humano seu pane terreno vesci promerear ego nefandus peccator. Sed nempe talis et tanta est tua in homines munificentia, ut non solum corpora nostra in dies enutrias pane terreno, sed etiam animas nostras cibare digneris pane coelesti, proprio tuo corpore et sanguine.

Gratias ago tibi, Domine, pro efficacissimo hoc alimento, quod hodie super mensam tuam accepi ad consolationem et salutem animae meae. O mi Jesu! o dulcis refectio animarum nostrarum! voluisti a parentibus tuis post varias itinerum molestias in civitate Nazareth educari et nutriri, ut tandem aliquando eucharistiae sacramentum instituere, ac cunctos fideles per universum orbem sacratissima tua carne et sanguine pretioso enutrire posses. Est omnino, cur admiremur inenarrabilem hanc tuam in nos bonitatem et misericordiam. — Quis nostrum adeo indurati cordis esse possit,

ut te non laudet, non glorificet, non diligat? Saltem ego nunc sincerissime cupio, te digne laudare, et ex toto corde diligere te, o Jesu Nazarene, qui omni possibili amore dignissimus es. Accende, obsecro, dilectionis tuae flammas in praecordiis meis, ut te super omnia creata diligam, et tui amore cuncta vocationis meae munia libenter obeam, alacriterque perficiam. Fac, ut praepositorum meorum voluntati tam promptam ac caecam praestem obedientiam, qualem exhibuit nutritius tuus Joseph, qui ab Angelo monitus sine cunctatione surrexit, illucque festinavit, quo coelitus fuerat evocatus. Adjuva me, bone Jesu! ut quocunque vocaveris me ore superiorum meorum, illico surgam et voci tuae morem geram sine querela, sine obluctatione, sine murmuratione.

Exemplum putatitii patris tui Joseph mihi plane ostendit, quam mirabili modo cuncta disponis et ordinas. Non vidi justum derelictum, o Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione! Dirige omnes gressus meos, o Jesu providentissime, qui non derelinquis sanctos tuos. Adjutor meus esto; ne derelinquas me inter tot satis acerbos vitae humanae casus. Dirige me in semitam rectam propter inimicos meos, qui diu noctuque insidiantur animae meae. Ne tradideris me in manus tribulantium me, sed deduc me in via salutis aeternae. Nec permittas me mori infausta morte impiorum illorum, qui, postquam diu satis fanatico furore sanctos tuos afflixerunt, tandem misere *defuncti sunt* et sepulti in inferno; sed effice, precor, ut certamine finito cursuque consummato moriar morte justorum. Amen.

vestris magnifice honorastis, et vultu in terram demisso humiliter adorastis, pari devotione ac reverentia hodie ad aram offerre et sumere valeam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Loquar cum Verbo incarnato, cum Rege regum praesente in domuncula cordis mei. Sed quid loquar tecum, Domine Deus meus? Infinita utique inter nos differentia intercedit. Tu es Deus supremae auctoritatis, summae sanctitatis, incomprehensae potestatis et bonitatis: ego autem creatura sum imbecillis, homo miser, servus inutilis, peccator inveteratus. Quare non toto corpore contremisco ad praesentiam terrificae Majestatis tuae? cur prae stupore non tabescit in me anima mea? — O Jesu gloriosissime, cujus in nomine omne genu flectatur: en, procidens ad pedes tuos adoro te unigenitum Dei Filium, quem olim Magi procidentes adoraverunt. Te supplex adoro, Rex magne super omnem terram, et excelse prae regibus terrae! Humili corde laudo et glorifico te, o Sapientia aeterna, lumen errantium, dux ac comes peregrinantium! — Pronus adoro te Deum verum, Regem regum, et Dominum universorum hominum in terris, et beatorum spirituum in coelis.

Horresco recogitans, me non semper obtemperasse tibi Creatori, qui tot sidera in firmamento coeli moves, et in suo cursu dirigis. Astra et omnia elementa tuo parent imperio: ego saepius egi contra voluntatem tuam mihi notissimam, nec obedivi tibi, Rex regum, Domine dominantium! — Nihilominus tu venire ad me? — Tu habitare in corde tam miseri peccatoris? — Vere mi-

randa caritas! divina patientia! — O creaturae! laudate Dominum de coelis: laudate eum, sol et luna! laudate eum, omnes stellae et lumen!

Agnosco, mi Jesu, longe majus mihi nunc obtigisse beneficium, quam olim Magis. Et quid tibi retribuam, Domine, pro ingenti hoc beneficio? quid offeram tibi Regi saeculorum immortali? — Scio, quid petas: cor meum, et integrum quidem. En totum habes, quod petis, amantissime Jesu! Accipe hoc qualecunque munusculum, idque clementer respice. — Jam vero, quid ego vicissim a te petam, o Rex liberalissime? Quid nisi lumen gratiae, quali Magorum animos illustrasti, et tam potenter ad te duxisti? — Simili luce illumina mentem meam, ne unquam incredulitatis aut impietatis caligo illuc irrepat. Liceat mihi, Domine, te ita contemplari in hujus saeculi obscuritate, prout possibile est homini mortali. Nec enim aliud praeter te lumen est, quo sic illustrari possimus, ut te videamus, et te viso gaudeamus.

Magi certe magno perfusi sunt gaudio, dum sequentes stellam, itineris sui cursu feliciter absoluto, tandem invenerunt te Deum-Hominem, totum amabilem, totumque desiderabilem. „Si vero tale fuit gaudium, absolvisse cursum itineris, et invenisse te in stabulo in tanta paupertate: quantum erit gaudium justorum, quando finita periculosae hujus vitae peregrinatione videbunt te, non in hoc mundo, sed in regno tuo; non in vili stabulo, sed in regali palatio; non in praesepi aut foeno, sed in throno gloriae tuae; non in brachiis maternis, sed in sinu Patris; non in abjecta humilitate quam assumsisti, ut salvares homines, sed in gloria tuae majestatis, quam habes, ut beatos facias Angelos tuos.“ *Ludov. Granatens.*

„Bone Jesu, salus mea, misericordia mea, et pars mea Deus in aeternum! quanto gaudio exultant hodie Magi in tua haereditate coelesti, in conspectu Patris tui, in splendoribus sanctorum, dum te nunc adorant in throno majestatis, Unigenitum a Patre gloria et honore coronatum, quem aliquando viderant in praesepio parvulum pauperculum vagientem in cunis?“ *Petr. Bles.*

Jesu, Rex regum! quanto jam gaudio exultant Magi, videntes te regnantem in coelesti Jerusalem, quem olim adoraverunt egentem in Bethlehem! Hic conspexerunt te in diversorio pauperum, ibi vident te in palatio Angelorum; hic in humili casa, ibi in aula regia. Quantum erit gaudium meum, o Jesu delectabilis, si transacta peregrinatione mea videbo te, non amplius sub speciebus panis in mensa mystica, sed facie ad faciem in coelesti gloria? Amen.

DIE VII. JANUARII.

Sacerdos adjuvet congregationes ad propagandam fidem institutas: 1) motiva (gloria Dei — salvatio animarum — meritum); 2) modus (orationibus — subsidiis — exhortando populum etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Quid eo te adegit, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut perditos nos homines e tenebris gentilitatis ad lumen verae fidei transtuleris ita, ut nunc simus, quod antea non eramus, plebs tua, plebs tibi dilecta, plebs misericordiam consecuta? Nempe misericordia tua eo te inclinavit, ut non illos tantum Magos stella duce ab Oriente

ad Filium tuum adorandum deduceres, sed ex omnibus gentibus Ecclesiam congregares in unum, ad glorificandum nomen sanctum tuum. Eundem in finem, ad honorem videlicet adorandi nominis tui, offerimus tibi novae legis sacrificium, cui non solum universa Judaeorum sacrificia, sed innumera quoque gentilium fana et sacrificia cesserunt. Immolamus tibi, Pater misericordiarum, hanc hostiam divinam, in gratiarum actionem pro inscrutabili ordinatione providentiae tuae, qua prae populo Judaico paganos ad veram fidem convocasti, novamque ex his Ecclesiam in Synagogae locum substituisti. Vehementer etiam obsecramus te per infinita hujus sacrificii merita pro augmento religionis christianae: ut per indefessam virorum apostolicorum operam plures adhuc gentes ethnicae ad fidem catholicam aggregentur. Ideoque propitiare, misericors Deus, paganorum iniquitatibus, quae illorum impedire vel retardare possent conversionem. Esto quoque propitius omnibus recens conversis, neophytis vel adhuc catechumenis.

Offerimus tibi, Deus, sacrificium istud in satisfactionem pro peccatis Christianorum. Parce nobis, clementissime Pater! neque tam horrendam de ingratitudine nostra vindictam sume, ut de libro tuorum nos deleas, aut inaestimabile fidei donum a nobis iterum auferas. Neque permittas, ut in errores undique sparsos praecipitemur, pessimis infidelium exemplis seducti; sed ita potius confirma nos in fide, ut incredulorum fallacias respuamus, et Ecclesiae tuae firmiter adhaereamus. Fac, amantissime Pater! ut semper filii tui et plebs tua dilecta permaneamus. Respice unigenitum Filium tuum, quem in altari offerimus tibi, per ejusdem vitae ac mortis merita supplicantes, ut novatorum machinas evertere, veram fidem latius in dies propagare, et quem ex gen-

tibus collegisti, credentium coetum semper augere digneris. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Amantissime Jesu, exspectatio et salus gentium! supplex adoro te nunc in corde meo certissime praesentem. Reverenter adoro te, Christe Jesu, qui luce prorsus admirabili Magos vocasti ad te, ad fidem, ad veritatem et vitam aeternam. Grates tibi, Domine, pro singulari clementia tua, qua me famulum tuum indignum denuo admisisti ad splendidum divinae mensae tuae convivium. Stupore plenus tibi gratias refero pro immensa benignitate tua, qua me miserum peccatorem non solum in vera fide servasti, sed et dignitate sacerdotali decorasti, ut, quoties vellem, teipsum haberem in manibus ac praecordiis meis.

Vehementer admiror, Domine, infinitam potentiam et misericordiam tuam, qua ex omnibus orbis partibus innumeras gentes ad fidei unitatem convocasti, ab impiis superstitionibus ad evangelii tui legem mirabiliter traduxisti, et novam Ecclesiam in Synagogae Judaicae locum subrogasti. Credo, mi Jesu, quaecumque mihi per Ecclesiam tuam credenda proponis; specialiter autem credo, te in altaris sacramento, et nunc in pectore meo realiter esse praesentem. Obstupesco et magnifico admirabilem hunc amorem tuum. — Ah! quare non ardentius hucusque redamavi te, o Lux gentium? cur adeo segniter ac oscitanter servivi tibi? Cur toties et tam graviter offendi te? — Doleo de probrosa hac ingratitudine mea; detestor abominabilem negligentiam et tepiditatem meam. Jam mecum serio constitui, haud amplius indulgere genio meo, nec facere voluntatem meam, sed (adjuvante gratia tua) solerter obedire tibi

et Ecclesiae tuae. Nunquam infidelium exemplis seduci me patiar; neque gentilitatis residuae mores aut errores sectabor, sed fidei catholicae regulas accurate servabo ad extremum usque vitae halitum.

Quia vero millena me cingunt pericula, simulque pessima infidelium exempla ac commenta oberrant oculis et auribus meis: indigeo gratiae tuae lumine et auxilio, quo securius pertranseam isthaec offendicula longe lateque dispersa. Humanam didici fragilitatem, tum ex propriis lapsibus, tum ex funestis tot aliorum naufragiis, qui, occlusis fidei lumini oculis, caeco furore in profundissimas errorum ac vitiorum voragines se praecipitaverunt. Luctuosa istorum ruina, Domine, haud leviter terret me. Propterea hoc a te precibus etiam atque etiam exposco, ut et mihi, et omnibus, quorum mihi salus cordi est, necessarias gratiae vires tribuas, ne fidei nostrae legem et disciplinam publice profiteri erubescamus. Da, ut juxta religionis catholicae principia vitam nostram instituamus, atque secundum evangelii tui normam mores nostros componamus. Largire nobis fidem vivam et operum bonorum foecundam, ut, dum bene credimus, male nunquam agamus.

Pro Judaeis pariter ac infidelibus, qui adhuc in teterrimis ignorantiae vel malitiae tenebris haerent, humiliter supplico tibi, Jesu dulcissime, ut illorum miserearis, eisque (licet indignis) ex immensa bonitate tua donum fidei veritatisque lumen concedere digneris. Miserere tot immortalium animarum, quas ad imaginem tuam creasti, tuoque sanguine pretioso redemisti. O Jesu potentissime, qui tot gentes illuminasti et aggregasti ad Ecclesiam tuam: voca et nunc heterodoxos in admirabile lumen tuum, ut nobiscum magnificent admirabile nomen tuum in aeternum. Amen.

DIE VIII. JANUARII.

1) Multi sacerdotes, similes Pharisaeis et plebi Jerusalem, sciunt de Christo, sed parum de eo curant, non eum quaerunt; 2) multi ut Herodes, quaerunt Christum, veniunt, sed corde sacrilego; 3) pauci, ut Magi diligenter Christum quaerunt, reverenter adorant, aurum, thus et myrrham offerunt.

PRECES ANTE MISSAM.

Haud immerito miramur bonitatem tuam, Deus Pater omnipotens! Quis enim enarrare vel capere poterit illum amoris tui excessum, quo jam ab aeterno decrevisti salvare nos homines, misere lapsos perditosque? — *In caritate perpetua* dilexisti nos: ideo attraxisti nos miserans. Impense dilexisti nos: ideo *desursum* misisti ad nos Unigenitum tuum, *qui de coelo venit in* terram; qui *super omnes est*, Dominus Angelorum, *et Princeps regum terrae.* Gratis dilexisti nos peccatores, optime Pater! ideo vocasti et gratificasti nos in dilecto Filio tuo; ut omnis, qui credit in Filium, habeat vitam aeternam, hic in spe, ibi in re. O beneficium inaestimabile! Gratia sumus salvati per fidem, et hoc non ex nobis; tuum enim donum est omnino gratuitum: *non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Majores nostri erant aliquando gentiles, falsorum cultores numinum, *illo in tempore sine Christo* (Ephes. 2.), *promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* Nunc autem in Christo Jesu nos, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope.

Pater misericors! in gratiarum actionem pro gratuito fidei dono immolabimus in altari hostiam Maje-

stati tuae gratissimam, ipsum videlicet Unigenitum tuum. Per infinita ejus merita concede nobis delictorum veniam et auxilium gratiae tuae, ut submisse de nobis sentientes tuam solius gloriam quaeramus. Accende in cordibus nostris sincerae mutuaeque caritatis ignem, ut et precibus et operibus misericordiae nos invicem adjuvemus, et serviamus tibi humero uno. Memento NN.

Ad Christum. Jesu, Fili Dei! singularis est tua in me munificentia. Tu es super omnes creaturas, Rex magnus super omnem terram, Dominus Angelorum, et Princeps regum terrae. Nihilominus admittis me indignum famulum tuum ad dulcissimum illud convivium, cui adsistunt Angeli ministrantes. „Teipsum ineffabili amore mihi communicas. Quid melius te dare potes, qui summum es Bonum, quo nihil praestantius, nihil invenitur perfectius? Es quippe sempiternum Verbum, in quo vivunt omnia, per quod elementa cuncta subsistunt. Tu es Dei Unigenitus, Patris Sapientia, splendor gloriae, ac invisibilis imago bonitatis ipsius. Tu creaturarum principium, Angelorum conditor, hominum plasmator atque redemtor. Providentia tua gubernantur omnia in coelo et in terra, quoniam a te artifice peritissimo sunt facta. Tuae cuncta obtemperant voluntati; antecellis omnibus, concludis universa, abdita penetras, remota prospicis, profunda rimaris, attingis a fine usque ad finem fortiter, et disponis omnia suaviter.“ *S. Laur. Just.*

Tantus cum sis, Domine Jesu, hodie tamen iterum ad me venire dignaris. Et quis ego? Servus negligens, ultimus inter homines, quia primus inter peccatores. Timeo propius adire te: tu enim de coelo, ego de terra; tu super omnes magnus Dominus, ego infra omnes vilis pulvisculus. — O Deus terribilis! cur non-

dum titubant pedes mei, progressuri ad aram? cur nondum tremunt manus meae, tractaturae tremendum mysterium? eccur non palpitat cor meum, expectans tam magnum hospitem? Quid agam? undique mihi angustiae. Accedens metuo judicium: recedens fugio vitam. Num ergo recedam et moriar? nequaquam: sed in multitudine misericordiae tuae adibo altare, ut offeram sacrificium, quia tu istud in tui memoriam fieri praecepisti, et ego proximis meis debitor sum, pro quibus orare teneor. Tuis igitur animatus miserationibus intrabo sanctuarium tuum, Domine, humiliter petens auxilium abs te, quo majore devotione sacris operari possim. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Dilectissime Jesu! te nunc certe mecum habeo, et tecum omnia possideo. Vehementer gaudeo quia tu es Bonum unicum, a quo et in quo sunt omnia bona; Bonum verum ac summum, in quod nec minimi quidpiam mali cadere potest. Gaudeo, Domine, quia tu es Deus adeo perfectus, ut nulla mens creata divinas perfectiones tuas capere valeat. Laetor et exulto, non ideo solum, quia tu es Salvator meus, amor meus, magister meus, cibus meus; sed ideo potius, quia tu es Homo-Deus adeo gloriosus, adeo magnus, adeo beatus atque perfectus, ut nec humana nec angelica mens te valeat comprehendere. Tu enim, Domine, qui de coelo venisti, *super omnes* es: bonus super omnes bonos, sapiens super omnes sapientes, perfectus super omnes perfectos, sanctus super omnes sanctos, potens super omnes potentes.

Suppliciter adoro te, supremae dignitatis ac majestatis Dominum, qui me servulum tuum tam impense

diligis, tam paterne foves, tam mirifice custodis, tam splendide nutris, et toties delinquentem tam misericorditer sustines. Adoro te, verum Dei Filium, qui unacum Patre et Spiritu sancto cuncta creas, dirigis, protegis, disponis ac ordinas. Simul ac carne humana indutus apparuisti in terra, novam in coelo stellam micare fecisti, qua duce Magi ab Oriente venerunt ad te. Et o quam ardenti caritate complexi sunt te, quam reverenter adoraverunt te, Speciose forma prae filiis hominum! quam profunde se inclinarunt coram divina et vere gratiosa Majestate tua! — Erubesco, Domine Jesu, quia tam parum reverentiae ac caritatis tibi exhibeo. Non absque rubore et dolore fateor coram te nimium teporem ac frigus cordis mei. Desidero quidem majore in dies ardore caritatis amplexari te, suavissime Jesu! Ita sane; tu nosti hominum corda, tu scis, quam sincere cupiam diligere te. Age, dilata nunc cor meum, omnipotens Amor, et accende in me flammam dilectionis tuae, o Ignis divine, qui semper ardes! Fac, ut meus in te amor augeatur et crescat semper in tempore ac per omnem aeternitatem. Et quia *obedire oportet Deo magis quam hominibus:* effice, precor, ut tibi fideliter obediam et alacriter serviam, neque timeam illorum minas hominum, qui me forsitan ab obedientia, tibi et Ecclesiae tuae praestanda, abducere conabuntur. Deus fortis, qui *super omnes* potentes infinite potens es, redde me fortem et infractum, ut *columnam ferream* aut *murum aereum*, ne formidem a facie eorum, qui me a servitio tuo abstrahere volunt. Bone Jesu, qui *de coelo* venisti, fac, ut ego (sacerdos tuus) non sim homo terrenus, sed quasi coelestis: ut, quae sursum sunt, quaeram, non quae super terram; ut hic quidem in terris sit peregrinatio mea, sed *conversatio in coelis*

mens *in coelis*, cogitatio *in coelis;* donec et anima mea post mortem tibi jungatur *in coelis*. Amen.

DIE IX. JANUARII.

Stella Christus, h. e.: 1) lumen, viae dux etc.; 2) sed non nisi vigilantibus, sursum oculos et corda levantibus; 3) evanescit iis, qui in Jerusalem, i. e. in mundanis conversationibus, voluptatibus, passionum turbis, merguntur.

PRECES ANTE MISSAM.

Suscipe, Deus omnipotens, benignissime Pater, munera nostra, quae hodie super altare offerimus ad honorem et gloriam adorandi nominis tui; et in gratiarum actionem pro magna illa miseratione tua, quae nunc quidem nobis adhuc inscrutabilis est, ac in eo consistit, quod hominum lapsorum misereri dignatus sis, cum tamen Angelis peccantibus non peperceris. Laudamus sempiternam bonitatem tuam, qua elegisti nos in dilecto Filio ante mundi constitutionem, et praedestinasti nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. Gratias agimus tibi, Domine Deus, qui eripuisti nos de potestate tenebrarum, et transtulisti nos in regnum Filii dilectionis tuae. Praesta, quaesumus, per merita ejusdem Unigeniti tui, ut istius beneficii magnitudinem admirantes assidue magnificemus misericordiam tuam. Pater dulcissime! propitius esto cunctis peccatoribus, illis praecipue, qui in tam effrenem peccandi licentiam devenerunt, ut de misericordia tua aut desperent aut nimium praesumant. Accende corda nostra, ut dilectum Filium tuum

amore complectamur reciproco, et ejus patientiam mansuetudinemque imitari studeamus. Memento etc.

Ad Christum. Domine Jesu, Fili Dei, amator hominum! gaudeo et exulto, quia tam mira lenitate et mansuetudine evangelium tuum annuntiasti, et per Apostolos tuos inter gentes ubique terrarum propagasti. Veneror et demiror invictam hanc potentiam tuam et gloriam magnificentiae regni tui. Regnum tuum regnum omnium saeculorum. Miserere mei, Jesu mitissime, qui arundinem quassatam non confringis, et linum fumigans non extinguis, sed novo incendis igne: veni in cor meum, veni ad contemtibilem animam; visita hanc unicam meam; consolare moerentem, alleva jacentem, confirma trepidantem, ciba esurientem. Summa laetitia et aviditate festino ad sacramentum amoris tui, o salus gentium! Praepara tibi ipse dignum in corde meo domicilium. Amen.

Ad B. V. Mariam. „Maria, Mater Dei! ora pro nobis secundum magnam commiserationem tuam, utpote quae mater es benignissimi Amatoris hominum. Per te Filium Dei noscimus; per te fuit Dominus virtutum nobiscum, dignique facti sumus sancto illius corpore et sanguine. Ne cesses intercedere pro nobis, ut, ab inimicorum insidiis erepti et patrocinio tuo salvati, laudem et gloriam semper demus soli Deo, omnium rerum conditori. Amen.“ *S. Ephraem.*

PRECES POST MISSAM.

O stupendum plane miraculum! Dilectus Dei Filius in corde meo! — Tanta Majestas in pectore talis ac tanti peccatoris! Nescio, Domine Jesu, quid dicam vel cogitem, aut qua ratione sat gratum me tibi pro tali

beneficio valeam exhibere. Quid, si majorem haberem notitiam Majestatis tuae, et extremae vilitatis meae? — Igitur ad pedes tuos prostratus adoro te Domine, tibique pro meo modulo demississimas ago gratias, confidens de mansuetudine tua, quod exiguam hanc gratiarum actionem, et, quam mihi dedisti, bonam voluntatem boni consulas.

Credo, mi Jesu, te verum esse Filium Dei, conditoris totius universi. Indubitanter credo, quaecumque nobis per Ecclesiam tuam credenda proponis; praesertim credo, per sacram communionem teipsum venisse in cor meum, qui amore hominum venisti in mundum. Spero in te, mitissime Jesu, qui ab aeterno dilexisti me; qui non tantum tradidisti te pro me in manus carnificum, sed etiam mihi jam saepissime tradidisti te totum in manus meas. O Amator hominum! in te confidit anima mea: et quamvis enormiter (proh dolor!) offenderim te, spem tamen non abjicio, memor infinitae misericordiae tuae, quae arundinem quassatam non confringit, et linum fumigans non extinguit.

Diligo te, o Jesu misericordissime, semperque magis te diligere cupio. Da, ut diligam te, quantum homo potest et debet. Tu Deus immensus immensam mereris dilectionem, praesertim a nobis fidelibus, quos de paganismi superstitionibus, de potestate tenebrarum sic eripuisti, sic attraxisti, sic salvasti. Potissimum a me supra omnem modum diligendus es, Domine, quia me prae mille hominibus ad sacerdotii dignitatem evexisti. O bone Jesu! incende me totum igne caritatis tuae, vehementer enim desidero, tui solius amore conflagrare: et vel sola haec cogitatio, quod te dilectum meum adhuc offendere, et aeternum a te separari possim, ingenti me cruciat dolore.

„Rogo te, Salvator mundi, miserere mei, et eripe me a multitudine iniquitatum mearum. Multiplicata est super me misericordia tua, quae meum satiavit cor, sitimque meam refrigeravit. Et nunc obsecro te, ne memineris iniquitatum mearum. Si enim mecum facere volueris secundum flagitia mea, heu mihi! quid de me misero fiet, o hominum Amator optime? In me igitur peccatore ostende ineffabilem benignitatem tuam; et largire mihi, ut ego, et omnes qui te diligunt, regni tui haeredes simus, et videntes gloriam tuam adoremus bonitatem tuam, dicamusque simul, qui pulchritudinem tuam videre promeriti fuerimus: Gloria Patri, qui fecit nos; gloria Filio, qui salvavit nos; gloria Spiritui sancto, qui renovavit nos; per infinita saecula saeculorum. Amen.“ *S. Ephraem.*

DOMINICA I. POST EPIPHAN.

Christum et quae Christi sunt, non invenies: 1) in plateis (in vita dissipata, delectationibus terrenis etc.); 2) apud parentes et cognatos; sed 3) in templo et inter doctores (in oratione, solitudine sacra et sacris studiis).

PRECES ANTE MISSAM.

Reverentia qua possumus maxima te Deum Patrem veneraturi, templum tuum ingredimur, ut immaculatam tibi hostiam illic offeramus ad honorem et gloriam sanctissimi nominis tui. Sint oculi tui intenti in haec munera nostra divinissima, quae supremae Majestati tuae offerimus in gratiarum actionem pro manifestato doctora-

tus Filii tui primatu in templo sancto, ubi stupente Synagoga, cum ne literas quidem didicisset, difficillimas quaestiones enodando magisterii sui primordia coepit. Per hoc sacrificium tibi, clementissime Pater, gratias agimus pro eo, quod unigenitum Filium tuum dedisti nobis *Doctorem justitiae;* simulque suppliciter imploramus infinitam bonitatem tuam, ut omnibus Ecclesiae praesulibus ac presbyteris, concionatoribus ac confessariis efficacem concedas gratiam, quo majore studio gravissima sua munia exequantur, abjectisque negotiis saecularibus nominis tui gloriam et animarum salutem unice quaerant atque promoveant. In medio Ecclesiae tuae, Domine, aperi sanctorum et apostolicorum ora virorum, qui legem tuam in veritate doceant, religionem defendant, errores abigant, et inanem hujus saeculi philosophiam a christiana republica longe repellant. Da populis infidelibus cunctisque peccatoribus, ut, quem infeliciter amiserunt, Redemtorem suum Jesum dolenter quaerant, gaudenter inveniant, eique deinceps inseparabiliter adhaereant. Amen.

Ad Christum. Domine Jesu, qui a parentibus tuis magno quidem dolore quaesitus, sed eo majore postea gaudio inventus es: en, etiam ego te vehementer expeto, te solum quaero, te mecum habere desidero, Consolator optime! nam in exilio hoc tristissimo, in loco peregrinationis meae, sine te vivere nec volo nec valeo. Occurre mihi, precor, o Gaudium animae meae! veni, Laetitia cordis mei! Fac, ut videam te, dulcissimum solatium meum; inveniam te, desiderium meum: teneam te, amorem meum unicum; amplectar te, Jesum meum; possideam te in sinu cordis mei, o Beatitudo interminabilis! Inveniam te, optatissimum thesaurum meum; fruar te, summo Bono, sine quo nihil bonum. — Ubi

es, Amor mi speciose forma prae filiis hominum? *Ubi es, abscondite pulcher, quem desidero?* [1] — *Quis mihi det, ut inveniam te, et deosculer te* [2], quia amore langueo? — Non inveniris *inter cognatos et notos*, non appares in foro, non sentiris in publico. Scio, quid faciam: festinabo ad templum tuum, et in spiritu poenitentiae dolenter adibo aram tuam; ibi *quaeram, quem diligit anima mea;* ibi apprehendam te, et ducam in domum cordis mei; ibi me docebis, Sapientia aeterna! ibi consolaberis moerentem, et satiabis omne desiderium meum. — Quid moras necto? Surgam, et quaeram Jesum meum, ut inveniam, quem diligit anima mea.

PRECES POST MISSAM.

Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Habeo, quem quaesieram; possideo dilectum meum, quem desideraveram, eumque nunc amplector ulnis animae meae. Submisso corde adoro te, Magister divine, Praeceptor gentium, Doctor sapientissime! Loquere jam ad cor meum. *Laetabor ego super eloquia tua.* Stupebant omnes illi doctores, qui te audiebant in synagoga, super prudentia et responsis tuis. Eja ergo, Magister optime! doce me facere voluntatem tuam. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Servus tuus sum ego; da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et eloquia tua super mel ori meo. Beatus, quem tu erudieris, Domine! nam verba vitae aeternae

---

[1] S. Aug. [2] Cant. 8.

habes. „In teneriori jam aetate tua humilitatis nobis exempla praebuisti. Non sedisti cum concilio vanitatis, sed in medio doctorum, interrogans et audiens illos, cum tamen scientiarum Dominus esses, et ipsa Dei Patris Sapientia“ [1]. Effice me discipulum tuum humilem et ita modestum, ut, si de rebus divinis ad populum me dicere oportuerit, non quaeram honorem meum, sed gloriam tuam, et animarum salutem.

Domine Jesu! id praesertim mihi altius in animo imprime, quod *in his, quae Patris tui sunt, oporteat esse* ministrum tuum. Avoca mentem meam a curis inanibus atque negotiis saecularibus, quo liberius vacare possim rebus divinis. Avelle cor meum a cunctis saeculi vanitatibus, ut sine obstaculo me totum impendam pro gloria Dei mei, *quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse.* Ut tibi Domino meo serviam, tandemque vitam assequar aeternam, ideo creasti et redemisti me; ideo ad religionem catholicam vocasti me; ideo dignitate sacerdotali decorasti me; ideo tot donis et beneficiis cumulasti me; ideo sacrosancto corpore et sanguine tuo multoties refecisti me. Quid autem ego hactenus? — Ah, peracerba cogitatio! De vitae sanctimonia nihil sollicitus identidem offendi te; per insipientiam meam longius a te abductus amisi te ex oculis meis, et velut prodigus ille filius diu sine te circumvagabar in regione longinqua; erravi in solitudine, in inaquoso. Et quo denique devenissem miser, nisi tu quaesivisses aberrantem me? Misericordias tuas in aeternum cantabo.

Inconsolabilis erat dolor parentum tuorum, dum tri-

---

[1] S. Anselm. Cant.

duo desiderabant te, carissimum filium suum, totum amabilem, totum desiderabilem. Sic nempe non raro faciem tuam subtrahis etiam iis, quos unice diligis. Delectaris quaerentium studio, et inventus cumulas gaudium. Ne permittas, Domine, ut despondeam animum, si amisero te e conspectu meo. Dummodo te mecum habeam, etsi te mentis obtutu non sentiam. Utinam sic uniatur tibi anima mea, ut nunquam tua excidat gratia, nec unquam familiarissimae conversationis tuae solatio destituatur. — Heu! quanta foret jactura, quam intolerabile malum, si amitterem te in aeternitate pro tota aeternitate! — Ne in tam horrendam miseriarum abyssum devolvar, semper et ubique te prae oculis habebo. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum*, ut protinus ad nutum eorum faciant imperata: sic et ego semper in te fixos tenebo oculos meos, ne obliviscar praesentiae tuae. Fac, ut obtutum mentis meae nunquam avertam a te, neque renuam obtemperare tibi ad nutum voluntatis tuae. Da, precor, ut te suavissimum Jesum meum, quem nunc invisibilem toties suscipio in templo, visibilem aliquando inveniam in coelo. Amen.

DIE X. JANUARII.

Obedientiae sacrae fructus sunt: 1) pax propriae conscientiae; 2) sanctificatio et meritum; 3) apostolicorum laborum successus.

PRECES ANTE MISSAM.

Ascendat ad te, Pater misericordiarum, nostra supplicatio, et descendat super nos tuae benignitatis mise-

ratio: quoniam divinae tuae Majestati offerimus hostiam sanctam ad honorem et gloriam nominis tui; in testimonium submississimae nostrae subjectionis in summam potestatem tuam; et in gratiarum actionem pro cunctis muneribus a te acceptis; maxime pro insigni documento humilitatis profundissimae, qua unigenitus Filius tuus dignatus est in domo Nazareth se subjicere Mariae matri suae et Josepho nutritio suo. Per hoc missae sacrificium agimus tibi gratias pro inaestimabilibus illis actibus theandricis, saeculo quidem occultatis, tibi autem aeterno Patri cognitis, et a Verbo infinite dignificatis, quos idem Verbum tuum caro factum, Jesus Christus Dominus noster, ab anno aetatis duodecimo usque ad tricesimum in Nazareth exercuit: impetretque nobis credentibus, ut illorum vis et efficacia in omnes quoque transeat actus et labores nostros, eosque reddat meritorios et gloria aeterna dignos.

Placabile fiat tibi, omnipotens Deus, istud altaris sacrificium, per quod a te impetrare confidimus, ut nobis omnes noxas atque negligentias, imprimis peccata superbiae ac contumaciae clementer ignoscas, simulque necessarium gratiae auxilium tribuas, ut Christi Filii tui submissionem et obedientiam non tantum admiremur, sed potius sedulo imitari conemur. Da quaesumus, adorande Pater, ut omnes, qui alterius potestati subduntur, ex admirando Filii tui exemplo discant sese humiliare sub potenti manu tua, et obedire praepositis suis. Fac, optime Pater, ut omnes libenter obtemperent, filii parentibus, discipuli magistris, adolescentes senioribus, famuli heris, subditi magistratibus. A contumacia ad animorum demissionem illos traducito ambitiosos, qui hactenus nec tibi, nec Ecclesiae, nec potestati sublimiori se subjicere voluerunt. Da nobis omnibus, ut

humiliter exequamur divina mandata tua et jussa superiorum nostrorum. Memento NN. Illis praecipue fidelibus defunctis sacrificium hoc fiat propitiatorium, qui ob peccata superbiae vel inobedientiae adhuc in piacularibus flammis quadrantem exsolvunt novissimum.

PRECES POST MISSAM.

Felix, felicissimus ego, quia rursum in praecordiis meis habeo Jesum meum, amorem meum, summum Bonum, et aeternae felicitatis autorem. — Magna est tua in me benignitas, amantissime Jesu! Fili Dei! nam, qui descendisti cum parentibus tuis, et venisti Nazareth, etiam in cor meum descendisti, factus cibus animae meae. Supplex adoro te, o Domine Jesu, qui, cum habitares Deus in coelo, propter homines factus es homo in terra. Tu Creatoris Unigenitus obedisti creaturis, et subditus fuisti meris hominibus, ut homines immorigeros redimeres et salvares. O inscrutabile humilitatis mysterium! „In coelo Filius Dei, in terra servus hominum; in coelo Dominus, in terra subditus; in coelo magnus, in terra parvulus; in coelo dives, in terra egenus. In coelo thronus divinus, in terra civitas exigua; in coelo sinus Patris immensus, in terra domus angusta; in coelo panis Angelorum, in terra cibus viatorum“ [1]. Obstupesco, Domine, hoc investigabile humilitatis ac caritatis tuae mysterium.

„Jesu suavissime! obedientiae nobis formam praebuisti, dum parentum imperio tu imperator mundi humiliter subditus extitisti“ [2]. Hominibus per te existentibus obtemperasti; mortalium arbitrio te submisisti. — „Quan-

[1] S. Laur. Just. [2] S. Anselm.

tum confundis superbiam vanitatis meae, o Jesu humillime! Parum aliquid scio, vel potius scire mihi videor; et jam silere non possum, impudenter me et imprudenter ingerens et ostentans; promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum" [1].

Agnosco insolentiam meam, et pudore suffusus timeo loqui tecum, o Fili Dei! Tu hominibus eras subditus; imo et mihi jam saepissime obtemperasti, et quotidie obtemperas voci meae ad aram tuam, transmutando panem et vinum in sanctissimum corpus et sanguinem tuum: ego autem pulvis superbus jam toties recusavi obedire tibi atque superioribus meis. Ad pertinaciam inclinata est voluntas mea per primam protoparentum inobedientiam. Obsecro te igitur, o potentissimum Dei Verbum, cujus virtuti nihil resistere potest, vince rebellem meam voluntatem, ut promptius obediam voci tuae, cujus imperio sol et luna et stellae coeli obtemperant, cursus suos accurate dirigendo ad nutum tuum.

Quid nunc offeram tibi, Domine, qui teipsum mihi totum donasti? Aliud non habeo, quod tibi sacrificem, nisi propriam voluntatem: hanc offero, hanc abnego, hanc in manus tuas depono. Et siquidem mihi praesto fuerit adjutorium tuum, quod suppliciter imploro, deinceps imitabor exempla humilitatis tuae, nec gravabor obtemperare praepositorum meorum arbitrio. Scio, mi Jesu, quia vir obediens loquetur victorias in hoc saeculo, et gloriae coronam accipiet in altero. Amen.

---

[1] S. Bern.

DIE XI. JANUARII.

Poenitentiam compara cum baptismo considerans: 1) utriusque similitudinem (finis, necessitas, effectus etc.); 2) utriusque diversitatem (poenitentia est baptismus *laboriosus* etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

O Pater de coelis Deus! coram Majestate tua augustissima prostratus ego famulus tuus in memoriam mihi revoco mirandum Unigeniti tui amorem, quo servi forma et peccatorum nostrorum sarcina sponte suscepta, pro nobis se obtulit tibi hostiam salutarem, et cum peccatoribus venit ad baptismum Joannis. Tibi gratias ago, sancte Pater, pro speciali gratia sanctificationis, qua me (tot infidelibus relictis) a labe originalis culpae liberasti, et exornasti donis tuis, quibus subinde in perniciem meam me fuisse insipienter abusum, fateor et doleo. Nunc autem mecum constitui, donis tuis ad promovendam gloriam tuam et animarum salutem melius uti. Per efficaciam hujus oblationis spero ab infinita clementia tua scelerum meorum veniam, opemque tuam divinam, ut salutem meam et alienam continenter operari valeam. Hanc insuper gratiam peculiarem a te precor, ut miserum me peccatorem, quem in originali culpa natum renasci per baptisma fecisti, moribundum aliquando in statu innocentiae secundae constituas, omnibusque peccatis absolutum tanquam triticum suscipias in horreum coeleste. Memento, Pater, fid. N. N.

O Fili Redemtor mundi Deus! ad Joannem venisti baptizandus, non a reatibus propriis, quibus maculari haud poteras, o Sancte sanctorum! sed abluendus

a nostrarum maculis iniquitatum, quas ultro pro nobis et a nobis in te suscepisti; sanctificaturus simul baptismatis undas, quibus et ego ab originali peccato fui lotus. Verum non multis post annis, actualia (proh dolor) peccata commisi quam plurima, et hactenus auxi debita. Quomodo jam miserabilis ego peccator audeam adire sacram mensam, et portare corpus Domini Dei mei, cujus nec calceamenta portare dignum se judicavit Joannes innocens? Dolenter equidem confessus sum injustitiam meam adversum me, mihique jam videor (miserante te) justificatus: sed heu! inscrutabile mihi est cor meum. Tuam igitur imploro clementiam, bone Jesu, qui scrutaris corda hominum: ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. Amplius lava me ab iniquitate mea, ut super nivem dealbatus te Sanctum sanctorum in tremendo altaris mysterio sancte suscipiam, nec amplius in vita mea desinam facere fructus dignos poenitentiae.

O Spiritus sancte Deus! sine tuo numine nihil est in homine, quod Deo placere valeat. Sine te nec bonorum operum fructus facere possum, nec ad eam pervenire sanctitatem, ad quam me prae mille aliis in sacro baptismate vocasti. Adhaec sanctum me esse oportet ob officium sacerdotale. Sancti esse jubebantur antiquae legis sacerdotes, qui praeter umbram sacrificii nostri nil habebant: quanto magis ego, rem ipsam tractans atque veritatem, sanctus esse debeo, segregatus a saeculi vanitatibus, innocens, purus, castus, omnibusque virtutibus exornatus? At quis talem efficiet me? quis emundabit animam meam tot delictorum sordibus foedatam? Tu solus, adorande Spiritus Dei, qui Joannem Baptistam sanctificasti jam in utero matris suae; tu es unicus sanctificator noster, a quo pendet omnis sancti-

ficatio nostra. Sanctifica nunc cor meum, ut digne sacris operari, et deinceps sancte vivere valeam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Quid hoc, amantissime Jesu? Angeli te Deum sanctum collaudant in coelo, *et tu venis ad me?* — Homo sum ego vere miser ac longe vilissimus: *et tu venis ad me?* Virtutibus careo, variis laboro vitiis, noxarum maculis totus squaleo: *et tu venis ad me?* — Bone Deus! obstupesco hanc immensam benignitatem tuam. Attonitus aliquando haesit Joannes Baptista, cum eidem te sisteres baptizandum inter peccatores. Quid dixisset, quid egisset, si tuam illi carnem manducandam aut sanguinem tuum bibendum obtulisses? Et tamen hoc ipsum mihi nunc contulisti beneficium. Miranda plane tua in homines est beneficentia.

In tenera quidem aetate tua, Domine Jesu, praeclarum et humilitatis et patientiae nobis exemplum dedisti. „At ubi robustioris postmodum aetatis tuae plenitudo advenit, egressus es in salutem populi tui ut gigas fortis, ad currendam viam totius miseriae nostrae. Et primo quidem, ut per omnia te fratribus assimilares, servum tuum Joannem, baptizantem peccatores in poenitentiam, etiam tu tanquam peccator adiisti, et baptizari voluisti, innocens Agnus Dei, quem nulla peccati contagio unquam maculavit. Baptizatus es, Domine, non te in aquis, sed aquas in te sanctificans, ut per eas sanctificares nos“ [1].

Fac, o Jesu, ut Praecursoris tui vestigiis insistam, qui triginta fere annis in deserto rigidam prius poeni-

[1] S. Anselm.

tentiam exercebat opere, quam postmodum praedicavit ore. Fac, ut ipse ego fructus dignos poenitentiae faciam, memor illius diei tremendi, ubi, paleis in ignem aeternum projectis, triticum tuum congregabis in horreum. Domine Jesu! semper mihi ob oculos pone ignem illum inextinguibilem, ne unquam cessem agere poenitentiam. Non permittas, clementissime Salvator, ut obliviscar illarum ultricium flammarum, quibus impoenitentes cruciabuntur sine fine. Lugebo semper in hac vita, ubi nullo die securus sum ab illa securi, quae jam ad radicem arborum posita est.

„Horridus tenet me timor et tremor, dum prospicio mortis ictum mihi latenter supervenientem; cum nullam aut exiguam emendationem praeferam. Ad pedes tuos ego miser prostratus, non audeo ad te levare oculos meos. De profundis ad te clamo, Domine, propitius esto mihi, habenti spem meam in te. Fac, ut sententiam aeternae damnationis effugiam. Suscipe deprecationem sordidi oris mei, Salvator mundi! Ex universis iniquitatibus meis libera me. Ne renuas, optime Domine, liberare me a servitute daemonis. Cum cordis timore te exoro, qui sponte me redemisti, qui gratis etiam amasti me, usque adeo, ut propter me carnem assumeres, mortemque subires, atque teipsum mihi in cibum praeberes. Nunc autem immemor esse videor tantae bonitatis tuae, Salvator, servituti subjectus affectionum mearum pravarum. Quotidie clamo, peccavi; et quotidie peccare non desino. Meipsum itaque condemnans jaceo coram te, optime Jesu, miserere mei, et concede mihi peccatorum remissionem, o Deus misericors et omnipotens, qui potes de lapidibus suscitare tibi filios. Complaceat tibi, Domine, ut lapidea anima mea virtutibus foecunda appareat. Infructuosas cogitationes

meas evelle, et combure igne sancti Spiritus. Noli me exscindere tanquam arborem sterilem, et mittere in ignem inextinguibilem; neque declares me paleam ad ignis aeterni pabulum: sed tanquam triticum tuum, Deus meus, congrega me in horreum tuum. Qui vivis.“ *S. Ephraem.*

DIE XII. JANUARII.

1) Quid accepisti in baptismo? 2) quid promisisti et quasnam suscepisti obligationes? 3) quid recogitabis et facies amodo, imprimis quoties baptismi administrabis sacramentum?

PRECES ANTE MISSAM.

Nimis multa et magna mihi beneficia tribuisti, Pater omnipotens, aeterne Deus! Tua in me caritas et beneficentia longe superat angustos intellectus mei limites. Singulos vitae meae annos si respicio, ingentem beneficiorum tuorum invenio multitudinem. Grato igitur animo nunc altare tuum adibo, Optime Maxime, sacrificium tibi gratissimum et eucharisticum oblaturus in gratiarum actionem pro omnibus donis ac bonis, quae jam inde ab ineunte aetate in hanc usque horam de manu tua paterna gratis accepi.

„Gratias ago tibi, benignissime Deus, quod me, nullius momenti pulvisculum, per lavacrum sacri baptismatis ab originali culpa emundaveris, rectamque fidem donaveris, quam etiam augere non desinis per illuminationem gratiae tuae, per adhortationes sanctorum patrum, atque per institutionem sanctae matris Eccle-

siae. Per hoc missae sacrificium tibi gratias ago, quod ab ipso vitae meae exordio me semper nutrivisti atque fovisti, suppeditans mihi omnia, quae misero huic corpusculo meo erant necessaria. Gratias ago, quod me inde a puero, per universa fere scelera divagantem, patienter tolerasti, exspectans, donec per gratiam tuam resipiscerem. Quodsi mecum, ut promerueram, agere voluisses, jam dudum anima mea innumeris culpis ac negligentiis onusta periisset. Per sanctissima haec altaris mysteria gratias ago tibi, Pater omnipotens, quod me a periculoso hujus mundi consortio, a peccandi occasionibus segregatum adjunxeris sacerdotibus tuis, opportunitatemque tibi soli serviendi concesseris. Gratias ago, quod ex innumerabilibus insidiis, tentationibus, angustiis, tribulationibus atque periculis me hactenus liberaveris, dirigens, conservans, et protegens animam meam et corpus meum, ac mirabiliter dispensans omnem vitae meae ordinem inter prospera et adversa. O Pater suavissime! pro omnibus, quae mihi largitus es a primis infantiae meae cunabulis; et pro universis beneficiis tuis, quae quibuslibet aliis hominibus unquam dedisti ac daturus es, ego ex intimis meis, sicut possum, tibi gratias ago." *Ludov. Blosi.*

Domine Deus! clementer aspice hanc oblationem, quam Ecclesia catholica praesentat divinae Majestati tuae in gratiarum actionem pro sanctificatione aquarum in Jordane, ad praeparationem sacramenti baptismatis, quando Unigenitus tuus a Joanne baptizari dignatus est. Fac nos per hoc sacrificium impetrare, ut Spiritus sancti gratia in baptismo accepta, si forte per peccatum fuerit amissa, per sacramentum poenitentiae in nobis iterum reviviscat. Largire donum fidei gratiamque baptismi paganis, Judaeis, aliisque remotioribus populis, qui den-

sis errorum tenebris involuti sepultique jacent, ut Ecclesiam tuam ingressi tibi serviant, tuorumque nobiscum bonorum atque promissorum participes fiant. Hujus virtute sacrificii da Christianis adhuc innocentibus gratiam tuam, ut, quam in baptismo acceperunt, innocentiae vestem candidam, immaculatam deferant ad terrificum tribunal tuum. Omnibus auxiliare famulis tuis, ut per sanctae conversationis perseverantiam hi, qui in adoptionem vocati sunt filiorum, intrare mereantur in possessionem haeredum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Bone Jesu! quid boni ego habeo servus tuus, quoniam iterum ad me venire dignatus es? Ah, inops et pauper sum ego, plenus solummodo vitiis, et repletus multis miseriis. Ut quid igitur rursum ingressus es cor meum sordidum, o Jesu Fili Dei? — Illa nempe humilitatis atque misericordiae vi compulsus, qua perductus ad Joannem inter peccatores baptismum poenitentiae suscepisti, nunc etiam subintrasti cor meum, meamque refecisti animam sacrosancto corpore et sanguine tuo. Debitas tibi gratias ago pro salutari hoc cibo et potu, nec non pro illa divinae providentiae tuae dispositione, qua parentes catholicos nactus, et per lavacrum regenerationis initiatus sum sacris christianis. Verum, heu! quam ingratum me hactenus exhibui pro magno hoc beneficio! Promissa in baptismo facta non servavi, nec vitam egi christiano nomine vel homine dignam. Quid de candida innocentiae stola, mihi in baptismo tradita, factum fuerit, tu melius nosti, quam ego. — O Jesu suavissime! Autor innocentiae! Fons omnis puritatis! miserere mei; et secundum multitudinem miserationum

tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me, Domine, a vitiorum maculis, ne forte cum peccatoribus immundis projiciar in ignem aeternum. „Meam apud te causam suscipiat sacrum corpus tuum, quod sumsi; et ab aeternis me cruciatibus vindicet salutare, quo initiatus sum, baptismatis sacramentum [1].“

Quoniam illuminante gratia tua, Domine, jam melius agnosco, quantis ex titulis obligatus sim ad declinandum a peccato, et faciendam sanctissimam voluntatem tuam: ideo nunc, confidens de ope tua divina, propono ac firmissime statuo, cunctis corruptelarum illecebris fortiter resistere, milliesque potius saeva inter cruciamenta mori, quam animo deliberato offendere te. Quidquid tibi displicere cognovero, summa cura declinabo. Quidquid tu abominaris, o Jesu, abominor et ego; quidquid tu vis, volo et ego. Voluntati tuae posthac diligentius obtemperabo, et quae vel in baptismo vel alias tam sancte promisi, exactius adimplebo. Tuum imitari conabor exemplum, ut illarum acquiram habitum virtutum, quae tibi magis placent, mihique sacerdoti tuo magis congruunt. Praecipue vero profundissimam humilitatem tuam adumbrare studebo.

Cum autem absque speciali auxilio tuo, Domine, bona haec proposita mea opere complere non valeam: ideo etiam atque etiam obsecro te, ut tua mihi gratia succurrere digneris. Da, ut christianae humilitatis et modestiae leges nunquam transgrediar, de meipso humilius quam de proximis sentiam, et sub aliorum pedibus me incurvare non erubescam. Fac, ut poenitentiam (secundam post naufragium tabulam) firmiter retineam, nec unquam opera baptismi hujus laboriosi dimittam. Denique tibi

[1] S. Ephraem.

perenixe supplico, Jesu misericors, ut, qui de potestate tenebrarum ereptum me tibi concorporalem multoties facere dignatus es, facias et gloriae tuae cohaeredem. Qui vivis etc.

Die XIII. Januarii.

OCTAVA EPIPHANIAE.

In baptismo Christi signantur gratiae sanctificantis effectus: 1) anima baptizatur i. e. mundatur; 2) descendit super eam Spiritus sanctus ideoque; 3) fit sancta Deoque placens; 4) imo dilecta Dei filia; 5) coelumque ipsi aperitur.

PRECES ANTE MISSAM.

Creator omnipotens, aeterne Deus! propter summam divinae Majestatis tuae excellentiam, sapientiam, misericordiam atque potentiam dignissimus es, qui accipias ab omni creatura laudem, honorem et gloriam. En igitur ad aram tuam confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum. Ecclesiae totius nomine immolabo tibi sacrificium laudis in agnitionem supremi tui in nos dominii. Filium tuum dilectissimum, in quo solo tibi bene complaces, offeram hodie tibi Deo meo, qui singularia prorsus in me contulisti beneficia. Prae mille aliis hominibus ab originali culpa mundasti me aquis salutaribus, quas Filius tuus dilectus suo sanctificavit baptismo. Tinctus ego fonte sacro placui tibi, Patri meo, ut filius adoptivus. — At, infelix ego! jam dudum criminum maculis foedavi bap-

tismalis innocentiae stolam. Neque tamen a facie tua projecisti me, sed tempus et gratiam mihi concessisti ad agendam poenitentiam, imo novis in dies me beneficiis cumulasti.

Quid ergo retribuam tibi, liberalissime Pater? quid retribuam tibi, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis? tibi, qui sanas omnes infirmitates meas? tibi, qui redemisti de interitu vitam meam, et reples in bonis desiderium meum? Minor ego sum miserationibus tuis, Domine Deus! *quia misericordia tua magna est super me.* Quia creasti me, debeo tibi me totum; et quia perditum me regenerasti per Filium tuum dilectum, debeo plus quam me. Sed quid ego sum? Pulvis et cinis. Quid cetera mea omnia? Umbra et vanitas. Tu autem, Domine Deus meus, *bonorum meorum non eges.*

Ecce, Pater amantissime! in gratiarum actionem pro universis beneficiis, quibus Ecclesiam tuam exornasti, ego et ceteri consacerdotes mei offerimus tibi Unigenitum tuum in sacrificium eucharisticum. Nihil possumus dare melius, nec offerre quidpiam tibi gratius, quam eundem dilectissimum Filium tuum, in quo tibi semper ab omnibus retro saeculis bene complacuit. Et quoniam infirmi nos homines quotidie peccamus, offerimus tibi dilectum Jesum, qui peccatum non fecit nec facere potuit; Jesum, qui baptizat nos in Spiritu sancto et igni; Jesum, qui factus *propitiatio pro peccatis nostris*, dilexit nos, et lavit nos in sanguine suo. Hunc Jesum offerimus tibi hodie in satisfactionem delictorum nostrorum, suppliciter obsecrantes te per eundem carissimum Filium tuum, qui interpellat pro nobis, et exaudiri meretur pro sua reverentia, ut des Ecclesiae tuae incrementum et pacem, paganis fidei donum, pecca-

toribus veniam, justis perseverantiam, nobis omnibus gratiam tuam et vitam aeternam. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Perdulci superabundo consolatione, dum tacite considero, dilectissimum Dei Filium in corde meo nunc habitare. Laetor et exulto, mecum expendens, Verbum incarnatum, in quo sibi bene complacet Pater, modo requiescere in praecordiis meis. — Jesu suavissime! supplex adoro te, debitumque tibi homagium praesto. Humili corde laudo et glorifico te, o gaudium Angelorum, merces justorum, coelorum amoenitas et pulchritudo! Tu es sponsus Ecclesiae, totus amabilis, totus desiderabilis. Tu animae meae quies, consolatio, gloria, salus, vita. — Gratias ago tibi submississimas pro inaestimabili hac beneficentia tua, qua mihi servulo tuo tam indigno iterum dedisti carnem tuam manducandam, et sanguinem tuum bibendum.

Te baptizato *apertum est coelum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba,* supra caput tuum. Quia vero columba imago et figura est amabilissimae mansuetudinis, sanctae simplicitatis, illibatae puritatis, ac gemebundae compunctionis: ideo te obsecro, dilecte Fili Dei, ut iisdem me virtutibus decorare, ac iisdem donis Spiritus sancti locupletare digneris. Id imprimis a te peto, ut igne caritatis tuae me accendas, illumines, dirigas. Praesta, Domine, ut te semper habeam prae oculis, semper in memoria, semper in corde, semper in ore. O mi Jesu! nemo mortalium capere potest, quis sis in *natura*, qualis in *gratia*, quantus in *gloria*. Id unum intelligo, Domine, quod *natura* sis incomprehensibilis, *gratia* inaestima-

bilis, *gloria* incogitabilis; natura magnificus, gratia speciosus, *gloria* copiosus; mirifica est *natura tua* in omnibus operibus tuis, diffusa est *gratia* in labiis tuis, magna est *gloria tua* in omnibus sanctis tuis. — Coeli enarrant gloriam tuam, Domine, et pulchritudinem tuam annuntiat firmamentum. Quis te non diligat? Quis te in coelesti patria intueri non aveat? O quantum ibi gaudebo, ubi te talem (sed nunc dicere nescio, qualem) contemplabor facie ad faciem! Utinam propediem moriar in gratia tua, quo citius te videam in gloria tua. Fac interim, o Fili Dei dilectissime, ut res caducas despiciam, dignitati meae consulam, et nihil in me sentiam praeter amoris tui flagrantiam.

„Jussu tuo, Domine, conticescant mihi transitoria cuncta. Omnia, quae creata sunt, transcendat anima mea, atque in te solo figat oculos fidei: tibi unice intendat, te solum meditetur, te contempletur, te verum ac summum Bonum, te gaudium meum sine fine mansurum. Rogo te per vulnera tua salutifera, e quibus emanavit ille sanguis pretiosus, quo fui redemtus: vulnera, quaeso, vulnera peccatricem animam meam telo divinae caritatis tuae, ita, ut ex ipso amoris vulnere uberrimae fluant lacrymae, ut lugeam die ac nocte, nullam admittens in hac vita consolationem, donec merear in coelo videre te dilectum Dominum et Deum meum; ut ibi videns gloriosam et pulcherrimam faciem tuam, cum iis, quos elegisti, Majestatem tuam pronus adorem, et illic tandem, ineffabili repletus gaudio, exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce, quod quaesivi, jam video; quod speravi, jam teneo; quod desideravi, jam sine fine possideo“ [1]. *Te Deum laudamus etc.*

[1] S. Anselm.

FERIA II.

Intra Hebd. I. post Epiphaniam.

Considera s. missam 1) secundum quod quadruplex sacrificii genus comprehendit (latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, impetratorium); 2) quam immensum in ea habeas thesaurum; 3) quomodo hoc uti debeas, sc. quomodo sub quadruplici illo respectu te debeas praeparare et missam offerre.

PRECES ANTE MISSAM.

Latreuticum istud altaris sacrificium offerimus tibi, Pater aeterne, rerum omnium Conditor praepotens, ut coram coelo et terra profiteamur illimitatum tuum dominatum in universas creaturas; et ut nostram simul contestemur demississimam subjectionem et dependentiam a te. „Domine Deus omnipotens, qui consubstantialem et coaeternum tibi ineffabiliter genuisti Filium, quocum, unacum Spiritu sancto, omnia quaecunque existunt, visibilia et invisibilia creasti: te suppliciter adoramus, te laudamus, te benedicimus, teque glorificamus.“ *S. Coelestin P.*

Quatenus sacrificium hoc est *eucharisticum*, offerimus tibi illud, benignissime Deus, in gratiarum actionem pro inscrutabili misericordia tua, qua Verbum tibi coaequale in hunc mundum misisti propter nostram salutem. Actum videbatur de humano genere post lapsum primi hominis. Sed tu Deus infinite misericors in tempore opportuno, in ipso naufragii articulo succurristi, inexspectato plane consilio cunctisque saeculis obstupescendo: nimirum ut ipse Unigenitus tuus humanam assumeret naturam, et arctissimo sibi vinculo eam adstringeret in unitate per-

sonae, ut ita similis nobis homo mortalis nostro nomine, suis vero cruciatibus justitiae tuae satisfaceret. Eo fine *Verbum caro factum est.* Filius tibi coaeternus in tempore induit servi formam; natus est in stabulo ut pauper, fasciis involutus ut infans, lacrymatus ut miser, in exilium deportatus ut malefactor, parentibus subditus ut famulus, baptizatus ut peccator, tentatus a diabolo, conversatus cum piscatoribus. Tandemque post tot salutaria praecepta suis tradita, post tot virtutum exempla palam exhibita, post tot itinerum incommoda, post tot labores et dolores patienter toleratos, completurus redemtionis nostrae opus, se totum pro nobis impendit in pretium; atque (ut filii tui nominemur et simus) vitam cum sanguine profudit in ara crucis, morte ignominiosissima sublatus. Pro tanto redemtionis nostrae beneficio tibi grates referimus per istam oblationem.

Quatenus autem hoc sacrificium est *propitiatorium*, offerimus illud tibi, justissime Pater, in plenam expiationem omnium offensarum, quas ingrati nos filii tui hactenus irrogavimus tremendae Majestati tuae. Propitiare nobis, quaesumus, per merita Filii tui incarnati, qui corpus et sanguinem suum, pro nobis in cruce tanquam lytrum redemtionis nostrae oblatum, in sacrosancto altaris mysterio nobis reliquit, non modo in sacrificium ad placandam justitiam tuam, sed etiam in alimentum, quo reficiamur in vitam aeternam.

Quatenus denique hoc sacrificium est *impetratorium*, offerimus tibi illud ad impetrandam gratiam nobis adeo necessariam, ut tanquam filii tui carissimi morum integritate placeamus tibi, et sequamur Unigenitum tuum, Verbum incarnatum, plenum gratiae et veritatis. O Pater sancte, qui elegisti nos in Christo ante

mundi constitutionem, et praedestinasti nos in adoptionem filiorum: fac ut tali nomine digni maneamus, et in hac vita sancti et immaculati simus in conspectu tuo, in altera vero haeredes tui et cohaeredes Christi. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Genibus flexis humiliter adoro te, o Verbum caro factum, cujus in faciem semper oculi Patris haerent defixi. Supplex adoro te, Verbum Dei, plenum gratiae et veritatis, in quod unum ego totam mentis aciem intendere gaudeo. Vehementer obstupesco, Domine, ac prae ingenti admiratione propemodum contabesco. — Vere nunc in me Verbum magnum, Verbum caro factum, quod olim visibiliter habitavit in terris. O Verbum adorandum! cur audeo loqui tecum ego pulvis et cinis? Quid agam vel cogitem coram terrifica Majestate tua? — O mysterium mysteriorum! In sinu meo Jesus meus; Verbum pulchrum, a quo omnia pulchra; Verbum dulce, a quo omnia dulcia; Verbum bonum, a quo omnia bona: Verbum amore mei caro factum, nunc in medio cordis mei! Sanguis ejus purissimus in venis meis! — Lingua haesito, admiratione nimia defixus. Si diligentius immensitatem ac caritatem tuam, Domine, meamque simul extremam miseriam ac indignitatem intueor, totus deficio, nec amplius mei compos sum. — —

O Verbum omnipotens! propter nos homines e nihilo produxisti creaturas innumeras, ut nostris servirent commodis. Stellarum milliones de nocte rutilant, et de firmamento coeli nobis annuntiant, ut diligamus te Creatorem pulcherrimum, saepiusque respiciamus mercedem magnificam, in coelo nobis paratam. Inter

omnes creaturas tuas, o Verbum caro factum, nihil deesse nobis pateris, quin ad tui cognitionem et amorem adducamur. Sed o quam parum ego hactenus id considerabam! Frequenter equidem magna opera tua stupebam, sed inani miratione, cum exinde non fuerim accensus ad amorem et servitium tuum. Fac, o Verbum omnipotens, ut saltem posthac discam a creaturis ratione carentibus servire tibi.

Longe majora sunt beneficia spiritualia et gratiae dona, quae a te accepi, o Verbum caro factum! Imbui me scientiis curasti, quo magis te agnoscerem atque diligerem. Ad eximiam sacerdotii dignitatem evexisti me, ut quotidie te Verbum incarnatum haberem in manibus et in brachiis animae meae. O beneficium ineffabile! o dignitatem omnium excellentissimam, pro qua me nunquam satis gratum exhibere valeo! Haec omnia, quae a te in me profecta sunt, beneficia mihi luculenter enarrant magnalia bonitatis tuae, et luce meridiana clarius ostendunt, quod ab aeterno amaveris me, et in coelo jam mihi praeparaveris gloriae coronam. Hic in terris invisibilem te possideo in sacrosancto altaris mysterio, et quasi per speculum in aenigmate conspicio te; ibi autem in coelesti regno tuo videbo te facie ad faciem. Ibi palam sine velamine contuebor te, Verbum Patris, plenum gratiae et veritatis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. At singulariter in me benignus fuisti, carissime Jesu! nam (quod nunquam satis repetere valeo) ad veram Ecclesiam tuam me adduxisti, ex massa damnationis me misericorditer eripuisti, ad amplissimam sacerdotii dignitatem me vocasti; quin imo socium Angelorum, concivem sanctorum, haeredem Dei ac cohaeredem tuum me constituisti. — O bonum Verbum! jam deficiunt mihi verba, quia animo

deficio; nec aliud quidquam ultra scio dicere, nisi: *Bonus Dominus et laudabilis nimis.*

FERIA III.

Christus tentari voluit: 1) ut meritis suis nobis contra tentationes auxilium ferret, et „sic nostras tentationes suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare"; 2) propter nostram cautelam, ut nullus, quantumcumque sanctus, se aestimet securum a tentatione; 3) ut exemplo suo nos instrueret, quomodo tentationes vincere possimus; 4) ne pusillanimes et anxii fieremus in tentationibus.

PRECES ANTE MISSAM.

Tibi prece supplicamus demississima, *Pater noster, qui es in coelis!* ut de coelis clementer respicias super nos filios tuos, qui peregrinantes super terram exulamus a patria coelesti, et in hac lacrymarum valle plorantes, variis in dies tentationibus agitamur ab inimicis. In hoc certamine periculoso te oramus, Pater noster, ut benignas obsecrationi nostrae praebeas aures.

Sanctificetur nomen tuum. Ante omnia serio desideramus, ut nomen tuum, in se sanctissimum, etiam a nobis sanctificetur ac honoretur; ut universae totius orbis terrarum nationes adorent te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.

Adveniat regnum tuum. Fac, o Rex omnium regnantium, ut tuum in nos dominium agnoscamus, tuamque supremam potestatem revereamur. Ne permittas dominari in nos vitiorum aut diaboli tyrannidem,

sed regnum tuum ita nobis adveniat, ut et hic intra nos sit divinum gratiae tuae regnum, et ibi nos simus in regno tuo coelesti.

Fiat voluntas tua, bone Pater, et effice, quaesumus, ut, *sicut in coelo* voluntati tuae parent Angeli, ad nostram custodiam deputati; ita *et in terra* degentibus nobis voluntas tua sit omnium actionum nostrarum regula: ut non vivamus ex voluntate carnis, mundi, vel satanae; sed tuis semper obsequamur mandatis usque ad mortem.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Necessaria hujus vitae subsidia ut digneris subministrare nobis, suppliciter obsecramus. Quia vero non in solo pane terreno vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore tuo: coelesti nos sic instrue doctrina, ne fallaci decipiamur sapientia mundi. Adhaec illum esurimus et petimus panem vivum, qui de coelo descendit. Conforta pane isthoc corda nostra, quo virilius cum antiquo serpente confligamus, eumque felicius vincamus.

Et dimitte nobis debita nostra, quae hactenus blanditiis hostilibus imprudenter cedendo contraximus. Da nobis insipientiae veniam; *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, qui nos quolibet modo contristaverunt. Ignosce nobis omnibus per merita sacrificii hujus propitiatorii, quod immolabimus super altari tuo.

Et ne nos inducas in tentationem. Crebro nos ab inimicis impugnari sinis, Pater, ut, quo gravior fuerit pugna, eo splendidior sit et corona. Memores autem imbecillitatis nostrae tuum imploramus auxilium in nomine Unigeniti tui, qui aliquando tentatus a diabolo nobis modum pugnandi monstravit, et gratiam vincendi promeruit. Per ejus merita precamur te, ne permittas nos succumbere cuipiam tentationi.

Sed libera nos a malo: et quia malum peccato majus non est, ita dirige voluntates nostras, ne unquam peccato consentiamus. Quotidie nobis pugnandum est cum mundo, carne, et diabolo; ideo confugimus ad te, clamantes iterum atque iterum: Libera nos a clade funesta, ne parata privemur victoriae corona. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Ex toto corde meo tibi gratias ago, suavissime Jesu, pro incomprehensa bonitate tua, qua me rursum admisisti ad divinam mensam tuam. Nulla ratione compensando sum tam grandi beneficio. Tua in nos homines dilectio et munificentia omnem mentis humanae cogitationem excedit. Quadraginta diebus jejunasti in deserto, nunc autem teipsum nobis manducandum praebes in templo tuo; nec tantum corpora nostra pascis terreno pane, sed et animas nostras enutris cibo angelico, pane coelesti, et ita confortas corda nostra adversus incursiones diabolicas.

Te Dominum Deum meum adoro, tibique posthac majore animi fervore et alacritate servire statuo. Confirma, Domine, quod operatus es in me. Corrobora me meosque omnes, quorum de salute mihi gravis est cura; conforta nos ope tua divina, ut in quotidiano cum inimicis certamine te ducem sequamur, tuisque vestigiis inhaereamus. Fac, ut omnia gulae irritamenta respuentes sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo. Desertum ingressus es, et pugnasti cum antiquo serpente, ut idonea nobis arma suppeditares ad eundem vincendum.

„Quis te ducem coelestem in tentationum et laborum

certamine imitari tergiversetur? Quis salutaribus tuis monitis obtemperare negligat? Transfige corda nostra sagittis amoris tui, ut in te sit habitatio nostra, pax nostra, refectio et satietas nostra, fiducia et fortitudo nostra, et omne bonum nostrum. Tui memoria quid dulcius? Tui amore quid jucundius? Tui possessione quid delectabilius? Nihil melius te quaeritur, nihil ardentius amatur, nihil suavius possidetur. Norunt haec, qui diligunt te. Amor tuus, o Jesu, immortalitatis est origo, virtutum radix, credentium vita, peregrinantium solatium, militantium robur, triumphantium merces. Qui tentationum insultibus exercetur, veniat ad te, et imitando te victor existet. Teipsum enim tentari permisisti, ut in tuis nostras doceres nos superare tentationes. Commendasti nobis, in certamine constitutis, *loci* solitudinem, ciborum paroitatem, terrenorum contemtum, legis divinae meditationem, et orationis perseverantiam; his munitus armis cum hoste dimicaturus intrasti in stadium, et reportasti triumphum.“ *S. Laur. Just.*

Domine Jesu! fac, ut iisdem utamur armis in spirituali nostro certamine; ut semper sobrii simus et vigilemus in solitudine, quia adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret. Succurre nobis, Dux pugnantium invictissime, ut *armis* tuis strenue pugnemus adversus mundi et carnis et diaboli blanditias; atque ceu milites tui fortes, devictis hostibus nostris, jucundius tecum in perpetuas gaudeamus aeternitates. Amen.

FERIA IV.

De Angelo custode considera quid debeas: 1) Deo, qui tantam tibi ostendit bonitatem; 2) Angelo, qui tanta tibi praestat beneficia; 3) tibi ipsi, qui tali gaudes praesentia et custodia; 4) proximis, ex iisdem rationibus.

PRECES ANTE MISSAM.

„*Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Panis, quem ego dabo caro mea est. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* — Haec sunt verba tua, Christe, Veritas aeterna! Libenter suscipio ea ex ore tuo, ut arctius inserantur cordi meo. Excitant me verba tantae pietatis, plena dulcedinis et dilectionis: sed terrent me delicta propria; et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia. Provocat me dulcedo verborum tuorum; sed onerat multitudo vitiorum meorum. Jubes, ut fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem; et ut immortalitatis accipiam alimoniam, si aeternam cupiam obtinere vitam et gloriam. *Venite*, inquis, *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* O dulce et amicabile verbum in aure peccatoris, quod tu, Domine Deus meus, egenum et pauperem invitas ad communionem tui sanctissimi corporis. Sed quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Ecce coeli coelorum te non capiunt; et tu dicis, *Venite ad me omnes.* Quid sibi vult ista piissima dignatio et tam amicabilis invitatio? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam? Reverentur Angeli et Archangeli; metuunt sancti

et justi: et tu dicis, *Venite ad me omnes?* Nisi tu, Domine, hoc diceres, quis verum esse crederet? et nisi tu juberes, quis accedere attentaret?" *Imit. Chr. l. IV. c. 1.*

Uterque Tobias, parens et filius, cum Angelum esse audirent, quem antea putaverant esse hominem, *trementes ceciderunt super terram in faciem suam*, et *prostrati per tres horas benedixerunt Deum.* — „Et ego, quomodo te in domum meum introducam, qui vix mediam expendere devote novi horam? et utinam vel semel digne fere mediam! Heu, quam pusillum est, quod ago! Raro totus collectus, rarissime ab omni distractione purgatus. Et certe, in tua salutari Deitatis praesentia, nulla deberet occurrere indecens cogitatio; quia non Angelum, sed Angelorum Dominum susceptturus sum hospitio. Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardesco praesentiam? Cur non majore me praeparo sollicitudine ad tua sancta sumenda? Tu praesens es apud me in altari, Deus meus, Sanctus sanctorum, Creator hominum, et Dominus Angelorum. O invisibilis Conditor mundi Deus! quam mirabiliter agis nobiscum! quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in sacramento sumendum proponis! Gratias tibi, Jesu bone! quia nos pauperes et exules dignatus es pretioso corpore et sanguine tuo reficere, et ad haec mysteria percipienda etiam proprii oris tui alloquio invitare, dicendo: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos*" [1]. Ecce venio, Domine Jesu, Rex Angelorum! eoque majore ad te fiducia et aviditate propero, quo pluribus oneratus sum laboribus atque miseriis.

[1] Ibidem.

Festino ad mensam tuam, ubi dulcissimum mihi parasti convivium. Fac, optime Jesu, ut digne sumam hanc vitae alimoniam et refectionem animarum sanctarum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Hominum miserrimo subministrasti nunc cibum potumque suavissimum, o Jesu munifice! Languidam refecisti animam meam sacrosancto corpore et sanguine tuo. Quid vero dignum pro tali beneficio tibi referre potero? Haud enim omnibus datum est, ut te Dominum Angelorum quotidie manibus portare ac cordibus recipere valeant. Numquid magnum aliquid praestabo, si serviero tibi Creatori ac Redemtori meo, cui servire regnare est? Angelorum coetus ad nutum tuum praesto sunt, ut exequantur mandata tua. Iisdem mandasti de me, ut custodiant me in omnibus viis meis, et serviant mihi homuncioni vilissimo. Super haec omnia tu ipse, Rex Angelorum, ministras mihi panem vitae et calicem salutis, quoties anima mea, torpore laborans ac aerumnis onerata, recurrit ad mensam tuam. O caritas! o inexhausta munificentia! — *Benedicite, Angeli Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in saecula;* quia manducavit Dominum pauper servus et peccator humilis.

Prostratus ad pedes tuos, Domine Jesu, suppliciter adoro te; et attonitus super magnitudine bonitatis tuae, aliud dicere nescio, nisi: *Diligo te ex totis viribus meis.* Vehementissime desidero, cunctos amoris affectus in corde meo collectos habere, quibus omnes coelestium spirituum chori te complectuntur. Utinam hactenus omne tempus vitae meae transegissem in servitio tuo. Sed infelix ego, diaboli fraude circumventus, non semper

servivi tibi Domino meo clementissimo, qui non venisti ministrari, sed ministrare. „Sciens volensque reus factus sum, fateor. Meam respice imbecillitatem, et parce mihi, Salvator optime! Peccata mea tibi nota sunt omnia. Misericordia tua, Domine, mihi subveniat. Contra vitium mihi fortiter in acie standum ac strenue dimicandum erat atque vincendum. Decertavi quidem; sed exitum pugna habuit infelicem. Restat, Domine, ut poenam deprecer, cum praemium petere victo non liceat. Clementia tua ex igne me vindicet sempiterno, dum mea me ignavia praemio indignum fecit.“ *S. Ephraem.*

Statutum mihi nunc, ratum, fixumque est, (testes invoco sanctos Angelos tuos) deinceps virilius agere, alacrius tibi servire, ab omni vitio abhorrere, virtutes sectari, et zelo apostolico unice gloriam tuam et animarum salutem quaerere. Hanc esse mentem meam, summa animi demissione coram tremenda Majestate tua profiteor; simulque contestor omnes creaturas, quod corde sincero cupiam ad amussim haec observare, ac custodire judicia justitiae tuae. — At frustra in his navabo operam, nisi tu operi manuum tuarum porrigas dexteram. Oro te itaque, Rex Angelorum, adesto mihi semper in omnibus viis meis; et qui olim ita devicisti diabolum, ut a te recesserit usque ad tempus amarissimae passionis tuae: repelle a me inimicum hunc infernalem, quoties aggredietur me. „Nimio triumpharet gaudio diabolus, quando me teneret captivum. Confunde spem illius, Domine! extrahe me a faucibus ejus et ab omni ipsius molimine contra me excogitato. Largire mihi lumen tuum, ut insidias cognoscam adversarii mei, qui innumera mihi ponit cadendi offendicula, et ad perniciem meam jugiter vigilat.“ *S. Ephraem.*

Conforta me (meosque omnes, quorum saluti me

oportet invigilare) ut protrito serpente antiquo serviamus tibi in sanctitate et justitia. Da, ut juxta coelestium spirituum exempla et monita voluntati tuae sic obsequamur in terris, ut inter illorum choros aliquando mereamur te Deum laudare in coelis. Amen.

FERIA V.

Missa est sacrificium propitiatorium: 1) Offertur in ea Christus, qui est propitiatio nostra, Agnus Dei, qui tollit etc.; 2) gratias nobis impetrat ad recuperandam remissionem peccatorum necessarias (et validissima etiam continet motiva, ad contritionem excitantia); 3) poenas remittit temporales.

PRECES ANTE MISSAM.

Universitatis totius Opifex et Gubernator! Pater immensae majestatis! en ego tuorum minimus famulorum, clementer a te vocatus ad Ecclesiae ministerium, accedo nunc ad celebrandum verum ac nobilissimum novi Testamenti sacrificium. Humili corde offero tibi sacrificium vere propitiatorium, Agnum mitissimum, ipsum Unigenitum tuum, sub panis et vini speciebus absconditum. Istam oblationem et hostiam sanctam, cum infinitae sit dignitatis et omnibus antiqui testamenti holocaustis longe praestantior, Deus non despicies. Suscipe igitur hanc infiniti valoris hostiam in cultum latriae tibi Deo soli debitum, in testimonium excellentiae ac omnipotentiae tuae, in contestationem supremi dominii tui in omnes creaturas, et absoluti imperii tui in vitam et mortem nostram.

Hoc etiam fine progredior ad aram tuam, munificentissime Pater, ut de imo pectore, et totius ecclesiae nomine tibi gratias agam pro universis beneficiis tuis, praesertim pro singulari caritate et misericordia tua, qua dilectum Filium tuum de coelis in terram misisti ad nos peccatores, eumque dedisti nobis Agnum vere divinum, qui tollit peccata mundi.

Venio praeterea, justissime Deus, ad altare tuum magna cum reverentia, propriis et alienis onustus peccatis, ut offeram tibi sacrificium vere propitiatorium. Ah! quot et quanta per singulos dies in universo terrarum orbe scelera patrantur, quibus acerrima tua in homines ira provocatur atque vindicta. Ingenti pavore concutior, dum plerasque nationes in foedissimo flagitiorum coeno jacere conspicio. Fatemur, aequissime Pater, iniquitates nostras. Ignosce nobis miserrimis peccatoribus, ac culpas clementer remitte. Ut autem sine ullo justitiae tuae praejudicio remissionem delictorum nobis concedere valeas: in satisfactionem ac compensationem injuriarum, quibus in dies offendimus te, cum aliud non suppetat pretium, offerimus tibi carissimum Filium tuum, Agnum innocentem, ceu dignissimam placationis hostiam pro peccatis nostris.

Utinam incruentam hanc propitiationis victimam majore quam hactenus devotione ac reverentia offeramus, et in posterum omnia peccata atque peccandi pericula sollicitius declinemus. Quod ut praestare possimus, ope tua indigemus. Ad hanc impetrandam offerimus divinae tuae Majestati eundem Agnum mitissimum, qui seipsum in ara crucis sacrificavit, ut tuam nobis gratiam impetraret. Per merita incruenti hujus sacrificii, quod in altari peragimus, auxiliare nobis, Omnipotens, ut mandata tua custodiamus, nostramque salutem operemur. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Carne tua sacrosancta nunc cibasti me, o Agnus Dei, tuumque mihi sanguinem bibendum dedisti. Singularem hanc tuam in me benevolentiam admirari possum, pervestigare non possum. O felicem me! — Pretiosus cruor Agni mitissimi circumfluit in venis meis, in venis vilissimi canis, miserrimi hominis. Stupore defixus haereo, dum Agnum Dei mansuetum in sinu meo foveo. — O anima mea, cur non liquescis in hoc temporis articulo? cur non imbre lacrymarum perfundis Agni hujus pedes? An usque adeo induruit cor meum, ut ad talem divini amoris excessum non emolliatur? —

Jesu suavissime! quo te rursum inclinavit immensa caritas tua, quia teipsum mihi peccatori manducandum dedisti? — Totus expavesco ad terrificam Majestatis tuae praesentiam, dum intueor abyssum extremae vilitatis ac indignitatis meae. — Blanda nihilominus spes redit, dum mecum reputo, Agnum te esse, non Leonem. Imo et Leo es de tribu Juda; Leo formidabilis, sed nostris tantum inimicis, ac obstinatis peccatoribus: nobis autem poenitentibus Agnus Dei es, qui tollis peccata mundi. Miserere mei, bone Jesu, dum tempus est miserendi.

„Propter multam misericordiam tuam, Domine, suscipe deprecationem meam: parce mihi multis peccatis involuto. Inclina aurem tuam ad preces meas, et dimitte mihi, quaecunque velut homo a perversa superatus voluntate commisi flagitia. Libera me a pessimis operibus meis, et ne retribuas mihi secundum ea, quae perpetravi, ne omnino peream: etenim omnibus destitutus sum viribus, ut meipsum corrigam. O Agnus Dei qui tollis peccata mundi! disrumpe vincula criminum

meorum, quibus veluti catenis constrictus sum: tu enim velox es ad misericordiam, et tardus ad poenam. Non vis hominis interitum, nec avertis faciem tuam ab eo, qui ad te levat oculos suos." *S. Ephraem.*

Obsecro te, clementissime Jesu! exsolve me meosque omnes criminum vinculis, quibus constricti sumus. Patri tuo nos reconcilia, cujus ex voluntate in ara crucis te sacrificasti pro nobis, o Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Tolle mundi in maligno positi perversitatem. Aufer omnia mala et scandala, quibus hodie plena sunt omnia; tolle schismata et haereses; comprime seditiones perniciosas, quibus ardent omnia. Tolle a nobis omnia vitiorum monstra. Radicitus tolle a nobis, quaecunque tibi displicent in nobis; ac clementer tribue nobis, quaecunque tibi placent in nobis, ut mereamur aliquando cum electis in coelo cantare: *Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. Amen.*

FERIA VI.

Christus comparatur agno: 1) ob puritatem suam, mansuetudinem, patientiam etc.; 2) quia pro nobis occisus est et quotidie sacramentaliter immolatur; 3) quia est cibus noster in via ad terram promissionis.

PRECES ANTE MISSAM.

Non sum dignus, qui compaream ante tremendam Majestatem tuam, omnipotens sempiterne Deus, Pater gloriae, et Domine coeli et terrae. Tot enim admisi culpas, ut tuum subire conspectum merito formidem.

Animatus tamen incomprehensa benignitate tua, quae me indignum sacerdotii dignitate ornavit, venio nunc ad immolandum tibi Agnum immaculatum, ipsum videlicet Unigenitum tuum. Offero tibi, Pater, hanc hostiam purissimam ad honorem et gloriam adorandae Majestatis tuae, in signum infimae subjectionis nostrae in summam dominationem tuam, in commemorationem acerbissimae passionis ac mortis D. N. J. C. et in gratiarum actionem pro beneficiis, mihi ac universo fidelium coetui benigne concessis.

Immolabo tibi, Pater misericors, Agnum illibatum in expiationem et sanctificationem pro peccatis meis et totius mundi. Pater! ecce Agnum divinum, qui cruento quondam modo se immolavit in ara crucis pro nobis peccatoribus. Ecce Agnum immaculatum! clementer respice victimam istam, et fac, ut ejusdem merita proficiant animabus nostris. Emunda conscientias nostras a delictorum maculis, et in posterum nos puros et immaculatos conserva: ut aliquando mereamur inter sanctos tibi, *sedenti in throno, et Agno* decantare laudes aeternas. Memento NN.

Ad Christum. Et tu, suavissime Jesu! ubinam existis? — *Magister! ubi habitas?* — Ubi es, dilecte mi? Nempe in coelo ad dexteram Patris, et in terra super altari tuo, et in corde hominis justi. „Ecce, Domine Deus meus, inveni locum, ubi libenter habitas: nempe in anima, quam creasti ad imaginem et similitudinem tuam; in anima, quam redemisti pretioso sanguine tuo; in anima, quam signasti lumine vultus tui, et consecrasti virtute lavacri tui; in anima immortali, quae facta est capax Majestatis tuae; in anima, quae te solum quaerit ac desiderat. Si te habet anima, nihil est, quod ultra desideret: cum enim sis summum Bonum.

illa non habet, quod desideret amplius. Tu imples omne desiderium illorum, qui nihil aliud desiderant praeter te." *S. Aug.*

Domine Jesu! tu es amor meus, cujus benevolentiam unice quaero, cujus praesentiam vehementer aveo. Tu es magister meus, cujus vocem libenter audio, cujus praecepta humili ac docili corde amplector. Tu es Agnus immaculatus, cujus dilectionem obstupesco, cujus mortem ad aram recolo, cujus carnem ibi manduco, cujus sanguinem bibo. Quod ut digne fiat a me, amplius lava me ab iniquitate mea, o Agne immaculate, qui tollis peccata mundi; simulque cor meum exorna virtutum splendore, ut dignum fiat habitaculum Majestatis tuae. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Recedens a tremendo altari tuo, Domine Jesu, totus quantus trepido, dum te, Agnum imaculatum, circumfero in corde meo sordido. Quid tibi loquar, nescio, nimia formidine et admiratione suspensus. Abjicio me ad pedes tuos, suavissime Jesu, et suppliciter adoro te, revera praesentem in medio cordis mei. — Mirabilis plane haec est bonitas tua, qua mihi jam denuo corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum. Fateor, Domine, cor meum nimis indecorum esse habitaculum pro tali hospite. Da, quaeso, veniam audaciae meae, qua mensam tuam purissimam adivi. Spero ab infinita misericordia tua remissionem delictorum meorum. Nam ideo venisti in mundum, o Agnus Dei, ut tolleres peccata mundi. Ideoque sicut ovis ad occisionem ductus et in ara crucis occisus es, ut reconciliares nos Deo in sanguine tuo. Ideo peccata nostra pertulisti in corpore

tuo super lignum, *ut peccatis mortui justitiae vivamus* [1].

Laudo et glorifico te, Jesum meum, Agnum immaculatum: *dignus* es enim *accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo; et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* [2]. Utinam dignas tibi grates persolvere possem pro speciali munificentia tua, qua mihi hodie praebuisti epulum vere divinum, potumque pretiosissimum. Saltem eo nervis omnibus contendam, ut te Agnum Dei propius sequar, tuisque vestigiis pressius inhaeream. Gnaviter imitabor te cum aliis discipulis ac servis tuis fidelibus, quibus hodiedum acclamas: *Venite, et videte.* Humanissima nos invitatione allicis ad sequelam tuam, ad virtutes tuas adumbrandas. Fac me strenue sequi exempla patientiae et mansuetudinis tuae. In novissimo die, quo tota hominum definietur aeternitas, dices ad electos: *Venite, et videte* laboris vestri mercedem magnam nimis! *Venite,* benedicti Patris mei, *et videte* bona Domini in terra viventium, *et possidete* haec in perpetuum! — O dulcissime Jesu! non recuso pro gloria nominis tui gravia loqui, graviora agere, gravissima pati. Firmiter propono, quotidie magis satagere, ut per bona opera certam meam vocationem et electionem faciam, quo certius commerear te Agnum Dei coram videre et tecum manere in coelesti regno tuo. Amen.

---

[1] 1 Petr. 2. [2] Apocal. 5

SABBATO.

Praepara teipsum diligenter ad missam digne celebrandam: 1) quia sacrosanctum, quod tractaturus es; 2) quia magnitudo fructus a te percipiendi pendet etiam a dignitate et praeparatione tua; 3) quia magno te exponis periculo, si absque praeparatione accedis; 4) quia sine ista etiam alios quodammodo exponis periculis et privas commodis.

PRECES ANTE MISSAM.

Fili Dei, Jesu Christe, Rex Israel, Dominator coeli et terrae! infinitae tuae in me caritati satis non erat, quod pro me fueris tam atrocia passus, et demum in ligno crucis mortuus: voluisti praeterea teipsum mihi dare in cibum. Idcirco praecelsum altaris sacramentum instituisti, et me peccatorem in amplissima sacerdotii dignitate locasti (tot aliis hominibus multo dignioribus praetermissis), ut coelesti convivio quotidie possem reficere languentem animam meam.

„Super magna misericordia tua, Domine, confisus accedo, aeger ad Salvatorem, egenus ad Regem coeli, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum Consolatorem. Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? Quis ego sum, ut praestes mihi te ipsum? Quomodo audet peccator coram te apparere? et tu quomodo dignaris ad peccatorem venire? Tu nosti servum tuum; et scis, quia nihil boni in se habet, unde hoc illi praestes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco tuam bonitatem, et gratias ago propter nimiam hanc caritatem tuam. Propter temetipsum enim hoc facis, ut bonitas tua mihi magis innotescat. Quia ergo

tibi hoc placet, et tu sic fieri jussisti, placet et mihi dignatio tua. O dulcissime et benignissime Jesu! quanta tibi reverentia et gratiarum actio debetur pro susceptione sacri corporis tui, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur. Sed quid cogitabo in accessu ad Dominum meum, quem debite venerari nequeo, et tamen devote suscipere desidero? Quid cogitabo melius et salubrius, nisi meipsum totaliter humiliando coram te, et tuam infinitam bonitatem exaltando super me? Despicio me, et subjicio me tibi in profundum vilitatis meae. Ecce, tu Sanctus sanctorum: et ego sordes peccatorum. Ecce, tu inclinas te ad me, qui non sum dignus ad te respicere. Ecce tu venis ad me, tu vis esse mecum, tu invitas me ad convivium tuum. Tu mihi dare vis coelestem cibum et panem Angelorum ad manducandum, non alium sane, quam teipsum, panem vivum, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo. O quam salutare et utile consilium tuum, cum istud instituisti! Quam suave et jucundum convivium, cum teipsum in cibum donasti! Mira res et fide digna, quod tu, verus Deus et homo, sub modica specie panis et vini integer contineris, et sine consumptione a sumente manducaris. Tu, Domine universorum, qui nullius habes indigentiam, voluisti per sacramentum tuum habitare in nobis. Conserva cor meum immaculatum, ut pura conscientia valeam tua celebrare mysteria, et ad meam perpetuam accipere salutem, quae ad tuum praecipue honorem et memoriale perenne sanxisti et instituisti" [1].

Domine Jesu, Fili Dei, obsecro te per vim et efficaciam hujus sacrificii: averte ab hac dioecesi et pa-

[1] Imit. C. l. IV. c. 2.

tria nostra publicas calamitates. Miserere omnium, quorum mihi curam demandasti. Auxiliare singulis consacerdotibus meis, et fac nos tanta morum sanctitate eminere, ut quotidie reddamur digniores, te manibus nostris ad aram tractare. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Te suppliciter adoro, Domine Jesu! — Provolutus ad pedes tuos adoro te praesentem in corde meo, tibique demississimum praesto homagium. Laudo et magnifico te, summa captus admiratione super magnitudine caritatis tuae. O quam bonus es, Rex coeli et terrae, qui ad me hominem peccatorem divertisti! Quantum est discrimen inter te et me! Tu Deus immortalis, in teipso felicissimus, Rex omnium Angelorum atque sanctorum: ego autem homo mortalis et omni ex parte miserabilis. Tu Dominus meus et Deus meus: ego sacerdos tuus omnium indignissimus, qui in tam eximio honoris gradu positus dignitatem meam indignis dedecoravi facinoribus. Ah! pudore et rubore suffusus timeo levare oculos meos ad te, vel loqui regiae Majestati tuae.

Utinam semper amassem te, o Bonitas immensa! utinam a puero semper respondissem amori tuo! Saltem ex quo coepi sacris operari, quotidie vehementiori debuissem ardere divinae caritatis igne. Prae hominum millionibus elegisti me in sacerdotem tuum, in servum tibi specialiter dilectum. Quid ultra mihi facere poteras, quod non faciebas, ut a me reciprocum impetrares amorem? — Sed (o quam acerba recordatio!) modicum est, quod ego tui amore libenter egi; parum aut nihil est, quod ego tui amore patienter tuli. — Verumtamen

jamjam sentio, per gratiam tuam, in corde meo crescere caritatis ardorem. Ideoque firmiter propono, majore posthac animi contentione tibi servire, o Rex aeternae gloriae, tuisque praeceptis satisfacere.

Philippum ad te traxisti, Domine, illo potenti verbo: *Sequere me.* Idipsum et mihi nunc in corde meo succlamas. — En amantissime Jesu! adjuvante gratia tua volo sequi te, tanquam regem meum, cujus sub praesidio tutus, cujus sub imperio beatus ero. Jam iterum mundo, carni, et Satanae renuntio, et omnibus illorum operibus. Da, bone Jesu, ut cum Philippo per dura et aspera sequar te constanter usque ad mortem crucis.

Dixisti ad Nathanael: *Cum esses sub ficu, vidi te.* Credo, suavissime Jesu, quod omnia semper et ubique videas oculis divinitatis tuae. Fac, ut et ego te semper prae oculis habeam. O quam jucundum est, servire tibi regi ubique praesenti! Tu vides omnes labores et dolores meos. Semper et ubique me observas, ut tempore suo congrua mihi praemia tribuas. Fac me sic ambulare coram te, sicut decet sacerdotem tuum. Denique duplicem hanc a te gratiam peto: videlicet, ut nunquam indigne percipiam altaris sacramentum; dein, ut etiam in vitae ultimis hoc dulci viatico muniar ad ingressum aeternitatis. Amen.

DOMINICA II.

Post Epiphaniam (fest. ss. Nominis Jesu).

Nomen Jesu est nomen 1) plenum majestate, ideo venerandum; 2) plenum caritate et dulcedine, ideo amandum; 3) plenum potestate, ideo invocandum.

PRECES ANTE MISSAM.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus summa potestas nec infirmatur, nec operando fatigatur! o tremendo et religioso silentio veneranda Omnipotentia! o sapientissime totius universi Creator et Arbiter, cujus a nutu pendet omnis potestas, vis omnis, et omnium fortitudo rerum, qui praepotenti brachio tuo cuncta, quae creasti, tenes atque corservas, ne in suum, unde prodiere, nihilum revolvantur! En, demissione qua valemus profundissima supremam tuam adoramus Majestatem, exultantes de tanta tua fortitudine atque potentia. Suppliciter offerimus tibi, Pater, sanctissimum missae sacrificium in contestationem omnimodae subjectionis nostrae; nec non in gratiarum actionem pro beneficiis a paterna manu tua jam acceptis et deinceps accipiendis; ad impetrandam quoque hanc gratiam, ut immortales animae nostrae, Sponso coelesti fideliter adhaerentes, aliquando ad nuptias Agni mereantur admitti, ac coelestes inter convivas laetari. Jesus, cujus hodie nomen in orbe christiano dignis celebratur laudibus, dulcis Jesus sit nobis vitae panis in via, et cibus aeternus in patria. „Concede, quaesumus Domine, ut Unigenitus tuus, qui in Cana Galilaeae aquam in vinum mirabiliter transmutavit, oblationes nostras in corpus et sanguinem suum convertat, et hujus virtute sacramenti corda nostra in se transformet“ [1]. Per merita hujus sacrificii propitiare cunctis fidelibus, praesertim illis, qui suavissimum nomen Jesu quibuscunque modis inhonorarunt. Memento, Pater, NN. maxime illorum defunctorum, qui nomen Jesu speciali devotione venerati sunt in terris.

---

[1] Missal. Paris.

Ad Christum. Domine Jesu, qui olim invitatus ad nuptias venisti, veni nunc ad me pauperculum ministrum tuum. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, sponsum suum carissimum. Domine! ante te omne desiderium meum; nec te latet, quantopere cupiam delectabilem tuam praesentiam. Discipuli tui crediderunt in te, dum mirabiliter aquas in vinum mutando initium fecisti signorum. Auge mihi fidem, maxime circa illud eucharistiae miraculum, quod inter manus meas ad aram patrare dignaris. Da mihi ceterisque consacerdotibus meis gratiam tuam, ut, quaecunque praecepisti nobis, integre faciamus. Fac, ut tanquam ministri tui, pro ratione dignitatis, in omni conversatione sancti simus: odientes malum, adhaerentes bono, caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes; quo digniores reddamur, finito ministerio nostro nuptiale concelebrare convivium, infinitis in coelo saeculis duraturum. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Ave, Domine Jesu, dulcissime hospes animae meae! Millies ave, Deus omnipotens, qui denuo tam grande patrasti miraculum inter manus meas, et nunc haeres in brachiis animae meae. O cibus! o potus! o caritas! — Gustavi, mi Jesu, ad mensam tuam, quam Ecclesia, sponsa tua (jubente te) adornavit: gustavi, quam suavis sis Dominus. Admiror infinitam tuam in me benevolentiam ac caritatem. Indignus ego minister tuus adoro et benedico te, Jesum meum desideratissimum. Laetabundus te veneror in humili domuncula cordis mei.

Utinam eo dilectionis ardore te complecti possem, quo te Maria mater tua complexa est! Utinam omnium sanctorum, in terra militantium et in coelo triumphantium, corda haberem solus, quo ardentius te diligere possem, o suavissime hospes animae meae! Id imprimis unice desidero, bone Jesu, ut ab omnibus sanctificetur nomen tuum, et in nomine tuo omne genu flectatur, ac omnia fiant ad gloriam nominis tui.

Maria mater tua in Cana Galilaeae, nuptiali tecum adsidens convivio, ministris ajebat: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Salutari huic admonitioni parebo et ego. Quodcunque mihi dixeris per divinos tuos instinctus, faciam impigre, faciam sine mora. Siles enim, postquam frustra locutus es; ac contemnis, postquam diu satis contemtus es. Nolo igitur obdurare cor meum, sed paratus sum facere, quodcunque mihi dixeris. Nihil excipio; nihil recuso. Quodcunque vetueris, evitabo, utut dulce vel amoenum; et quodcunque jusseris, incunctanter exequar, utut grave vel molestum. Omnem spem atque fiduciam meam pono in te, Domine Jesu, cujus potentiae et bonitatis infinitus est thesaurus. Et quia dignatus es me aggregare ad Ecclesiae tuae ministros, exorna me virtutibus dignitati meae congruis, et concede mihi duplicem hanc gratiam: ut altaris sacrificium nunquam indigne peragam; dein, ut dulci hoc viatico rite munitus ex hac vita decedam. In illa terribili mortis hora, quando me vires ita deficient, ut lingua mea adhaerens faucibus meis non amplius possit enuntiare suavissimum nomen tuum: tunc, o Jesu, tunc adesto egressurae animae meae, eamque illuc perducito, ubi nunquam separabitur a te, sponso suo dilectissimo, sed tecum unita semper manebit. Amen.

FERIA II.

Praedicator assidue aspiret sanctitatem: 1) ut obtineat lumen et pectus disertum a Deo; 2) ut verba confirmet exemplo; 3) ut benedictio divina comitetur praedicationem.

PRECES ANTE MISSAM.

Placare, quaesumus, o Deus omnipotens, his muneribus divinis, quae hodie in conspectu tuo sistimus ad exhibendum latriae cultum, tibi soli Deo debitum; gratias simul agentes pro omnibus beneficiis tuis, maxime vero pro auspicato praedicationis initio et officio, quod Unigenitus tuus anno aetatis suae trigesimo suscipere dignatus est, perambulans Galilaeam ac finitimas regiones. Immolamus tibi hanc victimam propitiatoriam in expiationem contumaciae nostrae, qua Christi tui evangelio, non verbis, sed moribus nostris toties contradicere ausi sumus. Impetret nobis oblatio ista, ut evangelii praedicatio, per merita primi illius praedicatoris, majora in dies capiat incrementa. Confunde Judaeorum pertinaciam, extermina gentilium superstitiones, destrue novatorum machinas et insanias falsas. Fac, ut increduli tandem mentis oculos aperiant, et incarnato Verbo tuo faciliores praebeant aures. Da catholicis evangelii praedicatoribus, ut in sacris sermonibus suis non propriam, sed tuam unice quaerant gloriam. Effice, Pater, ut omnes fideles verbi tui non tantum auditores, sed factores etiam esse studeant. Memento etc.

Ad Christum. **Domine Jesu, qui docens olim in synagoga Judaeorum magnificatus es ab omnibus; vilissimus ego terrae vermiculus timeo tractare tremendum**

altaris mysterium. Ingratus ego peccator, si penitius inspicio conscientiam meam, vix audeo appropiare tibi Deo magno et terribili, cujus majestas incomprehensa complecitur omnia. Domine Jesu! non sum dignus, qui sacrosanctum corpus tuum manibus meis teneam et ore meo comedam. Verumtamen, o bone Jesu, illa benignitas tua, quae servili te forma vestivit, moveat te, ut tuam me sinas adire mensam purissimam.

„Dulcissime et super omnia desideranda desiderande Jesu! adesto supplicationi meae, intende voci orationis meae, et per magnam misericordiam tuam emunda ab omni inquinamento peccati animam meam, ut digne possim accedere ad servitium altaris tui, digneque tractare mysterium corporis et sanguinis tui. Fateor, Domine, coram omnipotentia tua, me nimis esse culpabilem. Attamen de ineffabili bonitate tua non despero. Bonus es tu; et in bonitate tua doce me justificationis tuas, ut eas intelligendo, easque sicut decet jugiter operando, puro corde possim recipere mysteria tua“ [1].

PRECES POST MISSAM.

Magnificentissime Deus! Jesu Christe! maximas tibi habeo grates pro inenarrabili hac bonitate tua, qua me miserum peccatorem admisisti ad altare tuum, ut offerrem ac sumerem sacrosanctum corpus et sanguinem tuum. Gratias insuper ago tibi, suavissime Salvator, pro stupenda illa caritate tua, qua tibi complacuit primo praedicare evangelium regni Dei, et promulgare praecepta novae legis. Ab imo pectore gratulor tibi laudem

[1] S. Anselm.

illam, qua docens in synagogis Galilaeae magnificabaris ab omnibus. Grates tibi, Jesu dulcissime, pro ineffabili misericordia tua, qua per Apostolos tuos in virtute Spiritus sancti propagasti evangelium usque ad extremos fines terrae.

Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundae factae sunt cogitationes tuae, quam ut eas rimari valeamus infirmi nos homines. Tua est, Domine, magnificentia et potentia et gloria atque victoria, et tibi laus: qui, quod primus praedicare dignatus es, evangelium in universo dilatasti mundo per paucos discipulos tuos. In signum grati animi offero tibi meipsum totum, firmissima cum voluntate servandi praecepta evangelica. Omni data occasione docebo fideles, sive e suggestu, sive in sacro tribunali, conabor saltem pietatis exemplo ac colloquio pio instruere domesticos fidei.

Domine Jesu, zelator animarum! incende me zelo apostolico, ut et verbis et operibus aeternam proximorum salutem promovere contendam. Utinam et ego in omnem terram exire, ac evangelium tuum omnibus ubique gentibus optato cum fructu praedicare possem! libenter omnes vires, labores, sudorem, sanitatem, vitam et sanguinem pro tua gloria et animarum salute impenderem. Interim hoc a te summis exposco precibus, ut omnibus consacerdotibus meis, praesertim animarum curatoribus, gloriae tuae zelum inspirare digneris, ut non arrogantiae spiritu inflati, sed in virtute Spiritus sancti, ejusdem gratia et igne accensi, officio suo gravissimo rite fungantur. Da mihi veram animi demissionem, ne quaeram laudari vel magnificari ab hominibus. Fac, ut rectam in actionibus meis habeam inten-

tionem, et illuc tandem perveniam, ubi cum sanctis tuis aeternum magnificabo te Deum Salvatorem meum. Qui vivis etc.

FERIA III.

Praedicator: 1) quid debet pensare, si paucos habet auditores, vel parvum conspicit fructum? 2) quasnam virtutes exercere? 3) quaenam media adhibere, ut augeatur audientium numerus, vel major percipiatur fructus?

PRECES ANTE MISSAM.

Pater omnipotens, aeterne Deus! piissima, qua decet, devotione ac reverentia collaudamus infinitam misericordiam tuam, qua perdito hominum generi, ingrato huic operi manuum tuarum, porrexisti dexteram, mittendo Unigenitum tuum in terras, ut evangelizaret pauperibus, ut sanaret contritos corde, ut praedicaret captivis indulgentiam, et clausis apertionem. Eundem Filium tuum, verum Messiam a Prophetis praedictum, offerimus divinae tuae Majestati in gratiarum actionem pro eximiis donis et bonis, quibus nos quotidie cumulas; nec non in commemorationem illius obedientiae, humilitatis, mansuetudinis et patientiae, qua idem Unigenitus tuus, in terris visus ac cum hominibus conversatus, multa indigna pertulit, et innumeras sustinuit injurias ac contumelias. Suscipe hoc novi testamenti sacrificium in plenam satisfactionem pro omnibus totius mundi peccatis, praesertim pro nefanda illa verborum impietate, qua increduli cuncta religionis nostrae mysteria et amoris tui beneficia lacessunt. Trahe miseros homunciones istos

ad frugem, ad meliorem mentem, ut improbitatem suam agnoscant, defleant, ejurent, atque nobiscum adorent Messiam a Prophetis praedictum. Impetret nobis haec oblatio munda gratiam tuam, ut, dilecti Filii tui vestigiis, insistentes, iniquas concivium vexationes et heterodoxorum injurias patienter feramus. Memento NN.

Ad Christum. Domine Jesu, Messia desideratissime, qui juxta Prophetarum oracula in mundum venisti, evangelizare pauperibus, sanare infirmos, ac consolari lugentes: ad te festino pauper ego et infirmus, acerbe lugens et meam et aliorum malitiam atque miseriam. Alium praeter te haud invenio consolatorem. Sicut in illa Judaeorum synagoga *omnium oculi erant intendentes* in te: ita et nunc credentium oculi omnium in te sperant, Domine, qui das escam illorum in tempore opportuno, panem vitae aeternae. Intrepidus accedo mensam tuam (alioquin satis tremendam) ponens fiduciam in abysso bonitatis tuae. Postquam pro me tanta fecisti et tulisti, non rogatus a me: quid denegabis mihi, quid non praestabis, toties rogatus a me? Fidenter itaque vado ad mensam tuam, ut vitae pabulum sumam. Humili fiducia progredior ad aram tuam, ibi, quaecumque pro salute mea postulavero, mihi dabis abundanter. Qui vivis etc.

PRECES POST MISSAM.

Gratias tibi ago, mitissime Jesu, divine Messia, pro magno hoc beneficio, quod accepi; pro isthac Angelorum esca, et potione omnium pretiosissima. Domine Deus meus! quis ego, qui tecum adeo familiariter loqui audeo? Servorum tuorum pigerrimus, hominum abjectissimus, longe miserior ac contemtibilior, quam scio vel dicere valeo. Ah! miserere mei, o Mes-

sia clementissime, qui a Prophetis praedictus, et a Patre missus es in mundum, evangelizare pauperibus, et sanare contritos corde. Pauper sum ego, Domine! nihil habeo ex me, nisi culpas; nihil possum nisi peccare; nihil promereor, nisi poenas. Tu solus bonus et misericors, qui omnia potes, omnia praestas, omnia reples. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et imple cor meum inane gratia tua, qui non vis esse vacua opera tua. Evangeliza mihi pauperi, Magister sapientissime! doce me facere voluntatem tuam. Sana me contritum corde: sana animam meam, quia peccavi tibi. Praedica mihi captivo remissionem, quam suppliciter peto, et fiducialiter exspecto. Domine! adjutor meus et liberator meus es tu. Qui venisti coecis visum reddere, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Qui venisti consolari lugentes, solare me tristem, ne abundantiori tristitia absorbear. Fiat misericordia tua, ut consoletur me.

Messia patientissime! qui tam graves a patriotis tuis contumelias pertulisti; da mihi ceterisque sacerdotibus gratiae robur ac fortitudinem, ut cunctas inimicorum injurias aequanimiter patiamur, et tuae sequamur exempla mansuetudinis. Cum a concivibus tuis deductus fuisses in supercilium montis, exinde praecipitandus, *transiens per medium illorum* ibas, quia nondum venerat hora mortis tuae. Voluisti pro nobis multo plura et graviora pati: voluisti in alio monte mori, inter latrones mori, in crucis patibulo mori, in die solemni Paschae mori, in conspectu innumerabilium hominum mori: hac de causa te subduxisti patriotarum manibus. Bone Jesu, Messia dilectissime, qui transiens per medium illorum ibas et discedebas ab illis: mane mecum in corde meo! Domine! ne discedas a me. Saepe quidem promeri-

lus sum relinqui a te: sed ne ita me punias, oro. Quid leret de me, si essem sine te? quo venirem miser ibsque te? Propediem utique perirem. Ideoque mane necum ut comes itineris mei, quo securius ad aulam uam coelestem migrare valeam, ubi semper tecum ero. Amen.

FERIA IV.

Christus comparatur luci: 1) quoad naturam lucis (simplicissima, perfecta, clarissima in se — nobis arcana, transiens per vitrum coloratum accipit colorem vitri etc. quae omnia transfer ad Christi naturam divinam ejusque incarnationem); 2) quoad effectus lucis (clarificat — calefacit et vivificat — ornat — hilarat: ita Christus cor hominis etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Summe Deus! Majestas immensa et intellectui nostro impervia! omni, qua par est, reverentia debitum tibi adorationis cultum praestamus, offerentes ad aram tremendum missae sacrificium in gratiarum actionem pro luce magna et optatissima, quae per infinitam misericordiam tuam orta est nobis sedentibus in tenebris. Demississimas tibi grates referimus pro fidei lumine, quo nos illustrare et ad Ecclesiae tuae gremium adducere dignatus es. Augustissime Pater! miserere tot caeculientium heterodoxorum, qui in ignorantiae tenebris ambulant, et, novam inquirentes lucem, in novam quotidie caliginem, et in profundam errorum vitiorumque voraginem se praecipitant. Nobis autem famulis tuis

concede, ut in sancta cordis simplicitate veritates evangelicas firmiter credamus, praesertim altaris mysterium, in quo summa tua in nos caritas elucet. Quia vero mentem nostram noxae quotidianae sic obscurant, ut, quae nobis bona vel salutaria sunt, aegre videamus: misericorditer absterge vel minimas cordium nostrorum maculas et tenebras, quo majore fructu fiamus participes lucis tuae magnae. Memento NN. Et quia fidelium animae, in igne purgatorio detentae, ardenter anhelant lucem illam inaccessibilem, quam inhabitas: da eis, quod desiderant, lumen gloriae coelestis. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Ad Christum. Rectum judicium tuum, Domine Jesu, terribilis in consiliis super filios hominum! Relicta civitate Nazareth habitasti in Capharnaum maritima. Justo judicio deseruisti urbem ingratam, o Lux magna, et aliorsum abiisti. Nunquid et ego peccator ingratus eandem merui poenam? Saepius averti mentis oculos a luce tua divina, sedens in tenebris malitiae, in regione umbrae mortis. Heu! quid de me factum fuisset, nisi me splendore gratiae tuae misericorditer illustratum eduxisses e tenebris? Agnosco bonitatem tuam, mi Jesu, tibique gratias ago ac firmiter propono, deinceps a tristibus illis abhorrere tenebris et in lumine manere. Quo facilius autem opera tenebrarum evitare valeam, o Jesu, propius accedere, quin et sumere debeo ignem illum spiritualem, quem servis tuis communicas in altari tuo. Sed timeo adire formidabilem mensam tuam sordidus ego peccator. Timeo luteis manibus mei contingere te, lucem purissimam, te, ignem aeternum ac incircumscriptum, quem Cherubim ac Seraphim vix audent aspicere. Stellae non sunt mundae in conspectu tuo: quanto minus homo putredo, et filius hominis vermis?

Munda cor meum, Domine! purifica me ab omni reatus macula, ne indigne peragam tremenda altaris mysteria, sed ut te, lucem magnam, magna devotione magnoque cum fructu recipiam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Credo, Domine Jesu! te, lucem magnam, te, ignem divinum, in corde meo versari. O Splendor immensae majestatis! metus me arcet, ne curiosus in te respiciam. „O Lux ineffabilis, interminabilis, inaccessibilis et incomparabilis! emitte paucos quosdam aeternae lucis tuae radios, ne debiles oculi mentis meae nimio illius fulgore perfusi opprimantur“ [1]. Nunquam satis mirari vel laudare possum infinitam tuam in me benevolentiam. Jure quidem merito admiror illa luminaria magna, quae a te creata micant in firmamento coeli, suaeque lucis aspectu mortales recreant. *Attamen plus est, quod habeo in corde meo, quam quod admiror in coelo* [2]. — Imbecillis ego creatura sum: et tu, lux clarior sole, venisti ad me? Miser ego homo sum: et tu, lux pulchrior luna, junxisti me tecum? Deformis ac caecus ego peccator sum: et tu, lux splendidior stellis, habitas in pectore meo? O mira benignitas, sempiternis laudibus extollenda!

Gratias interim maximas ago tibi, Jesu suavissime, pro familiari hac visitatione tua, simulque rogo te, Lux delectabilis, ut me lucis tuae participem facias. Quanta menti meae caligo sit offusa, melius nosti, quam ego. Deus meus! illumina tenebras meas, ut, quae mihi fu-

---

[1] S. Laur. Just. [2] S. Leo P.

gienda vel agenda sunt, videam. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Emitte lucem tuam et veritatem tuam, qua quicunque carent, misere deviant, cadunt, pereunt. *Sine luce tua nemo vere sapiens; ubi autem illa, nemo indoctus.* Aperi oculos meos, o vera Lux mundi, ut nihil me possit separare a te. Fac me semper abhorrere ab operibus tenebrarum. *Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?* Quare quaeram mendacium, et dimittam veritatem? cur expetam umbras, et effugiam diem plenum? quare curram post ignes fatuos, et praeteream lucem magnam? — Qui sequitur te, non ambulat in tenebris, sed *habebit* lumen vitae. Trahe me post te, o Lux pulcherrima, ut te semper et ubique prae oculis habeam.

O Lux magna! in cruce voluisti poni quasi super candelabrum, ut luceas omnibus, qui non ultro claudunt oculos. Nec miror, quod te pendente in ligno sol absconderit radios: id potius miror, quod tot infideles in plena lucis meridie caecutiant; et cum ipsi nihil videant, aliis se viam veritatis ostensuros promittant. Miserere, bone Jesu, hominum istorum infelicium, qui *hactenus* sederunt in errorum ac vitiorum tenebris. Catholicis autem incuriis, sedentibus et oscitantibus in umbra *mortis*, concede lumen gratiae, ut evigilantes abjiciant opera tenebrarum. Erige nos omnes in pedes nostros, ut, alacriter ambulantes in lumine fidei, pervenire mereamur ad lumen gloriae. Amen.

FERIA V.

Considera peccatum ejusque poenam: 1) in Angelis lapsis; 2) in Adamo et posteris ejus; 3) in aliquo damnato, qui pauciora et minora, quam tu, commisit peccata.

PRECES ANTE MISSAM.

In spiritu verae humilitatis et poenitentiae confiteor tibi, clementissime Deus, ad hanc usque horam me fuisse peccatorem miserum, et nimis ingratum pro singulari amore tuo, quo me a pueris complexus es. Per tot annos mihi delinquenti misericorditer perpercisti. Benigne tolerasti negligentias ac culpas meas, et ad poenitentiam me patienter exspectasti. Saepe saepius pulsasti ad ostium cordis mei paternis admonitionibus tuis. Indignum me sustentasti solatiis, obruisti beneficiis, fovisti blanditiis. At ego, surdus et caecus ad omnia, culpas culpis cumulare non destiti. Ah! cur non rumpitur cor meum prae doloris vehementia, dum attente mecum ista cogito? Mirum sane, quod terra omnium, quos habet, sceleratissimum adhuc nutriat vel sustineat. — Sed nunc, o misericordissime Pater, poenitentem me respice oculis benignitatis tuae, atque in tuam me recipe gratiam.

„Miserere mei, Deus meus, et non me despicias. Licet delicta mea sint multa et gravia; tu tamen clemens, tu multae miserationis, neminem a misericordia tua repellis. Quam multi enim scelerati bonitate tua pervenerunt ad indulgentiam! Multis ad te redeuntibus gratis veniam donasti. Ostende igitur in me, optime Pater, clementiam tuam: pateat mihi venia, pateat in-

dulgentia. Non deneges (obsecro) uni, quod jam plurimis contulisti. Scelera mea non defendo; peccatum meum coram te confiteor. Displicet mihi, quod feci; displicet, in quo erravi, tuamque Majestatem offendi. Meipsum accuso, culpam agnosco. Suscipe, quaeso, clamorem poenitentis; audi vocem peccatoris ad te clamantis: *Peccavi, Domine, miserere mei: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Si iniquitates meas observaveris, o Domine, quomodo sustinebo? Memorare, quae mea substantia: memento, quaeso, quia terra sum, quia pulvis et cinis sum. Parce criminibus meis; indulge sceleribus meis." *S. Ephraem.*

Pater sancte! credo evangelio, quod peccatoribus serio poenitentibus pollicetur veniam. Credo evangelio, quod toties ad aram lego et exosculor. Firmiter credo realem Christi tui in eucharistia praesentiam, quam tota Ecclesia tua credit ac profitetur. Hac fide jam instructus accedo altare tuum, oblaturus ibi eundem Christum Filium tuum in gratiarum actionem pro ineffabili tua misericordia, qua peccatores poenitentes recipis in gratiam. Offero tibi hanc hostiam sanctam in expiationem scelerum nostrorum, et ad impetrandum auxilium, ut talem agamus poenitentiam, qualem Unigenitus tuus praedicavit; et illam teneamus fidem, quam ejusdem evangelio tribuere jubemur. Bone Pater! per hoc missae sacrificium concede nobis famulis tuis largissimas poenitentiae lacrymas, ut delicta nostra, quibus te offendimus, digne defleamus, et deflenda non amplius admittamus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Quis ergo sum ego, Domine Jesu Christe, ut ad me venire non abhorrueris? O quam bonus es Dominus,

qui ad tam miserum peccatorem divertisti! Capere quidem nequeo magnum hoc caritatis tuae mysterium, firmissime tamen credo, Domine, te nunc personaliter versari in pectore meo. Vere peruasum mihi habeo, teipsum realiter adesse in eucharistiae sacramento: indubitanter enim omnia credo, quae nobis per Ecclesiam tuam credenda proponis. Adeo magna sunt opera tua, magne Deus, ut a nobis comprehendi non possint. Humiliter itaque subjicio intellectum meum, et debito latriae cultu adoro te Dominum Deum, in corde meo certissime praesentem.

Sed o quantum me terret haec ipsa praesentia tua, Domine Jesu! Quodlibet peccatum, etiam minimum, infinitae Majestati tuae summopere displicet. Et ego (proh dolor) innumeras ejusmodi noxas admisi. Quo igitur me abscondam? aut quo a facie tua fugiam? Aliud agere nescio, nisi procumbere ad pedes tuos, ibique lacrymari. — Jesu! bone Jesu! ignosce poenitenti, parce dolenti, ac clementer respice sperantem in magna misericordia tua. Propono jam, unicam illam post naufragium tabulam arripere, poenitentiam nempe, quam in Capharnaum maritima praedicare coepisti. Ad mortem usque lugebo insipientias meas, o divine Praeco poenitentiae! Fixum mihi destinatumque in animo est, cunctas saeculi vanitates declinare, culpasque praeteritas vel eluere lacrymis, vel castigare voluntariis poenis. Jam mitto nugas et jocos; procul, ah procul absint a me convivia et gaudia mundana, quibus nullum est cum virtute commercium. Habeant sibi haec Christiani saeculares vel innocentes: ego autem, qui deliqui in Deum meum; ego, qui et propria et aliena peccata deplorare debeo; ego, qui periclitor in aeternum perire; ego semper in luctu perseverabo, tuorum memor verborum: *Poenitentiam agite.*

Conserva in me hanc bonam voluntatem, o Jesu dilectissime! Semper mihi ob oculos pone futura, novissima mea, saecula fine carentia, quo majore virium contentione satagam, salutem animae meae in tuto collocare. Brevi forsan impletum erit tempus vitae meae: fors propediem, o Praeco poenitentiae, eris judex meus. Et ubi sunt bonorum operum merita? ubi talenta, quae superlucratus sum? Ah, tempus est, ut duplicato fervore negotium illud gravissimum pertractem, ex quo tota mea pendet aeternitas. Domine Jesu! doce me facere voluntatem tuam; doce me nunc componere mores meos ad normam evangelii tui; dirige me in via poenitentiae, in via salutis aeternae; ut te duce, te comite mihi tandem adveniat regnum tuum. Amen.

FERIA VI.

Et die 30. Novembris, in festo s. Andreae Apost.

Recordare ordinationis tuae: 1) dignitatis acceptae; 2) promissionis factae; 3) oneris impositi et rationis reddendae.

PRECES ANTE MISSAM.

Hoc illibatum sacrificium offero tibi, supreme coeli terraeque Monarcha, in gratiarum actionem pro illa benignitate tua, qua ex piscatoribus illiteratis fecisti piscatores hominum et totius orbis doctores. Adoro, Domine Deus, admirabilem sapientiam et potentiam tuam, qua per paucos illos simplices et inermes homines omnem mundanae sapientiae altitudinem superasti, et totum

mundum ab impia superstitione ad sanctam religionem traduxisti. Debita submissione ac profundissimo respectu laudo et glorifico te, Pater sancte, qui mysteria tua abscondis a sapientibus, et revelas ea parvulis. Magnificare te cupio per hanc oblationem pro misericordia tua, qua ex indoctis piscatoribus fecisti Apostolos et indefessos hominum piscatores.

Grato pariter animo singularem hic recolo gratiam tuam, qua vilissimum me peccatorem ad tam honorabilem sacerdotii dignitatem evexisti. Veneror et admiror istam bonitatem tuam, qua me prae tot fidelium millionibus elegisti in sacerdotem tuum. Intime doleo, mores meos hactenus non respondisse sublimi huic ministerio meo. Deinceps autem majore studio gravissimas vocationis et dignitatis meae obligationes implere conabor. Pro impetranda vero gratia necessaria offero tibi Agnum immaculatum, Unigenitum tuum: ut per ipsius merita et per intercessionem sanctorum Angelorum me (meosque omnes) adjuvare digneris, ut in fide semper stabiles per viam crucis sequamur Jesum nostrum, Agnum illum mitissimum, qui propter nos innumera fecit et tulit, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Singulis consacerdotibus meis et Apostolorum successoribus tribue validam animorum fortitudinem, ut gregem sibi commissum et verbis et exemplis contra luporum insidias strenue defendant. Propulsa, Omnipotens, impiorum machinationes, qui novas falsasque opiniones suas, mortiferum illud animarum virus, in vulgus ubique spargere nituntur. Memento NN. praesertim sacerdotum defunctorum, qui in flammis piacularibus luunt negligentias suas.

PRECES POST MISSAM.

Eximia plane ac admirabilis est tua in me caritas, suavissime Jesu, qui me quotidie sinis adire mensam tuam. Reverenter adoro te, gratoque animo istam glorifico munificentiam, quam mihi servo tuo in dies exhibere dignaris. Vere bonus et mansuetus es Agnus, qui toties animam meam carne tua cibas, et sanguine tuo potas. Quale forem ingratitudinis monstrum, si vel semel adhuc deliberato animo te graviter offenderem! Procul absit a me tam execrabile nefas! Sacerdos tuus sum ego; et ut talis indefesse laborabo pro gloria tua et animarum salute. In omnibus olim itineribus et laboribus tuis unice quaerebas Patris tui gloriam et aeternam hominum salutem: ideoque elegisti Apostolos, tanquam socios ac cooperatores tuos, eosque fecisti piscatores hominum. Oro te, bone Jesu, da et mihi zelum vere apostolicum, ut nihil quaeram, nisi Patris tui honorem et animarum salutem.

Discipuli illi, quos juxta mare Galilaeae ad te vocasti, *continuo* reliquerunt omnia, quae in manibus habebant. Unicum dicebas verbulum, o Sapientia potentissima, et illi *statim relictis retibus* sequebantur te. Loquere nunc et mihi, o Verbum omnipotens, sed taliter, ut et ego retia mea relinquam, ut pravas consuetudines deponam, curas inanes abjiciam, negotia saecularia dimittam, et omnia salutis impedimenta removeam. Fac, Apostolorum Magister, ut incunctanter obediam tibi, qui et mihi hodie in ara obtemperasti, dum ad vocem meam statim venisti in manus meas. O Creator omnipotens! imperio tuo sol accelerat iter, et ad nutum tuum omnia parent elementa. Effice, precor, ut et ego, simul ac audiero vocem tuam, statim relictis omnibus,

quaelibet fuerint in manibus, summa cum festinatione illuc accurram, quo tua me vocaverit jussio, vel animarum cura, vel sacra obedientia. Fac, ut de Apostolorum exemplo, relictis omnibus, sine mora illuc vadam, quo me dignitatis meae officia vocant.

Verecundia subit animum meum, Domine Jesu, quando et tuam et meam inspicio vitam. Tu nunquam fuisti in deliciis, sed in laboribus a juventute tua; neque sectatus es saeculi gaudia, sed dura et aspera. Semper amasti crucem: hinc etiam Apostolos tuos Petrum et Andream, quos primum ad te vocasti, tanto crucis amore succendisti, ut ambo gaudenter exspiraverint in cruce. Promisi quidem et ego tollere crucem meam, et *venire post te:* sed o quam procul absum a te! — Agnosco nunc errorem meum probrosum; simulque rogo te, ut vel invitum me trahas post te. Potenter excita me, ne vocationis gratiam aut sacerdotii munia negligam, sed ut omnibus nervis contendam, sequi te per angustam crucis semitam, et ita intrare in gloriam tuam. Amen.

SABBATO.

„Zelus domus Dei“ impellat sacerdotem: 1) ut decorem et nitorem ecclesiae, sacrarum vestium etc. diligentissime promoveat; 2) ut nil indignum sacro loco in ecclesia vel ipse faciat vel ab aliis fieri patiatur (confabulationes, musica indigna etc.); 3) ut ipse libenter et devote in ecclesia moretur, et ad hoc fideles exhortetur, nec non ad subsidia necessaria praestanda.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater de coelis Deus! domum tuam sanctam ingredior, oraturus ibi pro populo. Intende voci orationi

meae, Rex meus et Deus meus! quoniam ad te orabo; Domine, mane exaudies vocem meam. In multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Et in hac domo tua, Pater omnipotens, immolabo tibi hostiam sanctam in cultum latriae, tibi Deo soli debitum; in gratiarum actionem pro beneficiis tuis, praesertim illis, quibus toties afficimur in templo tuo. Sacrificabo nomini tuo oblationem mundam in expiationem et satisfactionem scelerum nostrorum, illorum praecipue, quibus domum tuam sanctam violavimus. Per merita hujus sacrificii concede nobis gratiam, ne templum tuum faciamus *domum negotiationis*, sed ut aedibus sacris debitam habeamus venerationem. Impetret nobis Unigenitus tuus (gravissimus ille zelator domus tuae) gratiam necessariam ad preces nostras ita fundendas, ut mens nostra concordet voci. Largire nobis, optime Pater, eximiam cordis puritatem et vitae sanctimoniam, quo digniores efficiamur intrare sanctuarium tuum, et offerre tremendam altaris victimam. Custodi templa nostra, nomini tuo dedicata, et ista divinae Majestatis tuae habitacula semper ab injuriis hostium vindica. Memento etc.

Fili Redemtor mundi Deus! qui sancto quondam inflammatus ardore mercatores e templo ejecisti, nec solum mensas numulariorum, sed et cunctas antiquae legis sacrificiorum mensas unacum Judaeorum templo subvertisti, eisque longe nobiliora novi testamenti templa et altaria substituisti: en, tremebundus ingredior domum Patris tui, suppliciter rogans, ut sinas me super altari tuo immolare et manducare sanctissimum corpus tuum, adorandum illud divinitatis templum, quod olim Judaeorum crudelitate solutum in tribus diebus excitasti virtute

propria. Parasti in conspectu meo mensam, ubi teipsum panem vivum mihi tribuis comedendum. O bone Jesu, qui justo domus Dei zelo flagras! ejice (precor) ex corde meo, quidquid offendit oculos tuos; cunctas inde negotiorum demesticorum curas expelle, ne coram te indignus compaream, sed ut omni qua decet pietate nunc sacris operari valeam.

Spiritus sancte Deus, a Patre Filioque procedens! te supplex adoro, et quam demississime obsecro, ut cor meum, vivum hoc templum tuum, magis ac magis purificare digneris, quo decentius ibi suscipiam Unigenitum Patris, Sanctum sanctorum. Exorna me omni virtutum decore, ut debita nunc praeparatione peragam mysteria tremenda. O divine Spiritus, a quo zelus bonus, ardor sanctus procedit! succende cor meum ardentissima caritate, ut panem vivum digne manducare, et saluberrimos ejus effectus sentire merear. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Corpus illud sanctissimum, adorandum illud Deitatis templum, revera nunc possideo, quod olim Judaeorum crudelitas (vel mea potius improbitas) in cruce dissolvebat, virtus autem divina triduo post excitabat. O mysterium inenarrabile! — Adoro te flexis genibus, o Jesu Salvator mi, qui corporaliter in corde meo versaris. Quis sapiens non adoret te, o Sapientia aeterna? quis fidem non tribuat sermonibus tuis, o Deus omniscie, qui et ignominiosam mortem tuam, et gloriosam resurrectionem discipulis apertius quam inimicis tuis praedicere solebas? Credo tibi et in te, o Veritas aeterna, simulque tibi gratias ago, Domine Jesu, pro hac clementia tua, qua mihi denuo corpus et sanguinem tuum dedisti

in cibum et potum. Grates tibi, Redemtor suavissime, qui passione tua solvisti iniquitatem meam, et resurrectione tua excitasti spem atque fiduciam meam.

Domine Jesu! severissime zelator domus tuae paternae, qui me ad sacrum Ecclesiae tuae ministerium adsumere dignatus es: fac insuper, ut et in me adimpleatur illud Psalmistae vaticinium: ***Zelus domus tuae comedit me.*** Tribue mihi zelum bonum et sanctum; redde me strenuum divinae gloriae et salutis alienae curatorem. Aufer a me zelum amaritudinis, zelum imprudentem, qui nec ex amore procedit, nec ad amorem tendit. Procul amove a me omnem arrogantiam et invidiam, omnem indignationem et iracundiam, omnesque turbulentos animi motus. Dirige me in viam rectam, ne forte consiliis praeceps aliqua moliar.

Jesu amantissime, qui olim mercatores e templo ejecturus fecisti ***quasi flagellum*** de funiculis; misericorditer hucusque pepercisti mihi servo tuo, qui ob innumeras negligentias meas promerui flagellari a te. Interim tamen non renuo flagella tua, utpote mihi salutaria. Et ***quoniam ego in flagella paratus sum***, castiga me in praesenti vita, dummodo mihi parcas *in* futura. ***Quasi flagellum*** in hoc saeculo, quam verum in altero sustinere malo. Tua roboratus ope divina plagas libenter excipio, quibus ad salutem meam vapulo. Humiliter exosculor manum tuam, quae flagellat in tempore, ut coronet in aeternitate. Nec abnuo, si corpus meum solvatur lento acerboque morbi genere, dummodo resurgat ad gloriam in novissimo. Hanc a te gratiam spero, Domine Jesu, qui venerabile corporis tui templum, a Judaeis destructum in ligno crucis, post triduum excitasti propria virtute. Effice, precor, ut et anima mea hoc corpusculum suum in die resurrectionis

gloriosum recipere, et ad gaudia aeterna secum assumere mereatur. Amen.

DOMINICA III.

Post Epiphaniam.

Malus sacerdos leprosus est miserrimus, nam ejus morbus modo singulari est: 1) horribilis; 2) contagiosus; 3) paene insanabilis.

PRECES ANTE MISSAM.

Accedere cupio, bone Jesu, ad divinum illud convivium, ad quod fideles convocasti, dicens: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* O sacrum convivium! o tremendum mysterium! — Quid agis, Domine? quare me jubes venire ad te? cur isthac inclinatione tua sic gravas me famulum tuum? Scio, quis ego, et quis tu. Novi te, doctus a te. Credo, te esse Dei Filium, Patris Verbum. Non possum non adorare te Deum, cujus ad nutum tota haec contremiscit universitas. Agnosco magnificentiam tuam et vilitatem meam. Scio, quantum discriminis sit Creatorem inter et limum terrae, Vitam inter et mortem. Abominanda peccati lepra plenus jaceo; nec ad te oculos levare audeo, quia meipsum horreo. Factus sum mihimetipsi gravis ac intolerabilis. Turpi vitiorum lue totus infectus prope tabesco, ita ut ab omni mortalium consortio procul amandari merear.

Quo igitur pacto audeam adire mensam tuam, et manus meas impuras extendere ad te, o magne Deus,

qui extendisti coelum sicut pellem? Quomodo sine metu et tremore manducabo te, qui respicis terram, et facis eam tremere? Qua ratione sol ipse spectare poterit, universorum Dominum a servo immundo tam indigne tractari, quin illico ignitos in me radios ut fulmina vibrans exurat me? Quomodo feret terra tantam in Creatorem injuriam, quin mox aperiens os suum me vivum deglutiat sicut Dathan et Abiron? — Undique mihi angustiae. Si accedo, judicium metuo; si recedo, vitam fugio, et misere pereo.

Reminiscor tamen, o Jesu, magnae illius benignitatis tuae, qua leprosum aliquando tangere atque *mundare* dignatus es. Confidenter itaque ad te confugio, ad te suspiro, ad te clamo. Apud te solatium mihi et auxil*ium* quaero, quod alibi nuspiam invenio. Aut quis me potest facere mundum? nonne tu, qui solus es bonus, solus clemens, solus Salvator misericors? Enimvero, ***Domine, si vis, potes me mundare.*** Oro te igitur, ut velis: simul enim ac volueris, in momento, in ictu oculi mundabor et sanabor. Dic etiam ad me duo illa optatissima verba: ***Volo, mundare.*** Miserere mei, Domine, *quo*niam infirmus sum. Sana me, quaeso, Medice omnipotens, qui leprosum illum tetigisti et mundasti. Cor mundum crea in mea, Deus! purga me a foeda peccati lepra, ab omni reatus macula; et indue me splendido virtutum ornamento, ut templum tuum ingredi, sacrificium offerre, et purissimum corporis et sanguinis tui sacramentum digne percipere merear. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Religione maxima et fide viva te adoro, o Domine Jesu, qui habitare dignaris in corde meo. Istam benig-

nitatem tuam eo minus capio, quo magis immunditiam meam agnosco. Tu adoranda sanctitas; ego abominanda foeditas. Tu Verbum plenum gratiae et veritatis; ego sepulchrum plenum miseriae et vanitatis. Temere quidem egi, dum ad tremenda tua mysteria accessi. Nec tamen abjicio spem meam, considerans infinitam clementiam tuam. Tetigisti quondam leprosum, et sanasti eum. Sana pariter animam meam attactu sanctissimi corporis et sanguinis tui.

„O benignissime Medice, Jesu bone, qui solo verbo restauras universa; scio, et vere scio, et hoc ipsum tuae benitati confiteor, quia, *si vis, potes me mundare.* Ergo bone Deus, bone Domine, per magnam misericordiam tuam, dic animae meae, criminum lepra infectae, dic: *Volo, mundare.* Et, ut hic sanari, hic mundari valeam, etiam hic ure, hic seca; hic fiat expiatio et emundatio mei; ut cum in tuo districto examine aream tuam ventilare et mundare animam meam veneris, invenias eam verae poenitentiae scopis mundatam et ornatam.“ *Urban III. Pap.*

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Extende manum tuam, o *Brachium Domini*, et dele cunctas noxarum maculas, quae deformant animam meam. Custodi me ab illa pestifera vitiorum lue morumque contagione, quae nunc atrociter ubique grassatur. Conserva in me puritatem fidei, puritatem amoris, puritatem intentionum, puritatem morum atque sermonum. Te adjuvante, mi Jesu, refugiam a perditorum consuetudine hominum, qui sua vitiorum lue probos inficere, et ad parem secum interitum abstrahere moliuntur. Jam autem ex animo tibi gratias ago, Domine, pro singulari tua bonitate, qua me miserum visitare, mundare, sanare, et epulo pretiossissimo cibare dignatus es.

Hanc tuam liberalitatem semper habebo prae oculis, semper in mente, semper in ore; donec (te ductore) tandem illuc perveniam, ubi cum omnibus sanctis tuis admirabilem misericordiam tuam collaudabo sine fine. Amen.

FERIA II.

Sanationem pueri centurionis considerans disce sacerdos: 1) ex morbo servi, quam miser sit status peccatorum; 2) ex caritate centurionis, quantopere boni sacerdotes de eorum sanatione curare debeant; 3) ex cura quam habet Christus, quantum diligat animas, et quam severam de iisdem rationem sit exacturus.

PRECES ANTE MISSAM.

Filiali cum fiducia compareo coram te, Pater immensae majestatis! accedo altare tuum indignus ego sacerdos, ut totius Ecclesiae nomine tibi offeram sanctissimum missae sacrificium. Suscipe illud, aeterne Pater, in cultum latriae tibi debitum, et in satisfactionem iniquitatum nostrarum; nec non in gratiarum actionem pro illa inaestimabili bonitate tua, qua gentiles avos et proavos nostros ab Oriente et Occidente vocasti ad fidem, ad Ecclesiam et religionem unice salvantem. O felices nos Christiani, qui in vera fide, in Ecclesiae gremio educati, et per misericordiam tuam facti sumus filii promissionis! Si enim per bona opera certam nostram vocationem fecerimus, certe reportabimus hanc promissionem tuam, et recumbemus cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno coelorum. Pro isthoc fidei dono, et

pro omnibus beneficiis spiritualibus ac corporalibus gratias agimus tibi per hoc sacrificium, demisse supplicantes, ut Ecclesiae hostes reprimere, incredulos illustrare, impios ad frugem revocare, veramque fidem in Oriente et Occidente magis magisque dilatare digneris. Memento NN.

Ad Christum. Te autem, suavissime Jesu, reverentia qua possum maxima precor, ut benigne me respicias. Ecce, spiritus meus immortalis, sanguine tuo redemtus, periculose languet, et tanquam paralyticus jacet in tepore, propemodum immotus ac insensatus ad res divinas. Parum aut nihil in eo virium est ad opera bona peragenda. Sed tibi quam mihi notior est torpor animae meae. Nisi juvetur a te, deficit, succumbit, perit. Veni, quaeso, Medice divine! veni, consolare animam meam, quae *male torquetur* a mundo, carne, et daemone: veni, et noli tardare. — Verumtamen quis ego, qui teipsum ad me invitare audeo? Si terrificam Majestatem tuam, meamque considero vilitatem, anxius haereo, stupeo, contremisco. Ergone tu hodie venire in cor meum? — Ah, *Domine! non sum dignus;* ex animo dico et repeto, *non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Nihilominus (ut spero) ad me venire desideras, quia deliciae tuae, esse cum filiis hominum. Quoniam igitur ita vis, non reluctor amori tuo. Id unum a te peto, Domine, ut talem mihi fidem dones, qualem in illo centurione laudasti; quo dignius hodie te sub tectum cordis mei recipiam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Domine Jesu! cultu religiosissimo veneror et adoro te, vere praesentem in corde meo, qui servos tuos lan-

guentes clementer visitas, amanter alloqueris, suaviter amplecteris, et efficaciter sanas. Quis non ardente te complectatur amore, dulcissime Jesu? Quam potenter tuorum corda fidelium trahis ad te! Indignus sum ego servus tuus, imo peccator omnium miserrimus; et tamen nunc ad me venisti. — Obstupescite, coeli et terra, et audite mirabilem hanc caritatem: Sanctus sanctorum ingressus est tectum sacerdotis irreligiosi; Rex regum se humiliter inclinavit ad hominem superbum et ambitiosum; Dominus dominantium obedienter visitavit servum contumacem et immorigerum; Agnus mitissimus clementer intravit cor hominis iracundi et impatientis; Zelator animarum divinus habitat in domuncula ministri sui acediosi. — Quis mente capiendo erit tanto amori?

Bone Jesu! quid est homo, quia ita magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? — Tu amas me, o Amor mi suavissime! Tu quod es, nunc totus meus es: et ego quod sum, totus tuus sum. Tu in meo nihilo: et ego in immensitate tua mergor et absorbeor. — Dilecte Jesu! parce huic caritatis meae temeritati: o Deus meus! posuisti nunc laevam tuam sub capite meo, et dextera tua amplexaris me. Intra brachia tua cogis torpentem spiritum meum. Liquescit cor meum, o Jesu carissime! amore tui langueo; et quid ultra dicam vel cogitem, nescio. — Fidenter reclino me in paterna brachia tua: hic quiescere, hic mori volo. Ah, tene me, Jesu fortissime, sustine me, constringe me, nec permitte me ullo modo separari a te. O felix hora! jucunda visitatio! — Te quidem nondum video, dulcissime Jesu, et tamen omnino beatus sum, quia te diligo, quia te jam mecum habeo, quia perpetuam tui possessionem spero.

Spe ista ne frustrari me sinas, obsecro, Domine Jesu! Perduc me (meosque omnes) ad patriam illam desiderabilem, ubi summam bonitatem et potentiam tuam inter Angelorum choros una voce magnificabimus. Illuc nos perducito, ubi te non amplius sub mysterii velamine, sed coram videbimus. Fac, ut et nos paratas in domo Patris tui mansiones obtineamus inter illos fideles innumeros, qui *ab Oriente et Occidente venient, et recumbent* feliciter epulaturi *cum Abraham, Isaac et Jacob in regno coelorum.* Adsiste nunc omnibus aegris et moribundis, qui jacent in domibus suis, et male torquentur. Sucurre singulis, pro quibus me orare volueris. Qui vivis etc.

FERIA III.

1) Nemo minus timere solet tepiditatem quam sacerdos (fallitur de malo, quod facit, et putat nullum vel exiguum; de bono, quod facere se putat, comparando se cum pejoribus); 2) nemo magis timere deberet tepiditatem quam sacerdos, quia in sacerdotibus frequentissima et perniciosissima: ipsis, populo, Ecclesiae.

PRECES ANTE MISSAM.

Conditor rerum omnium! Deus coeli et terrae! Pater amabilissime! Fons bonorum omnium indeficiens! en ego peccator miserrimus et indignus Ecclesiae minister, ante thronum tuae gloriae humi provolutus omni quo possum amoris et pietatis affectu, volo et intendo hodie sanctissimum missae sacrificium divinae Majestati tuae, cui soli debetur, offerre juxta ritum sanctae Romanae

Ecclesiae; et ex nunc offero illud, unacum omnibus sacrificiis tibi gratissimis; in unione illius sacrificii, quod Christus in ultima coena instituit, et in cruce consummavit. Offerro tibi illud in contestationem supremae ac increatae tuae excellentiae, dominii tui in omnes creaturas, et nostrae subjectionis et dependentiae a te; in gratiarum actionem pro beneficiis tuis in nos collatis ac conferendis; maxime pro singulari caritate Filii tui Jesu Christi, qui languentibus olim hominibus misericorditer opitulatus, ***infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.***

Offerimus tibi, clementissime Pater, sacrificium istud propitiatorium in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam homine tibi jam irrogatae vel deinceps inferendae. Respice in faciem Christi tui, qui peccata nostra in se ultro suscipiens, ***vere languores nostros tulit, et dolores nostros portavit.*** Per virtutem hujus sacrificii da nobis caritatem mutuam atque sinceram. Accende corda nostra, ut diligamus invicem, et alter alterius onera portemus, exhibentes miseris opera misericordiae. Largire nobis bonam voluntatem, ut afflictis libenter auxiliemur, et proprias calamitates nostras patienter sufferamus. Memento NN.

Ad Christum. Fili Dei, Jesu Christe! miserabilis ego et infirmus homo ad te venio, suspirans ab imo: ***Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*** Quo confugiam ego, toties in eundem recidens languorem, nisi ad te, Medice longanimis, qui famulis tuis languentibus misericorditer opitularis, eisque parasti medicamen quotidianum, ex proprio tuo corpore et sanguine confectum? Ad te propero, ut accipiam vitae alimoniam ac medicamentum salutis aeternae. Fateor equidem, me tam pretioso indignum esse remedio.

Sed quid faciam? Nisi manducavero carnem tuam, nisi bibero sanguinem tuum, non habebo vitam in me, et fient novissima mea pejora prioribus. Itaque fiducialiter adibo mensam tuam, Domine Jesu, tibi demisso nunc corde supplicans, ut dignum me facias sumptione hujus sacramenti, ne forte mihi imparato medicina in damnum, vita in mortem, et antidotum vertatur in venenum. Fac, ut debita praeparatione magnum hoc mysterium recipiam, et ejusdem salutares percipiam effectus. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Medice animarum omnipotens, Jesu Christe! humilitate profundissima prostratus ad pedes tuos, adoro te Dominum Deum meum. Ingenue profiteor, cor meum, teterrimo vitiorum foetore plenum, minime dignum esse habitaculum infinitae Majestatis tuae. Quid aliud, nisi bonitas tua inexhausta, eo te inclinare potuit, ut denuo venires ad me? Quo minus beneficii hujus magnitudinem capio, eo clarius video, quam gratum me animum habere oporteat. Ideoque pro posse meo te laudo, ac millies milliesque glorifico te, misericordissime Jesu! — Beatus sum ego, dum iterum in corde meo habeo te, et tecum omnia, quaecunque desiderare possum. Tu es ipsissima omnipotentia, quae languori meo confestim medetur. Ipsissima es bonitas, quae facile ad commiserationem movetur. In te proin omnem fiduciam meam colloco, bone Jesu, tibique multiplices miserias meas detego. Haud equidem ignoras statum morbi, quo laboro: benignas tamen (ut spero) aures praebebis mihi, varios languores meos ad meipsum humiliandum enarranti. En, ego indignus sacerdos tuus plenus sum miseriis ac infirmitatibus; multum inclinatus ad exteriora

negligens ad interiora; levis ad dissolutionem, durus ad compunctionem; incompositus in moribus, importunus in actibus; velox ad quietem, tardus ad laborem; vigilans ad fabulas, somnolentus ad vigilias; cito distractus, raro bene collectus; laetus in prosperis, impatiens in adversis. — His aliisque vexatus animi morbis, nuspiam invenio remedium vel solatium, nisi apud te.

Oro te igitur, o Jesu misericors! clementer respice me miserum, et sacri corporis tui contactu sana languores meos. Amas me, et ab aeterno amasti me. Singulos vitae meae annos si respicio, luculenta ubique dilectionis tuae vestigia video. Utinam, Domine, tuum amorem amore pari compensare possem! Saltem in posterum adhaerebo tibi caritate inseparabili. Et in signum dilectionis meae non solum declinabo ab *omni* peccato, sed debita quoque virtutum officia praestabo. Cetera tibi committo, Medice animarum sapientissime! Ordina et dispone de me, quocunque tibi placuerit modo. In manu tua sum, o Jesu amantissime! Libenter absorbeo tribulationum medicinas utut amaras, dummodo languens anima mea sanitati restituatur integrae. Bone Jesu, qui languentibus olim misericorditer opitulatus es, inflamma et me, et consacerdotes meos, simili caritatis ardore; ne gravemur afflictis illam *ferre* opem, quam laudabis et remunerabis in die judicii. Qui vivis etc.

FERIA IV.

Et die 25. Julii,

in festo s. Jacobi Apost.

Ambitio et desiderium majorum dignitatum 1) saepe praesumtuosum (quia talis putat se habere qualitates requisitas); 2) saepius periculosum; 3) nunquam honorificum; 4) reipublicae christianae perniciosum.

PRECES ANTE MISSAM.

Expavesco, Deus magne et terribilis, si tua haec verba considero: *Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum; omnia haec manus mea fecit. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* [1] — En, ego servus tuus pauperculus et contritus spiritu profundissima qua possum animi submissione adoro te, ac coram tremenda Majestate tua prostratus me creaturam tuam esse profiteor, a te per omnia dependentem. Nullus dubito, quin tu supremus sis universorum Dominus, omnino dignissimus, qui pro tali ab omnibus habearis et magnificeris. Subjicio me in infinitum immensae Majestati tuae, debitumque tibi latriae cultum atque homagium praesto. Invito pariter ac convoco omnes creaturas, ut una mecum adorent ac collaudent te Optimum Maximum.

In contestationem hujus adorationis et subjectionis nostrae offerimus tibi haec munera illibata super altari

[1] Isai 66.

tuo, gratias simul agentes pro cunctis beneficiis tuis, praesertim pro illa misericordia et bonitate tua, qua in terras misisti Unigenitum tuum, ***non ministrari, sed ministrare***, et dare animam suam, redemptionem pro nobis. Offerimus tibi, Pater omnipotens, hanc hostiam immaculatam in expiationem iniquitatum nostrarum; et ad impetrandum auxilium, ut parati simus, amarum passionis calicem bibere, et pro veritate fidei nostrum profundere sanguinem. Tolle a nobis omnem arrogantiam et ambitionem, ut in spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Memento etc.

Ad Christum. Te autem, o Jesu amantissime, supplex oro, ut me vilissimum peccatorem, et vel humano indignum alimento, ad divinum illud admittas convivium, quod parasti servis tuis. Improbus ego homuncio non tantum promerui amarissimum tribulationis calicem in terris exhaurire; sed nedum etiam in gehenna, in loco tormentorum, ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis mei esse deberet. Nihilominus parasti in conspectu meo mensam plane dulcissimam, et calix meus inebrians, calix sanguinis tui, quam praeclarus est, quam suavis potus pro poenitente peccatore! Obstupesco misericordiam tuam. Et quia non venisti ministrari sed ministrare, et teipsum nobis dare in cibum et potum: confidenter accedo altare tuum, enixe petens gratiam, ut dona tua digne percipiam ad salutem animae meae. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Humiliter pono genua, et adoratione religiosa te veneror, amantissime Jesu, tibique gratias ago pro

ineffabili bonitate tua, qua iterum mihi dedisti panem coeli manducandum, et calicem sanguinis tui bibendum. Jam luce meridiana clarius video, et quasi manibus palpo, quod me speciali prosequaris amore. Quam miranda dignatio! quanta clementia! „Dilectus meus mihi, et ego illi. O quid audet cor meum! Dilectus meus mihi ministrat, mihi servit, mihi intendit. Itane mihi intenta est illa Majestas, cui gubernatio pariter et administratio totius universitatis incumbit? Itane mihi servit ac intendit Rex regum et Dominus dominantium, qui curam saeculorum ad sola transfert negotia dilectionis? Ita plane“ [1]. Tu, dilectus meus, mihi intendis, mihi faves, mihi inclinaris, mihi servis, mihi ad mensam tuam cibum et potum ministras pretiosissimum. O stupendam caritatem! — Jesu liberalissime! en etiam ego tibi soli intendo, tibi soli servio, et omnem meam sollicitudinem projicio in te, quoniam tibi cura est de me. Diu noctuque me observas, ita sollicitus de salute mea, ut citius mater obliviscatur filii sui, quam tu obliviscaris mei.

Si omnem tuam in terris conversationem considero, Fili Dei, magnae mihi admirationi est infinitus amor tuus, quo non venisti ministrari, sed ministrare. Quis hominum enarrare poterit, quanta lenitate vocaveris peccatores ad poenitentiam? Amicabiliter eos invitasti ad gratiam tuam; promissionibus atque minis contudisti illorum duritiem. Incredibili ardore perambulasti Judaeam, quaerens animarum salutem. Clementer excepisti venientes ad te; benigne remisisti languentibus peccata sua. Velociter advolasti, quocunque vocatus es. Mansuete respondebas oblocutoribus; humaniter habebas

[1] S. Bernard.

rudes discipulos; amabiliter reprehendebas stupidos. Non repulisti peccatores, non horruisti leprosos, non vitasti Pharisaeos, non abjecisti publicanos. Omnium saluti te impendisti, omnibus omnia factus. Trahe me in vestigia tua, Domine Jesu, et qui Apostolorum ambitionem improbando sat luculenter ostendisti, quantum averseris arrogantiam, custodi me ab hoc vitio. Fac, ut gaudenter bibam passionis calicem, quem prior bibisti. Extingue in me desideria inutilia, quae mergunt hominem in interitum. O Magister mitis et humilis corde! redde me discipulum tibi similem. Fac, ut meipsum flocci faciam in hoc mundo, quo major fiam atque sublimior in coelo. Amen.

FERIA V.

Major orationis in sacerdote est: 1) obligatio (*status clericalis, fundationes piae, functiones sacrae etc.*); 2) necessitas (pericula, animae commissae); 3) facilitas (tempus, occasiones, scientia, gratiae etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Benignissime Deus! Pater D. N. J. C. ecce offerimus tibi incruentum hoc sacrificium ad laudem et gloriam adorandi nominis tui; nec non in gratiarum actionem pro caritate tua, qua Filium tuum ad homines in mundum misisti, ut evangelizaret regnum tuum. Gratias agimus tibi, Pater, pro singulari clementia tua, qua tot gentilium turmas, ne quaerentes quidem Jesum, mirabiliter duxisti ad Jesum, ut invenirent veritatem, viam

salutis, et vitam aeternam. Hostia haec propitiatoria expiet innumeras iniquitates et negligentias nostras, quibus nos homines ingrati munificentissimam offendimus Majestatem tuam. Respice, Pater, Unigenitum tuum, qui tempore praedicationis suae frequenter *orabat in deserto*. Per ipsius preces et merita supplicamus tibi, sancte Pater, ut et nobis tribuas solitudinis amorem, precationis ardorem, fidei firmitatem, et rectam in omnibus intentionem. Militantem in terris Ecclesiam tuam perpetua defensione conserva, ne portae inferorum praevaleant adversus eam. Summum Pontificem, Petri successorem ac visibile caput Ecclesiae, assidua protectione guberna. Praesules sacros et animarum curiones fac munere suo impigre fungi, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis dirigatur. Deus exercituum! dirige principes catholicos et omnes, qui in sublimitate sunt: ut, potestatem suam Majestatis tuae famulam facientes, ad communem salutem omnia disponant, et a tuae veritatis tramite non recedant. Largire pauperibus solatium, aegris remedium, tentatis auxilium, moribundis sacrum viaticum. Memento etc.

Ad Christum. Domine Jesu! e diversis aliquando civitatibus turbae multae diligenter te quaesierunt, gaudenter invenerunt, inventumque libenter comitati sunt. Tui desiderio flagrantes iterum iterumque te videre, semperque secum retinere voluerunt. O Jesu delectabilis! etiam mihi magnum tui desiderium injecisti. Seda, precor, illam eucharistici panis appetentiam, quam mihi praestare dignatus es. O Fons misericordiae, qui manare non desinis! saluberrimo sanguinis tui potu restingue sitim animae meae excitatam a te. Toto corde quaero te, Jesu desiderabilis! ad te omni nisu et aviditate maxima tendo, anhelo, festino. Nosti utique, Amor mi,

quam ardenti nunc tui desiderio aestuet anima mea, ut brevi ruat in amplexus tuos. Jam advolo ad mensam tuam, o Jesu desideratissime, quo citius te suscipiam manibus, imo et brachiis animae meae. Felix hora, qua te Jesum meum invenio, offero, contingo ac comedo! —

PRECES POST MISSAM.

Jam habeo, quod volui; inveni, quod quaesivi; possideo, quod exoptavi; amplector, quod unice desideravi. Habeo Jesum meum, animarum medicum; ideoque non reformido languores. Inveni ducem coelestem; ideoque non metuo hostem. Possideo veram vitam; ideoque non timeo mortem. Amplector summum Bonum; ideoque non horreo mala. — Jesu suavissime! omnibus nunc affluo deliciis, dum amplector te animae meae brachiis. Ingenti exulto laetitia, quia tu es propitiatio mea, salus mea, refectio mea, medicina mea, consolatio mea, Deus meus et omniá. Non admodum mirabile mihi videtur, te quondam a turbis tam studiose fuisse quaesitum: nam utique Salvator es totus amabilis, totus delectabilis, totus desiderabilis. Ah! quam infelices illi mortales, qui te non habent, non agnoscunt, non quaerunt! — Grates tibi, bone Jesu, qui me non tantum vocasti ad coetum fidelium, sed etiam ad ministerium altaris tui, ubi mihi quotidie licet teipsum manibus meis tractare.

Utinam te semper et ubique prae oculis haberem, quo studiosius imaginem tuam moribus meis exprimere contenderem! Perbene scio, Domine, vitam tuam, quam in terris transegisti, fuisse praeclarissimum sanctae conversationis exemplar, in quod ceu in speculum omnes, maxime nos sacerdotes tuos, inspicere oportet. Fre-

quenter orabas in deserto. Concede mihi quoque solitudinis amorem, et indefessum precandi studium. Circuibas vicos et civitates, ubique praedicans evangelium regni Dei. Da et mihi caritatem et gratiam tuam, ut fidei mysteria junioribus exponam, adultis salubria monita tradam, rudes erudiam, sanctoque succensus ardore nullas praetermittam occasiones, aliorum promovendi salutem.

Turbae illae, postquam te diligenter requisitum invenerant, *detinebant* te, *ne discederes ab eis*, nimis aegre ferentes, separari a te Salvatore amabilissimo. Similiter et ego nunc arctissime constringens te obsecro, Domine, ne discedas a me. Ne derelinquas me, Domine Deus meus! Mane mecum, Amor mi! nam tu es unicum refugium meum in periculis, unicum auxilium meum in tentationibus, unicum refrigerium meum in laboribus, unicum solatium meum in terris, et unicum gaudium meum in coelis. Amen.

FERIA VI.

Sacerdos frequenter considerare debet passionem Domini: 1) quia quotidie eam repraesentat (in missa) et dispensat ejus fructum (in sacramentis); 2) ut magnitudinem tum bonitatis et justitiae divinae, tum iniquitatis et miseriae humanae in dies magis intelligat; 3) ut consolationem et fiduciam ex passione Christi hauriat; 4) ut imitari possit Christum patientem, et ad ejus imitationem alios accendere.

PRECES ANTE MISSAM.

Augustissimum frequentantes et innovantes sacrificii crucis mysterium, suppliciter exoramus te, Pater omni-

potens, aeterne Deus, ut, quod sub mysticis speciebus hodie peragimus, a te clementer acceptetur ad majorem nominis tui gloriam; et in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, praesertim vero pro infinito amore tuo, quo Filium tuum in terram misisti, ut ipse pro salute nostra pretium se daret in cruce, mortemque subiret amarissimam. Confitemur autem malitiam nostram, qua toties iteramus illa flagitia, quae dilectus Filius tuus tam acerbis cruciatibus diluit. Lugentes nunc detestamur iniquitates nostras, veniamque precamur: et in earum satisfactionem offerimus tibi eundem unigenitum *tuum* Filium, Dominum ac Redemtorem nostrum.

„Recole, Pater, quia hic ipse est, quem etsi *ab* aeterno genuisti, nostrae tamen infirmitatis humanae participem fieri voluisti. Hic est, qui, nostram indutus naturam, crucis ascendit patibulum, et triste tulit supplicium. Converte oculos Majestatis tuae super istud opus misericordiae tuae. Intuere dulcem Natum in crucis ligno extensum. Cerne manus innocuas, proprio manantes sanguine: et remitte placatus scelera, *quae* patrarunt manus nostrae. Vide immaculatos pedes, qui in via peccatorum non steterunt, duris confixos clavis: et perfice gressus nostros in semitis tuis. Vide Redemtoris supplicia, et dimitte redemtorum delicta.“ *S. Anselm.*

Justissime Pater! offerimus tibi infinitum Christi meritorum thesaurum in pretium pro exsolvendis nostris debitis. Offerimus tibi humilitatem Filii tui pro nostra superbia; caritatem ejus pro nostra malevolentia; obedientiam ejus pro nostra contumacia; patientiam *ejus* pro nostra petulantia. Respice, Pater, in faciem Christi tui, qui, ut expiaret scelera nostra, in ligno crucis oblatus est, quia ipse voluit; qui inter plagas et catenas, inter flagella et vulnera, inter spinas ac contumelias

non aperuit os suum, sed sicut ovis ad occisionem perrexit, et quasi agnus coram tondente se obmutuit. Per merita hujus dilectissimi Filii tui, quem tibi hodie in missae sacrificio offerimus, miserere nostri, Pater amantissime, tuamque nobis gratiam concede, ut Redemtoris nostri mansuetudinem imitemur, et omnes injurias atque afflictiones corporis et animi patienter feramus, ac salutares istius sacramenti fructus percipiamus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Salve, mitissime Redemtor, Jesu Christe, qui pro salute nostra pretiosum sanguinem tuum in cruce fudisti. Jure quidem merito admiror dilectionem et patientiam tuam, qua pro nobis tam dolorosam subiisti mortem. At tua illa caritas patiens et benigna, qua teipsum mihi tribuis in cibum, longe mirabilior mihi videtur. Supplex adoro te Jesum meum, te Amorem meum crucifixum, verissime nunc praesentem in corde meo. Humi stratus amplector et exosculor sacratissimos pedes tuos, propter me clavis transfixos. Reverenter exosculor sanctas ac venerabiles manus tuas, in cruce perforatas. Debita pietate adoro et exosculor amabile pectus tuum lancea perfossum. Grates tibi habeo pro hoc beneficio, quod nunc ad aram tuam mihi tribuisti.

Amo te, Domine Jesu, qui ab aeterno amasti me. Paratus sum multa pati amore tui, o Salvator benignissime, qui amore mei tam multa, tam gravia, tam ignominiosa passus es. Id unum a bonitate tua enixe rogo, ut ope tua divina me corroborare digneris, ne sub onere crucis meae succumbam. Fac, o patientissime Jesu, ut omnes saeculi vanitates et delicias respuam,

et in aerumnis gaudium meum habeam. Crux tua, Domine, sit unicum mihi solatium; et crucem meam quotidie tollere ac sequi te, sit unica mihi gloria et delectatio. Totum me trado in manus tuas, et omnia mea committo dispositioni tuae. Abstrahe cor meum a rebus creatis, ut aliud non appetam nec quaeram, nisi placere tibi. Crea in me, Deus, fastidium et nauseam de quibuscunque mundi solatiis.

„Domine Jesu! haec mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas et justa probatio pro summo solatio. Dummodo voluntas mea recta et firma ad te permaneat, fac de me, quidquid tibi placuerit. Non enim potest esse nisi bonum, quidquid de me feceris. Si me vis esse in tenebris, sis benedictus; et si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus; et si me vis tribulari, sis aeque semper benedictus. Libenter patiar pro te, quidquid volueris venire super me. Indifferenter volo de manu tua bonum et malum, dulce et amarum, laetum et triste suscipere, et pro omnibus mihi contingentibus gratias agere. Custodi me ab omni peccato, et non timebo mortem nec infernum. Dummodo in aeternum me non projicias, nec deleas de libro vitae: non mihi nocebit, quidquid venerit tribulationis super me.“ *Imit. C.*

SABBATO.

1) Christus est pastor noster (custodit nos, pascit nos verbo — gratia — corpore suo etc.); 2) ergo simus oves ejus (innocentia, mansuetudine, docilitate et obedientia).

PRECES ANTE MISSAM.

Redemtor mundi! Jesu Christe! suppliciter adoro te Deum verum de Deo vero. Ex imo pectore laudo et glorifico te, Dominum infinitae majestatis et totius universi Monarcham; tibique submississimum praesto homagium, in agnitionem supremi tui dominii. Grates tibi, Unigenite Altissimi, pro stupenda caritate tua, qua oves tuas ita dilexisti, ut assumseris humanitatem, et illas a perditione redemeris pretio sanguinis tui. Maximas tibi grates habeo, Domine Jesu, quod ad perennem dilectionis tuae memoriam, et in pignus vitae aeternae, altaris sacramentum institueris; et ad illud conficiendum etiam me peccatorem eximia sacerdotii dignitate ornaveris. Debuissem equidem pro ratione vocationis meae singularem vitae sanctimoniam sectari, et majores quotidie in via virtutis progressus facere. Sed, heu! quid egi? — Saepius admisi turpem ingrati animi culpam; velut ovis immorigera vocem tuam audire nolui; sequi te renui; et longius a te recedens erravi, sicut ovis, quae periit.

At ecce, Pastor bone! nunc gemens ac dolens ad te redeo, humiliterque fateor insipientiam meam. Noli me despicere creaturam tuam, quam tuo sanguine redemisti. Jam serio mecum statui, deinceps tibi fidelius auscultari, alacrius servire, ac firmius adhaerere. Accedens hodie ad aram devoto cordis affectu tibi corporis et sanguinis tui sacrificium, quod semel pro ovibus tuis in ara crucis obtulisti, purissima intentione rursus offero ad laudem et gloriam adorandae Majestatis tuae; in memoriam sanctissimae incarnationis, vitae, passionis ac mortis tuae; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, mihi et universo ovium tuarum

gregi hucusque praestitis vel adhuc praestandis; nec non in propitiationem noxarum et negligentiarum, quibus in dies offendimus bonitatem tuam. Offero tibi hoc missae sacrificium pro impetranda gratia tua, mihi ceterisque fidelibus necessaria. Effice quaeso, Homo-Deus, ut affectu et amore tuarum ovium vel jam regnantium in coelis, vel adhuc peregrinantium in terris, sacrificium divinissimum (grande hoc et inscrutabile tuae caritatis opus) in altari tuo peragam, atque per ejusdem merita consequar vitam aeternam. Clementer etiam, magne Pastor, intuere et tuere oves illas, quas curae meae commisisti; neque permitte, ut rapiat eas quisquam de manu tua, extra quam perirent in aeternum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

O Jesu, Fili Dei! Deus incomprehensae majestatis! flexis genibus me coram te reverenter inclino, debitaque animi submissione adoro te Deum-Hominem, in corde meo vere praesentem. Adoro te Deum fortem ac omnipotentem, qui fecisti coelum et terram, qui appendis tribus digitis molem terrae, et omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. Reverenter adoro te Deum magnum et immensum, quem coeli coelorum capere non possunt, nec ulla locorum spatia constringunt. Humiliter adoro te immortalem universi gubernatorem, qui vitae et mortis habes potestatem. Supplex adoro te Salvatorem misericordissimum, te pastorem bonum, qui vitam posuisti pro ovibus tuis.

Domine Jesu! dixisti quondam ad Judaeos: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* En, ut ego adnumerari merear ovibus tuis, corde credo et

ore confiteor omnia religionis catholicae mysteria, simulque majorem in modum a te peto fidei augmentum. Credo, quod Pater tuus sic dilexerit mundum, ut te Filium suum unigenitum dederit nobis Redemtorem. Credo, Domine, te et Patrem tuum unum esse in essentia. Firmiter credo, eo fine te naturam humanam, servi formam, boni pastoris officium suscepisse, ut oves tuae, vocem tuam audientes et sequentes te, pervenirent ad vitam aeternam. Vere bonus es Dominus, et pastor bonus: nam ovibus tuis das gratiam tuam, lucem et veritatem tuam, omnia merita tua, corpus et sanguinem tuum, et denique vitam aeternam. — O vita aeterna! o merces omnibus votis expetenda! — Bone Jesu, qui talia nobis praestas in via, quid non dabis in patria? Qui bonis terrenis indignos cumulas hoedos in hac valle lacrymarum, quid non dabis ovibus tuis in paradiso deliciarum? — Jesu mi suavissime! vehementer desidero vitam aeternam, quam promisisti et praeparasti ovibus tuis.

„Quam mira, quam pulchra sunt domus tuae coelestis habitacula, Domine Deus virtutum! concupiscit illuc intrare anima mea. Dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Quid jucundius, quidve dulcius est, quam inter hujus vitae amaritudines divinae dulcedini tuae inhiare, atque ad vitam aeternam suspirare, illicque versari mente, ubi vera gaudia haberi certissimum est? Jesu dulcissime, benignissime, amantissime, carissime, pulcherrime, desideratissime! quando veniam, et apparebo ante faciem tuam? Quando videbo te facie ad faciem in terra viventium? In ista terra mortalium te videre non possum. Quandonam educes me de isto carcere tenebroso, ut ibi confitear nomini tuo? Quando transibo in illam admirabilem domum tuam

ubi sonat vox laetitiae et exultationis in tabernaculis justorum? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Quid faciam miser, gravedine mortalitatis adstrictus? O beati, qui habitant in domo tua, Domine! in saecula saeculorum laudabunt te. Beati, vere beati, quos elegisti et assumsisti in illam coelestem haereditatem! Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos" [1]. Qui vivis etc.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Procellae Ecclesiae 1) nunquam defuerunt nec deerunt (cur?); 2) non sunt timendae, imo utiles et necessariae (cur?); 3) quid faciendum, durantibus procellis, filiis Ecclesiae, imprimis sacerdotibus, quoad Deum, semetipsos, subditos, Ecclesiam, persecutores?

PRECES ANTE MISSAM.

Universi totius conditor Deus, cujus potentia et misericordia ab aeterno in aeternum, tibi pro donis et beneficiis tuis gratias agimus, suppliciter adorantes infinitam bonitatem et omnipotentiam tuam. Dumque tibi hodie incruentam altaris hostiam immolamus, enixe precamur te, Optime Maxime, ut nobis famulis tuis, in procelloso hujus peregrinationis pelago navigantibus, et in extremo naufragii periculo versantibus, benigne succurras, et nos miseros ex tot angustiis clementer eripias.

---

[1] S. Laur. Justin.

Exsurge, Domine, adjuva nos; quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae? Haud equidem ope tua digni sumus ob innumeras iniquitates nostras: speramus tamen ab immensa bonitate tua propitiationem et indulgentiam. „Hostiam tibi, Domine, placationis offerimus, ut delicta nostra miseratus absolvas, et inter hujus saeculi tempestates nutantia corda nostra dirigas“ [1].

Per istius oblationis merita rogamus te, Deus sancte, fortis, ut Ecclesiam, tot inter persecutionum procellas navigantem, semper gubernes, et ad portum aeternae beatitudinis perducas. Protege omnes et singulos fideles, ne salutis spe abjecta Ecclesiam deserant, aut in vitiorum gurgites se praecipitent. Vide lacrymas, audi clamorem tot innocentium, et esto nobis propitius per infinita hujus sacrificii merita. „Domine Deus virtutum, qui nos, in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis et corporis, ut ea, quae pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus“ [2]. Deus patrum nostrorum! fac, ut in omni eventu providentiam tuam collaudemus, et omnem sollicitudinem nostram projiciamus in te, quoniam tibi cura est de nobis: non enim delectaris in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis. Memento etc.

---

[1] Missal. Bellovac. [2] Sacram. Gregor.

PRECES POST MISSAM.

Nemo inter mortales tuam comprehendere valet majestatem et gloriam, o Jesu suavissime! nihilominus admisisti me ad tremendum altaris tui mysterium. Omnia elementa parent tibi ad nutum: et tibi nunc complacuit venire ad servum tuum immorigerum. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas:* et tamen, o Deus omnipotens, habitare dignaris in corde peccatoris. O bonitas! o misericordia! — Jam incipio respirare a metu inter graves hujus mundi procellas, quia te mecum habeo. Dulcissima haec tua praesentia timorem mihi abigit, spem erigit, dolorem mitigat, mentisque serenitatem reducit. Beati, qui habitant in coelesti domo tua, Domine! felices coelicolae, qui de procelloso hujus saeculi pelago transierunt ad illam immortalitatis regionem, ubi gaudiis affluunt, et torrente voluptatis inundantur. Nos autem miseri mortales per saevientes tempestuosi maris fluctus navim aegre trahimus, ignari, num ad portum aeternae salutis pertingamus. Infelices nos, quorum vita in exilio, navigatio in turbido, peregrinatio in nubilo, salus in periculo, spei ancora in lubrico, et portus est in dubio! Cum metu et tremore salutem meam operari debeo, quia periclitor in aeternum perire. Domine Jesu, adjutor meus esto; ne derelinquas me! „Sicut in mari discipuli ad te confugerunt, teque excitarunt, et per oris tui vocem procella venti cessavit, et tempestas fluctuum facta est tranquilla: ita quoque exaudi preces meas, quae diu, noctuque suscitant te“ [1].

---

[1] S. Ephraem.

Tu es unicum refugium meum in quibuscunque periculis. Et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Non extimesco pericula, dum mecum est Salvator: nec ipsam metuo mortem, dum mecum habeo Vitam.

Bone Jesu! etsi quandoque nobis obdormisse videaris, omnia tamen circumspicis atque gubernas. Vides enimvero, quibus ventis et undis, quibus procellis ac fluctibus jactetur navicula tua, Ecclesia catholica. *Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones* [1], violentis ab omni parte ventis exasperati, hanc navim assidue quatiunt. Domine! quid est causae, quod dormientis speciem praeteferas? Humiliter adoramus justitiam tuam, fatemur iniquitates nostras, imploramus misericordiam tuam. In gravi hac tempestate, ubi tot animae periclitantur, exsurge Domine, adjuva nos! Audi clamorem fidelium ubique vociferantium: *Domine! salva nos, perimus.* Tu solus es nobis spes salutis, et unicum refugium nostrum. Omnis nostra exhausta est industria. Manus hominum ad opem ferendam comperiuntur inutiles. Virium nostrarum imbecillitatem arguit vis tempestatis. Exsurge, Domine, adjuva nos! Ostende te vigilantem, et pelagus a furore quiescet. Mare paca, quod nobiscum pugnat. Verbo extingue procellam, quae nobis minatur exitium. Pacem undis loquere. Miserere discipulorum, qui maris tyrannide premuntur. Mare te loquentem verebitur, subsident fluctus, silebunt venti, cessabit procella, et fiet tranquillitas magna. Vox tua validissima, praepotens voluntas tua secundissimus erit ventus, quo adspirante per medios saeculi fluctus secure

[1] Jud. v. 13.

navigabimus ad illum aeternae felicitatis portum, quem madentibus oculis procul conspicimus, et omnibus votis expetimus. Amen.

FERIA II.

Peccatum et peccandi consuetudo: 1) aufert libertatem (obscuratur intellectus, infirmatur voluntas, accenditur concupiscentia); 2) affert servitutem (peccator fit servus passionum, saepe etiam complicis, tandemque diaboli).

PRECES ANTE MISSAM.

Gloriamur, o Pater omnipotens, ***in spe gloriae filiorum*** tuorum; ideoque filiali cum fiducia ingredimur templum tuum, altaris sacrificium oblaturi. Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore, sed (intercedente Verbo tuo incarnato) accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: ***Abba, Pater.*** En omni qua valemus animorum demissione laudamus et adoramus te, clementissime Pater, tibique hoc sacrificium offerimus in condignum latriae cultum; nec non in gratiarum actionem pro benignitate tua, qua ipsum Unigenitum tuum misisti nobis Redemtorem. Grates tibi debitas referimus, quoniam donasti nobis Filium tuum, qui, formam servi accipiens et in cruce moriens, non tantum a durissima peccati servitute nos liberavit, sed in optatissimam quoque libertatem gloriae filiorum tuorum vindicavit.

Pater amantissime! per merita hujus hostiae propitiatoriae nobis ignosce, quod immemores tanti bene-

ficii voluntarie peccando rursum facti sumus servi peccati. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; cito anticipent nos misericordiae tuae, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis* (*Dan. 9.*). — Abba, Pater! adjuva nos filios tuos fragiles, ut, ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Fac, ut aliquando perveniamus ad supernae patriae haereditatem incorruptibilem, ac cum Filio tuo maneamus in coelesti domo tua in aeternum. Memento NN.

Ad Christum. „Trepidus ego et anxius, criminumque funibus captivatus, te unicum miserorum refugium deprecor, Domine Jesu Christe, ut indigno mihi sacerdoti tuo indulgeas, quod altaris sacramentum, Angelis tremendum et adorandum, sceleratis labiis consecrare et profanis manibus audeo attrectare. Sed dum accedo per me, fateor Domine, praesumo de te. Memor enim miseriarum mearum, et misericordiarum tuarum quae a saeculo sunt, te rogo, Domine, ut sacrosanctum hoc sacrificium non sit mihi ad judicium neque ad condemnationem, sed potius ad liberationem iniquitatum et angustiarum mearum et ad perennem animae meae salutem. Idipsum, Domine Jesu, supplicans repeto, non elata (ut ipse conspicis) praesumtione, sed prona et pavida submissione: quod miser et immundus ego peccator, carnis tuae sanctae et pretiosi sanguinis tui sacramentum immundis manibus consecrare audeo. Supplex oro te, Domine, ministerium meum benigne respice, et misero mihi ministro tuo miserere. Sacrificantem purifica, et sacrificium sanctifica. Quidquid est in me contra me, clementer aufer a me. Apta me tuo sancto servitio ac idoneum me tibi ministrum perfice; et annue, ut,

tibi sunt placita, inter haec sancta mysteria postulem, et quaecunque postulo, a benignissima misericordia tua percipiam. Amen.“ *S. Anselm.*

PRECES POST MISSAM.

Cum metu et tremore adoro te, Deum sanctum, praesentem in foetido corde meo. O Ens aeternum et immensum! ecce, trepidat ante faciem tuam vilissimus terrae vermiculus. Suprema quidem majestas tua terret me; at dum mecum considero, te misericordissimum esse, e timore me colligo, novamque concipio spem. Innumera mihi jam dedisti beneficia, ceu totidem manifesta benevolentiae tuae indicia. Cum essem servus peccati, per gratiam tuam liberasti me; cum essem mancipium diaboli, fecisti me filium Dei; cum prae multitudine delictorum meorum non auderem oculos ad coelum elevare, clementer erexisti me ac consolatus es me. Cum miser et pauperculus essem, invitasti me, ut comederem de sacra mensa tua omnibus diebus vitae meae. O mirabile dilectionis ac munificentiae prodigium! —

Grates tibi, Domine Jesu, qui mihi, ad coelestem patriam peregrinanti, jam iterum dedisti panem vitae aeternae. Grates tibi pro illa misericordia tua, qua servi formam indutus vitam in cruce posuisti, ut nos filios hominum e servitute peccati transferres *in libertatem gloriae filiorum Dei.* Nolo igitur recipere tyrannicum diabolicae servitutis jugum; nolo ambulare difficiles peccatorum vias, in quibus contritio et infelicitas. *Juravi, et statui, custodire judicia justitiae tuae.* Volo deinceps omnia vel minima vitare peccata, tibique constanter adhaerere. Nunquam mihi bene fuit sine te; tecum nunquam male. Sed quid prodest mihi,

Domine, talia velle, nisi tu dederis et posse et perficere? Homo frustra proponit, quem tua gratia non disponit. Tibi quam mihi notior est imbecillitas mea. Sine te nihil boni possum facere; mihique relictus, nihil possum, nisi peccare. „Adjutor esto mihi, Dominator universorum, Jesu Christe! imbecillitatem animae meae sustine, ut liber sim ab omni corruptione peccati et a vinculis iniquitatum solvar; ne praevaleat in me tyrannis malitiae, neque daemon adversarius meus per peccatum apprehendat me tanquam captivum; sed superveniat in me gratia Spiritus sancti, ut abscedant a me, quae mihi nunc dominantur, vitiorum affectiones: tu enim es Deus benignus et misericors.“ *S. Ephraem.*

Obsecro te, miserator Domine, conforta me meosque confratres infirmos, ut semper filii Dei maneamus, et, quod bonum est, bene perficiamus. Pone nobis ob oculos et virtutis pulchritudinem, et peccati foeditatem, ut, qui sat diu degustavimus amarissimam diabolicae servitutis amaritudinem, dulcissimam deinceps dulcedinem libertatis filiorum Dei sentiamus, *et ultra non serviamus peccato.* „Domine Jesu, qui divinitatis tuae infinitam praestantiam ad infimam mortalis servi conditionem depressisti, ne universa humani generis propago funditus interiret; Domine, qui mortis tuae nunquam satis laudando beneficio nos, daemonis et peccati servituti mancipatos, in libertatem adseruisti: miserere populo tuo, qui maxima contentione tuam opem implorat. Sic porro fiet, ut tibi Patrique tuo ac Spiritui sancto laudes referat immortales. Amen.“ *Idem.*

FERIA III.

Ut digne post missam gratias agas, considera: 1) quis Christus — quis tu; 2) quid Christus fecerit tibi — et quid tu feceris ipsi; 3) quid Christus postulet a te, et quid tu velis et possis postulare a Christo.

PRECES ANTE MISSAM.

Magne Deus, clementissime Pater, qui Judaeorum gentem ingratam abjecisti et sprevisti, qui spreverunt Filium tuum in terram missum; Pater, qui talem dedisti nobis extraneis caritatem, ut filii tui nominemur et simus: en ego sacerdos indignus accedo ad offerendum tibi dilectum Filium tuum. Paulo post in manus meas veniet Verbum tuum incarnatum. O mysterium, a peccatore tremebunda manu tractandum! — Ah, Pater! peccavi. in coelum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus, multo minus contingere atque suscipere corpus Unigeniti tui. Quanta est tua in me beneficentia! Utinam saltem in posterum ardentius diligerem te, Patrem meum optimum! Utinam omnia totius mundi regna mecum collaudarent et magnificarent te, sanctumque altaris sacrificium hodie mecum offerrent! Sed, quia sunt homines innumeri, vel extra Ecclesiam erroribus Judaismi aut paganismi aut haereseos involuti, vel intra Ecclesiam nefandis delictorum sordibus sepulti, qui nec verbis nec factis te glorificant: in supplementum istorum omnium admitte, Pater adorande, hoc sacrificium laudis, immolandum ab Unigenito tuo, qui ut primarius offerens seipsum in holocaustum longe excellentissimum tibi sistit. Idem Filius tuus omnium vice te laudet ac glorificet. Ipse omnium vice gratias tibi agat pro beneficiis Eccle-

siae concessis; simulque per infinita passionis suae merita satisfaciat pro peccatis nostris, quibus te Patrem adeo bonum offendimus. Ipse tandem omnium vice tibi supplicando impetret nobis necessaria salutis remedia et lumen gratiae, ne decipiamur a diabolo, patre mendaciorum, sed ut aeternae Veritati firmiter adhaereamus. Auge nobis fidem, spem, et praecipue caritatem. Inflamma nos amore fraternitatis, ut, qui unum te habemus Patrem, etiam cor unum et animam unam habeamus, ac fratrum more nos invicem diligamus. Pater amantissime! clementer intuere calamitates fidelium, pericula debilium, tribulationes populorum, gemitus captivorum, miserias pupillorum, lamenta viduarum, pressuras innocentium, necessitates itinerantium, lacrymas pauperum, labores sospitum, dolores aegrotantium, angustias morientium, suspiria animarum in purgatorio poenas luentium. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Talis ac tanta est tua erga me bonitas, amabilissime Jesu, ut eam intellectu meo comprehendere haud valeam. Ad pedes tuos provolutus, omni qua decet reverentia adoro te unigenitum Dei Filium, praesentem in medio cordis mei. O beatus ego! possideo Deum immensae misericordiae. Quid ergo metuam in hoc momento, dum teipsum Salvatorem meum in praecordiis habeo? *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*, summum Bonum, a quo sunt omnia alia bona. Pro dulci hac aeternae vitae alimonia, qua denuo recreasti animam meam, et pro ceteris beneficiis tuis tota cordis contentione debitas tibi grates habeo. Scio, Domine, me tibi obligatissimum et omni ex parte obstrictum esse; se

nescio nec valeo tantas tibi referre grates, quantas cupio et debeo. Quapropter universas invoco creaturas, ut mecum et pro me bonitatem tuam laudent atque magnificent. In signum gratae voluntatis meae tibi meipsum totum trado et dedico, unacum ardenti desiderio et firmo proposito, deinceps alacrius tibi serviendi. Suscipe hoc qualecumque munusculum meum, infinita quidem Majestate tua indignum, sed ex mille titulis tibi debitum.

Libera me, Domine Jesu, ab illo ingrati animi vitio, quod olim in Judaeis tam acriter reprehendisti, et tam severe castigasti. Tutum me praesta ab insidiis diaboli, patris mendaciorum, ne unquam malignis ejus suasionibus cedam. Fac, ut inseparabiliter adhaeream tibi, qui redemisti me, Domine Deus veritatis. Omnibus etiam famulis tuis (confratribus meis) largire gratiam tuam, ut talem agant vitam, sicut decet filios Dei. Ad frugem revoca peccatores; illumina haereticos atque paganos, ut suavissimo Ecclesiae jugo cervices submittant. Consolare moestos, variisque calamitatibus pressos erige. Auxiliare omnibus curae meae commissis, amicis, notis, et benefactoribus meis. Propitius esto inimicis meis, qui me laeserunt ac contristaverunt. Quo citius autem me pro confratribus meis orantem exaudias, appello investigabilem miserationum tuarum abyssum: appello durissimum illud crucis lignum, ex quo propter nos pendens inclinato capite emisisti spiritum. Exaudi me precantem pro fratribus meis, quos omnes sincere diligo. Omnes unum Patrem habemus Deum; ad unum omnes id unice desideramus, ut aliquando mereamur omnes in coelo unum Deum Patrem immensae majestatis, et te, venerandum ejus verum et unicum Filium, sanctum quoque Paracletum Spiritum laudare et glorificare. Amen.

FERIA IV.

Morbis tuis utere: 1) ut Deum possis placare amicumque tibi reddere; 2) ut virtutum actus exerceas et merita tibi colligas; 3) ut aedifices proximos, imprimis subditos.

PRECES ANTE MISSAM.

Omnipotens aeterne Deus, Pater D. N. J. C. indignus ego sacerdos tuus offero tibi hoc missae sacrificium ad laudem et gloriam adorandae Majestatis tuae, in signum nostrae dependentiae a te; simulque in gratiarum actionem pro beneficiis tuis, quibus et me, et totam cumulasti Ecclesiam; speciatim vere pro illo amore stupendo, quo unigenitus Filius tuus nobis, in amicorum suorum numero positis, sacrosanctum altaris mysterium, velut insigne dilectionis suae memoriale, munusque vere pretiosum, relinquere dignatus est. Offero tibi, sancte Pater, augustissimum hoc sacrificium in commemorationem acerbissimae passionis ac mortis, quam idem Unigenitus tuus pro nobis amicis suis sponte subiit; nec non in plenam satisfactionem culparum nostrarum, maxime teporis illius probrosi, in quo tamdiu jacuimus. Offero tibi, Pater, incruentam hanc victimam pro impetranda gratia efficacissima, ut tandem ex indigno languore nostro surgentes alacrius posthac tibi serviamus; et amore perfecto tecum uniti, tam in prosperis quam in adversis, mandata tua faciamus. Accende, Pater, algentes animos nostros, ut Filii tui, amici nostri, caritatem caritate compensemus reciproca. Memento NN.

Ad Christum. Domine Jesu! Amice dilectissime! summo jam desiderio ad illam propero mensam, qua

parasti nobis, languentibus amicis tuis, ut, accipientes hoc caritatis tuae pignus pretiosum, non tantum reminiscamur amarissimae passionis ac mortis tuae, sed vires etiam exinde hauriamus ad pergendam justitiae viam. Indignus equidem ego sum tali munere. Attamen nescio, quo confugiam in angustiis meis, nisi ad te, benignissime Salvator. Amice misericors, qui dixisti: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: *ecce, quem amas, infirmatur;* quem amas, in eundem saepe recidit languorem. Bone Jesu! num derelinques animam meam, cujus pro salute posuisti vitam tuam? Neutiquam, o Amice divine! non despero, quamdiu pharmacum immortalitatis ad manus habeo. Confidenter itaque festino ad aram, enixe petens opem tuam, ut missae sacrificium, praecipuum hoc amoris tui memoriale, debita devotione celebrare valeam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Amice suavissime, Jesu Christe! pronus adoro te praesentem in corde meo. Millies benedicta sit haec optatissima praesentia tua, qua me ceu familiarem tuum denuo laetificas. Video tuam in me caritatem et benevolentiam. Si de praeteritis vitae meae annis recogito, ubique mirandas tuae erga me dilectionis et divinae providentiae dispositiones animadverto. Nullus dubito, bone Jesu, quin etiam in posterum mihi semper adfuturus sis. Ideo nunc cum omni fiducia conjicio me in brachia tua, ibique vivere et mori cupio. — Lazarum, amicum tuum, infirmari, quin et mori permisisti pro gloria tua. Nunquam igitur despondebo animum ob infirmitates meas. In omni eventu laudabo miras providentiae tuae vias, quia viae tuae, *viae pulchrae.*

Tibi, optimo amico meo, totum me trado: dispone de me, quo tibi cunque modo placuerit. Paratum me offero ad acceptandum de manu tua, quidquid in hac vita mihi acciderit, sive prosperum illud fuerit, sive adversum. Quocirca, si vis me diutius vivere, grate accipio; si vis me propediem mori, non recuso. Si vis me sanum esse, accepto sanitatem; si infirmum, infirmitatem. Si vis me ab aliis honorari, placet honor; si contemni vel inhonorari, minime abhorreo a quibuslibet opprobriis. Vis, Amice delectabilis, ut habeam consolationem? et istam volo; si vero desolationem, haud absterreor, sed tibi gratias ago. Totus tuus esse desidero, amantissime Jesu! Ideo non volo habere oculos nisi ad videndum te, non aures nisi ad audiendum te, non linguam nisi ad loquendum de te; nec cor nisi ad diligendum te, neque memoriam nisi ad cogitandum de te, nec intellectum nisi ad cognoscendum te, neque manus nisi ad laborandum pro te, neque pedes nisi ad currendum pro te, neque vitam nisi ad moriendum pro te. — Haec modo voluntas mea, haec desideria et proposita mea. Sed, heu! voluntas humana quam parum sibi constat! Ideoque imploro adjutorium. Fac, ut nunquam hac illac fluctuem, sed aequalem semper animi firmitatem in omnibus retineam, et tibi amico meo constanter adhaeream. *Ecce, quem amas, infirmatur:* quem ad baptismum, ad Ecclesiam, ad sacerdotium, ad convivium tuum admisisti, *infirmatur*, et multis animi corporisque laborat vitiis. Plura non dico, amas enim infirmum servulum tuum, Domine omnipotens! Qui vivis etc.

FERIA V.

Justus moriens: 1) mundum facile relinquit, cui nunquam adhaesit; 2) miserias libenter deponit, quas multas patienter tulit; 3) peccata non timet, quae pauca commisit, quaeque in sanguine Christi abluit, quem ideo judicem sperat propitium.

PRECES ANTE MISSAM.

Exaudi, Domine sancte, Pater omnipotens, supplicationes fidelium, mundamque hanc oblationem, quae de sacrificii crucis infinita vi participat, benignus adsume, in contestationem nostrae subjectionis in supremum tuum dominatum; nec non in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, praesertim vero pro singulari tua bonitate, qua nos, in sinu Ecclesiae catholicae constitutos, ex omni periculo haereseos hactenus eripuisti. Dolentes fatemur, ingrate nos egisse pro tam eximio fidei dono; et in satisfactionem culparum nostrarum offerimus tibi, Pater, hanc hostiam placationis, demisse supplicantes, ut eam clementer acceptes, tuamque nobis gratiam concedas ad emendandos mores nostros. Fac, ut sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo, quo certius in altero nobis obveniat gloriosa resurrectio et vita aeterna. Miserere tot hominum, qui nondum credunt in Filium tuum, quem misisti in hunc mundum. Ad Ecclesiae gremium eos reducito, qui a fide Christo data defecerunt, et in omnia sese flagitia ingurgitarunt. Illumina caecorum mentes, qui mortuorum resurrectionem et animarum immortalitatem credere nolunt. Da nobis omnibus, ut in novissimo die resurgamus ad gloriam et vitam aeternam. Memento etc.

Ad Christum. O Jesu, Fili Dei, qui in hunc mundum venisti, ut credentes in te vivant per te: ingenti nunc desiderio flagrans accedo ad sacram mensam tuam, sumturus ibi pabulum vitae aeternae ac calicem salutis perpetuae. Ad divinum hoc mysterium avidissime propero, ut tecum intime conjungar, o bone Deus, qui es *fidelium resurrectio et vita.* „Domine Deus meus! praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae, ut ad tuum magnificum sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te, et a gravi torpore exue me. Illumina oculos meos ad intuendum tantum mysterium, et ad credendum illud indubitata me fide robora. Est enim operatio tua, non humana potentia; tua sacra institutio, non hominis adinventio. Non enim ad haec capienda et intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quae angelicam etiam subtilitatem transcendunt. Quid ergo ego peccator indignus, terra et cinis, de tam alto sacramento potero investigare et capere? Domine! in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, et in tua jussione ad te cum spe ac reverentia accedo, et vere credo, quia tu praesens es hic in sacramento Deus et homo. Vis ergo, ut te suscipiam, et meipsum tibi in caritate uniam. Unde tuam precor clementiam, et specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, ut totus in te liqueflam, et amore pereffluam.“ *Imit. C.*

PRECES POST MISSAM.

Vivere quasi de novo nunc incipio, quia vitam ipsissimam in praecordiis meis habeo. Domine Jesu! en omni qua possum reverentia et animi submissione te adoro, te laudo atque magnifico. Credo enim, quia

es *fidelium resurrectio et vita.* Utique, Domine! firmiter credo, *quia tu es Christus Filius Dei vivi*, qui ex mera bonitate in hoc cor meum immundum venisti. Dulcissima isthaec praesentia tua mirifice me recreat, nec minore gaudio quam solatio replet animum meum. Omnem spem meam pono in te, Domine, quoniam aperte dixisti: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Non amplius timeo mortem aeternam, qui multoties accipio Vitam vivificam.

„Domine Jesu! tu promisisti, dicens: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* Ecce, Domine! firmissime credo in te, spero in te, et super omnia diligo te, quia tu es Creator meus, Redemtor meus, amator meus suavissimus. Per angustias mortis tuae quaesivisti et invenisti me. Quid ergo timeam? Ero semper tecum, qui es *resurrectio et vita.* Te itaque rogo humillime, ne immoderatam mihi tristitiam afferat mortis memoria; sed misericordia tua cor meum exhilaret, quia semper tecum esse cupio. Tu, mi Jesu, moriendo pro me, terribilem ceteroquin mortem mihi jam reddidisti amoenam et jucundam. Igitur te supplex obsecro, dulcissime Redemtor, ut pretiosissima tua morte mortem meam undique contegas, munias, sanctifices, et tibi gratam, mihique haud formidolosam reddas. Et cur expavescam? Cur grave sit mihi relinquere corpus meum corruptibile, sordidum hoc animae vestimentum, quod toto vitae meae tempore tantas mihi creavit molestias, tot contradictiones ac tentationes, et multiplicia aeternae salutis discrimina? Cur grave sit mihi, relinquere hanc sarcinam meam, quae tamdiu jam miserabiliter aggravavit animam meam? Computrescat

ergo et in pulverem revertatur haec caro mea, quandocunque tu volueris, Domine, dummodo anima mea, tanto pondere liberata, per infinitam misericordiam tuam gaudeat se evasisse laqueos mortis, et in coelorum gaudiis quietissimo desiderio exspectet resurrectionem in novissimo die; ubi glorificata quoque caro mea pro fatigationibus suis incorruptionem induet, et ad praemia aeterna deducetur. Amen.“ *Ludov. Blosi.*

FERIA VI.

Lacrymare, o sacerdos, considerans: 1) Christi et Ecclesiae persecutiones; 2) tot animarum pericula et perniciem; 3) sacerdotum plurimorum et tui ipsius desidiam.

PRECES ANTE MISSAM.

Ligatus ego tam arctis noxarum institis quo me vertam, nisi ad te, Jesu mi carissime? Veni et vide luctuosam rerum mearum faciem. Visita (precor) amici tui animam, quae propter extremum languorem suum mortua potius quam viva mihi videtur. Veni, et ingredere cor meum, quod equidem foetet, ac vitiorum sordes redolet. O triste spectaculum! Veni, et vide, Domine, quantas in miserias mea me peccata praecipitaverint. Vide, in qua calamitate jaceat anima mea. Num derelinques me canem mortuum, quem ibi defleveras prope sepulchrum Lazari? An projicies a facie tua, quem (ut spero) in amicorum tuorum numero posuisti? — Doleo utique de omnibus peccatis meis: et utinam ea lacrymis sanguineis deplorare possem! Bone

Jesu! da cordi meo verum dolorem, et oculis meis fontem lacrymarum, ut assidue lugeam insipientiam meam. Ah, ne despicias me peccatorem putidum. Disrumpe vincula mea, solve cunctos scelerum meorum nexus, quo liberior prodire possim ad mysticam mensam tuam. Admitte me ad altare tuum, amantissime Salvator, et offer aeterno Patri tuo sacrificium hoc, una cum omnibus sanctissimis operibus tuis in eminenti caritate factis. Oblationem istam conjunge cum pretioso crucis tuae sacrificio.

Per hoc missae sacrificium tibi gratias ago, Domine Jesu Christe, pro evidenti illo deitatis tuae testimonio, dum virtute propria resuscitasti mortuos, et sic te vitae ac mortis arbitrum esse declarasti. Tibi gratias ago pro clementia tua, qua et me et alios mihi similes peccatores a morte peccati resuscitasti, et ad vitam gratiae revocasti, *ut peccatis mortui justitiae vivamus.* Per merita hujus sacrificii concede nobis donum lacrymarum, ut abjectis saeculi deliciis indesinenter deploremus scelera nostra. Opitulare omnibus proximis meis; adjuva domesticos fidei, praesertim illos, quorum pro animabus ego rationem redditurus sum. Resuscita desides suaeque salutis incurios, ut ad frugem reviviscant. Salutaribus monitis excita corda haereticorum (mortuorum fratrum nostrorum) ut audita voce tua statim prodeant e tenebris errorum suorum, et incunctanter ad sinum matris Ecclesiae redeant, atque nobiscum serviant tibi humero uno. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Peccati foetorem redolet cor meum: et in tali corde tantus habitare dignatur Dominus, Deus purissimus!

Vivo ego, — jam non ego; vivit vero in me Christus, auctor vitae. — Venite, audite omnes creaturae! narrabo, quanta fecerit Dominus animae meae. Venite, et videte miram ejus in me caritatem. *Ecce, quomodo amat me* Jesus meus, quia voluit esse cibus meus. *Ecce, quomodo amat me* Triumphator mortis, quia me toties laetificat delectabili, praesentia sua. Magnificate Dominum mecum; et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Benedictus es, Domine Deus meus, qui tam familiariter mecum agis. Provolutus ad pedes tuos debitas tibi gratias ago pro hac caritate tua, qua me rursum invisere, tuoque corpore et sanguine nutrire dignatus es. Utinam semper ardentissimo caritatis affectu tibi adhaesissem aut deinceps adhaererem! Sed, o quam mobilia hominum ingenia! Centies jam mecum statueram, alacrius servire tibi; nihilominus in eodem semper languore haesi. *Domine, jam foetet* tepor meus, inveteratus est enim. Aegre fero miseriam meam, et factus sum mihimetipsi gravis. At majore posthac cura muniis meis invigilabo. Propono (adjuvante gratia tua) *tollere lapidem* offensionis, et removere cuncta salutis obstacula.

Domine Jesu, qui lacrymatus es ad sepulchrum Lazari, ut doceres nos flere: da mihi lacrymas amoris et verae poenitentiae. Nam eo majore me oportet affligi moerore, quo diutius jacebam in peccati vel inertiae foetore. „Domine Jesu! largire mihi indigno lacrymas per singulos dies atque fortitudinem, ut cor meum, fontes lacrymarum jugiter cum dulcedine fundens, illustretur in oratione munda; ut magnum illud delictorum meorum chirographum lacrymis meis deleatur, ignisque aeternus exiguo fletu extinguatur: hic enim si flere non desino, illic inextinguibilem ignem evado.“ *S. Ephraem.*

„O dilectissime Jesu! rogo te per illas lacrymas, quae saepius ex oculis tuis promanarunt: absterge omnes oculorum meorum maculas, quas per visus mei incontinentiam contraxi; ut, finito hujus vitae curriculo, mundatus divinam faciem tuam intueri ac contemplari merear. Dilectissime Jesu! rogo te per vulnera manuum tuarum: aufer omnia impiarum manuum mearum scelera; ut, postquam anima mea hinc egressa fuerit, in suavissimos amplexus tuos suscipi mereatur. O dilectissime Jesu! rogo te per pedum tuorum fatigationem et perforationem: condona mihi cunctas legis tuae transgressiones; ut, ubi corporis mei sarcinam deposuero, locum tabernaculi tui admirabilis ingredi valeam. Dilectissime Jesu! rogo te per dulcissimum virtutem sacratissimorum verborum, quae divino ore tuo protulisti: deterge cunctas oris, linguae, et verborum meorum offensas; ut, immaculatus post hoc exilium ad te veniens, tibi laudes in aeternum decantare valeam. Amen.“ *Ludov. Blosi.*

SABBATO.

Ut bene praepares te ad mortem, fac, quod tempore mortis: 1) facere non poteris (poenitentiam age, emenda etc.); 2) facere debebis (renuntiare mundo, relinquere delicias, divitias etc.); 3) fecisse optabis (bona opera etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus! mortalium nemo immensam bonitatem tuam satis lau-

dare vel comprehendere valet. Post peccatum a protoparente nostro admissum omnis existentiae privationem meruimus: tua tamen liberali providentia et nati et redemti sumus. Cum ad summum devenisset malitia nostra, et mors exspectaretur aeterna, divinam nobis misericordiam atque potentiam tuam declarasti, dum Filium tuum unigenitum (redemtionis victimam) pro hominibus dedisti, sanctum pro impiis, bonum pro malis, justum pro injustis, immortalem pro mortalibus; ut ipse formam servi indutus in cruce moreretur, non tantum pro gente Judaica, sed etiam, ut filios tuos electos, qui erant dispersi per omnes nationes, *congregaret in unum*.

Offerimus tibi, Pater misericors, incruentam hanc victimam in gratiarum actionem pro caritate tua perpetua, qua praedestinasti nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. Vix equidem audemus coram te comparere, nimium erubescentes, eoquod te Patrem optimum non honoravimus ut filii tui, sed offendimus ut barbari ac alieni. Nunc autem suppliciter veniam deprecamur, amantissime Pater, et in satisfactionem pro peccatis nostris immolamus tibi victimam placationis, videlicet Unigenitum tuum, qui mortuus est pro populo, ut non tota gens pereat. Clementer igitur respice hanc hostiam propitiatoriam, quam super altare tuum offerimus, ut per infinita illius merita populo tuo benigne condones noxas et iniquitates suas.

Da nobis, optime Pater, per merita hujus victimae salutaris, ut Filium tuum, quem Judaei noluerunt habere regem, tanquam Dominum et regem nostrum condigne honoremus, et strenue sequamur. Largire nobis gratiam tuam, ut nos sub ejus imperium ac potestatem obedienter subjiciamus. Et quoniam iste mortuus est in

ligno crucis, ut filios tuos, qui erant dispersi, *congregaret in unum* ovile, ad unam Ecclesiam: fac, ut immensam hanc misericordiam tuam magni faciamus; ut omnes, tanquam dilecti filii tui, mutuam inter nos unitatem ac concordiam servemus. Praesta, quaesumus, misericors Deus, ut junctis viribus ac concitatis gressibus una simul properemus ad beatam aeternitatem, cujus nobis aditum devicta morte reseravit Filius tuus *primogenitus in multis fratribus.* (Rom. 8.)

Gravis quidem poena, dura nempe moriendi necessitas adhuc remansit nobis. Sed quia propter Dei-Hominis mortem a nobis post hanc vitam felix speratur aeternitas, te pro beato ex hac vita transitu impetrando suppliciter imploramus, summopere misericordiam tuam exorantes, ut, qui vocati sumus in societatem Filii tui Jesu Christi, in hora mortis nostrae, omnibus delictorum vinculis absoluti, transire mereamur ad vitam aeternam. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Factus particeps infinitae largitatis tuae vehementer gaudeo, dilectissime Jesu! in te exultat cor meum; in te laetatur anima mea. Ingentem capio laetitiam ex immensa bonitate tua, Domine! Creasti me potentia tua, imbuisti me doctrina tua, gubernasti me providentia tua, fovisti me caritate tua, redemisti me morte tua, cibasti me carne tua, et potasti me sanguine tuo. — Vere bonus es Dominus, et in me speciatim munificus, dum me miserum peccatorem multoties invisere dignaris.

„En ego, quem anteacta vita ac propria conscientia, tanquam filium gehennae, deputaverat ardoribus sempiternis, ad tantam visitationis tuae dignationem respiro,

et gloriari incipio praeter spem in spe gloriae filiorum Dei. Signatum est super me lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam in corde meo. O Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Vermis equidem sum vilissimus, et odio dignissimus sempiterno. Confido tamen, me amari, quoniam sentio me amare. Imo, quia miserum me homunculum amari praesentio, non redamare confundor. Amo proinde non immerito, quia amatus sum sine merito; amo, et amabo sine fine, quia sine principio me cognosco amatum.“ *S. Bern.*

O quam ardenter amasti me, suavissime Jesu, qui temetipsum pro me peccatore obtulisti victimam placationis. Ah! utinam lacrymas saltem fundere possem amore tui, qui pretiosum sanguinem tuum inter acutissimos dolores fudisti amore mei. Quis mihi tribuat, ut moriar pro te, Domine, qui in cruce mortuus es pro me?

„Adveniet aliquando, serius aut citius, hora mortis meae, propter quam in hunc mundum natus sum. Cum hoc onere accepi vitae beneficium, ut tandem persolverem mortis tributum. Exspirasti, o Jesu, in cruce pro servo tuo, cum esses Dominus, ne servus recuset mori pro te Domino suo. Fiat ergo voluntas tua, Domine Jesu! En libenter morior, dummodo morte justorum. Spero, Salvator mi, quia per ignem et aquam educes me in refrigerium. Postquam sat diu hic in exilio peregrinatus fuero, in optatissimam remeabo patriam. Postquam inter tot discrimina sat diu atque feliciter navigavero, in portum felicitatis aeternae intrabo. Tu, Domine, me translaturus es de tenebris ad lucem, de periculis ad securitatem, ex proeliis ad victoriam, de laboribus ad mercedem, ex aerumnis ad tranquillitatem et requiem aeternam. O bona mors, quae tanta mihi pro-

mittit bona! o bona mors, quae per mortem tuam, Domine, mihi tam dulcis facta est!" *S. Hieronym.*

Fac, o bone Jesu, ne unquam obliviscar, quia pulvis sum, et in pulverem reversurus. Extrema mortis meae hora mihi non recedat ab ore, non recedat a corde, non recedat a cogitatione. Da, ut tunc omnibus morientium sacramentis rite munitus aeternitatis iter ingrediar. Largire mihi, Domine, gratiam ita vivendi, ut aeternum tecum vivam. Amen.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Et die 29. Julii.

SS. Lazari et Sororum ejus.

Si vis coenare cum Christo (in s. communione et in coelo) fac, ut 1) cum Lazaro resurgas — a vitiis; 2) cum Maria orationi, meditationi incumbas; 3) cum Martha Christo (in animabus) servias.

PRECES ANTE MISSAM.

Quomodo miser ego peccator adibo sacrum mensae tuae convivium, o Jesu suavissime? Quomodo talem te ac tantum hospitem digne potero suscipere in domum meam pauperculam? — Oza percusso *juxta arcam Dei* (2 Reg. 6.) *extimuit David, et noluit divertere ad se arcam Domini.* Cur indignus ego sacerdos non expavescam adventum tuum, Domine? *Quomodo ingredietur ad me Dominus arcae?* Timor

et tremor veniunt super me, dum formidabilem cogito interitum Judae proditoris, quem multoties ad eandem tecum mensam accumbere permisisti. Fateor, et acerbe doleo, Domine Jesu, quod et ego, sicut fur ille nefandus, fuerim ingratus, in avaritiam pronus, mendax et hypocrita, simulando virtutes, quibus carebam, et tegendo vitia, quibus scatebam. Proinde non sum dignus, qui accedam ad tremendum altaris mysterium.

An ergo recedam a te, bone Jesu? num metu vel luctu aut desperatione torpeam miser? Neutiquam, Domine! non abjicio animum; misericordia tua interminabilis a desperatione ad spem me revocat. Etiamsi multas admiserim noxas atque negligentias, spero tamen ab infinita bonitate tua veniam delictorum meorum. Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Innumera hucusque a te accepi beneficia, ex quibus colligere possum, quanta me benevolentia prosequaris. Resumto itaque animo precor te, Jesu clementissime, qui coenabas in domo Lazari, amici tui a morte ad vitam revocati: ingredere domum cordis mei; veni ad me servulum tuum, quem e morte peccati, e morte aeterna eripuisti.

„O Vita animarum te amantium! veni, precor, in cor meum, et ab ubertate voluptatis tuae inebria illud, ut obliviscar rerum temporalium. Pudet ac piget me talia cogitare, qualia mundus iste diligit. Triste mihi est, quod in terris video. Grave est omne, quod de transitoriis audio. Veni ad me, Domine Deus meus, ut videam te, ut audiam te, ut habeam te, et amplectar te. Angusta mihi est interim domus animae meae, quousque venias ad eam, et dilatetur a te. Ruinosa est domus mea: refice eam. Habet equidem plurima, quae offendunt oculos tuos; fateor, et scio: sed quis mundabit

eam? aut cui alteri, nisi tibi, clamabo: ab occultis meis munda me, Domine?" *S. Anselm.*

Maxima qua possum obtestatione clementiam tuam imploro, Domine Jesu, purifica me ab omni vel minima peccati macula; et intercedente beato Lazaro cum beatis sororibus suis emunda cor meum, et emundatum exorna fide, spe, ac caritate, ut dignum fiat habitaculum Majestatis tuae. Fac, ita me adesse convivio mensae tuae, ut paululum quid de coenae hujus mysticae deliciis ad animae meae salutem degustare merear. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Ignosce, Jesu benignissime, quod immundus ego peccator ad coenam tuam sacratissimam accedere ausus fuerim. Ne, quaeso, id mihi vitio vertas, quod de mensa tua denuo comederim sanctissimam carnem tuam, et biberim pretiosum sanguinem tuum. Nimia fuit animae meae fames, sitisque nimia; nec aliter exsatiari potuit ingens desiderium meum, nisi hoc convivio divino. — Domine Jesu! reverenter adoro te unigenitum Dei Filium, Deum ac Salvatorem meum, tibique debitas refero grates pro isthoc grandi beneficio. Sis centies et millies benedictus, o Hospes divine, qui, postquam extraxisti me de foetido peccati sepulchro, ubi tamdiu jacueram, nunc insuper ad mensam tuam cibasti me tuo corpore et sanguine! Pro saluberrima hac refectione demississimas tibi gratias ago.

Utinam et ego, sicut olim Lazarus amicus tuus, ardentissimo cordis affectu te diligerem nec unquam diligere cessarem! Utinam et ego, sicut olim Martha, tibi alacri animo ministrarem: serviendo miseris, aegris, afflictis, et quibuscunque pro ratione vocationis meae

subvenire debeo. Utinam et ego, sicut olim Maria meditabunda, unguentum pretiosum, nempe cor meum sincero dolore contritum, gratitudinis affectu plenum, caritatis dulcedine abundans, coram te saepius effunderem, bonoque virtutum odore, praesertim modestiae, mansuetudinis, patientiae ac caritatis, implerem Ecclesiam tuam, et quam inhabito domum.

Sed absque divina ope tua quid possum miser ego, tot undique inimicis circumdatus? — Quemadmodum insanientes illi Judaei *cogitaverunt, ut Lazarum interficerent*, quem suscitaveras a mortuis: ita et adversarii mei, spiritus maligni, quaerunt perdere animam meam, quam suscitasti a morte et pavisti alimonia vitae. ***Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.*** Respice, et exaudi me, Domine Deus meus! Illumina oculos meos inter tot tantasque insidias, ne unquam obdormiam in morte. Eripe me de manu inimicorum meorum et a persequentibus me, ne perdam inaestimabilem gratiae vitam.

Coelesti quondam benedictione replebatur Obededom et tota domus ejus propter arcam illam, in qua Manna servabatur. Benedic etiam me et domum meam per efficaciam hujus sacramenti. Et qui Lazarum atque sorores ejus ita benedixisti, ut eorum memoria inter fideles usque ad finem saeculi duratura sit: benedic etiam me meosque omnes, quorum mihi salus curae ac cordi est. — Inter illius coenae delicias dixisti Apostolis: ***Me non semper habetis.*** O triste verbum! heu, quanta miseria, vivere sine te! Nunc quidem habeo te realiter praesentem in corde meo. Sed forte jamjam discessum paras. Ah, mane diutius mecum, dulcissime Hospes animae meae! Oro te, ne discedas a me. Saltem mihi gratia tua *semper* adsiste in omnibus functionibus mei-

ut *semper* te mecum habeam et in praesenti et in futuro. In hac peregrinatione mea si te mecum *semper* habuero ut comitem individuum, etiam in coelesti patria te *semper* habebo, *semper* videbo, *semper* laudabo, *semper* amabo. Amen.

FERIA II.

Missa sacrificium latreuticum: 1) Nos Deum digne laudare, adorare non possumus, ut debemus (Dei infinita majestas — sanctitas, nostra vilitas — impietas); 2) in missa hoc fit modo excellentissimo: a) Christus ipse laudat etc. honore infinito; b) nos cum Christo et per ipsum (non sumus amplius viles — peccatores, sed pretiosi in conspectu Dei — sancti).

PRECES ANTE MISSAM.

Sempiterne Deus, Domine coeli et terrae, Pater omni amore et obsequio dignissime! coram te prostratus ego famulus tuus, sacerdos ordinatus ac constitutus ad immolandam tibi hostiam laudis, adoro, amo, et glorifico te, atque ab omnibus creaturis omni modo possibili te laudari et glorificari desidero. Agnosco praeterea, o suprema et immensa Majestas, propter infinitas perfectiones tuas infinitum pariter ac summum tibi cultum, amorem et honorem deberi. At eundem tibi a nulla mera creatura praestari posse scio, nec inter omnia creata quidquam inveniri, quo divinae Majestati tuae debitum cultum, tanquam Creatori nostro omnipotenti, exhibere valeamus.

Ne tamen gravissimae obligationi nostrae desimus,

et ut dilecti Filii tui voluntatem perficiamus: inter alios sacerdotes, ab universa Republica christiana veluti missos, etiam ego, servorum tuorum minimus, accedo ad peragendum altaris sacrificium, ab ipso Unigenito tuo institutum; quo nihil tibi potest offerri gratius, nec ullum potest esse sacrificium laudis excellentius. Hanc igitur infinitiae dignitatis hostiam tibi offerimus, summe Deus, ipsum videlicet Unigenitum tuum, sub panis et vini speciebus absconditum. Suscipe, sancte Pater, hanc hostiam infiniti valoris in cultum latriae tibi debitum, in testimonium omnipotentiae tuae, in contestationem summae potestatis tuae in omnes creaturas, et in signum demississimae subjectionis nostrae.

Offerimus tibi sacrificium hoc eucharisticum, augustissime Deus, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, in nos tam large collatis. Praesertim vero maximas tibi grates habemus pro solemni illo Salvatoris ingressu in urbem Hierosolymam, quando turbae cecinerunt praeconium Regi suo, una voce clamantes: *Hosanna! Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel!* Eundem Unigenitum tuum, Dominum et *regem nostrum mansuetum*, offerimus tibi, justissime Pater, in hostiam placationis pro peccatis nostris, quibus (proh dolor!) in dies offendimus supremam Majestatem tuam. Condona nobis negligentias in sancto tuo servitio admissas, et propitius esto nobis peccatoribus.

Pater benignissime! per infinita hujus sacrificii merita fac nos impetrare gratiam perfectae morum emendationis, ut idem Rex noster aliquando nobis appropinquet in hora mortis mansuetus ac mitis; et nos quoque veniamus obviam ei cum palmis et ramis bonorum operum, in coelestem illam ingressuri civitatem, ubi casta generatio in perpetuum coronata triumphat. In-

dulge simul et propitiare temeritati et imprudentiae multorum hominum, qui Jesum Christum, regem gloriae in altaris mysterio praesentem, inhonorant, aut amplissimo ejus honori (Judaeorum more) clanculum invident. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Hosanna Filio David! Gloria, laus, et honor Filio Dei unigenito! Benedictus qui venit in cor meum, rex Israel! — Unde hoc mihi, o Rex mansuetissime? unde hoc mihi, ut ad me venire dignatus sis? Ingenti gaudio exultat spiritus meus in te, Domine Jesu! *Tu es ipse rex meus et Deus meus.* Optatissima haec praesentia tua magno mihi solatio est inter adversa, quibus amaricatur praesens vita. Timeant gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam: ego autem non timebo, quoniam bonus es Dominus et rex mansuetus. Non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Spe ac fiducia plenus adoro te, Jesum meum, regem meum, revera praesentem in corde meo. Adoro te Dominum meum, qui ex ineffabili bonitate me servum tuum invisere, tuoque corpore et sanguine denuo refocillare dignatus es. Pro singulari hoc beneficio debitas tibi grates habeo, et habebo in aeternum. *Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in saeculum saeculi.* Mansuetudinem ac caritatem tuam loquuntur altari tua, Domine, rex meus et Deus meus! Admirando plane ac aeterno consilio, coactus a nemine, lubens ac volens, in nostri gratiam instituisti augustissimum altaris sacramentum. Obstupesco, Domine, beneficii hujus magnitudinem, nec video, quo progredi ulterius amor etiam immensus possit. Nihilominus tam

parum hucusque amavi te amabilissimum regem meum. Cor tuum jugiter ardebat amore mei: lapideum vero cor meum obrigescebat frigore. Cor tuum, et cor meum! utrumque mihi abyssus inscrutabilis. Divini cordis tui caritas, et cordis mei durities, utra major sit atque mirabilior, ignoro.

Effice, quaeso, Rex omnipotens, ut evanescat horridum frigus cordis mei, succedatque ignita vis amoris tui. Desideras a nobis diligi, et expetis corda nostra. — O bone Jesu! quid tibi cum amore nostro miserabili? Teipso solo beatus es; innumeros adhaec Angelos habes, qui summo te prosequuntur amore; nec ullius indiges, o Rex gloriae! A nobis tamen vis diligi, tuique amore nos beatos cupis. Incende igitur cor meum frigidum, o Ignis divine, ut majore quotidie caritatis ardore calefiat. — Quinimo jamjam sentio incalescere cor meum, circumfluente in venis meis sacratissimo sanguine tuo. —

Amo te, nobilissime Triumphator cordium! te nunc amo, et te semper deinceps amabo. Posside me totum, o Rex meus et Deus meus! En ego sum et ero sanctissimi nominis tui, praesertim amoris tui eucharistici laudator, adorator et defensor perpetuus. O si mihi vox tam valida, et linguae essent innumerae, quibus ubique possem annuntiare laudem et gloriam tuam! Enimvero sincerissime cupio, ut mihi liceret universum terrarum orbem percurrere, clamando usque ad defatigationem: Hosanna Filio David! Hosanna Filio Dei unigenito! Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel! Psallite Regi nostro, psallite: laudetur, honoretur praecelsum et venerabile sacramentum; a solis ortu usque ad occasum laudetur amabile hoc mysterium! Omnes reges, principes, optimates, adorate, laudate

amate hoc memoriale praecipuum divini amoris! Ita millies dicam, millies repetam, et in ultimo demum mortis articulo, fracta etiam voce, dicere pergam: *Adoretur, laudetur, ametur Jesus meus in sanctissimo altaris sacramento. Amen.*

FERIA III.

Si temere judicas: 1) humilitate cares et caritate; 2) Deum offendis, cujus munus tibi arrogas; 3) proximo facis injuriam.

PRECES ANTE MISSAM.

Creator omnipotens, misericors Deus! quid est homo, quod memor es ejus? Quid sum ego, ut super me aperias oculos tuos? Pulvis sum et cinis, et substantia mea tanquam nihilum ante te. Utinam essem vere vir videns paupertatem meam, miseriam, malitiam, et abyssum iniquitatis meae! utinam penitius inspicerem pravitatem cordis mei, et viderem, quam miser sum, quam miserabilis, pauper, caecus, et nudus! Ecce, reum me profiteor coram te, Domine! mihi rubor ac confusio faciei meae; tibi autem misericordia et propitiatio. Quapropter inclina aurem tuam, et exaudi me. Aperi oculos tuos, et vide afflictionem Ecclesiae tuae, cujus inter ministros et me adsumere dignatus es. En nos sacerdotes tui confugimus ad magnam misericordiam tuam, offerentes tibi hostiam placationis. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

Accedimus itaque cum fiducia ad thronum gratiae tuae, et ipsum Unigenitum tuum tibi, sancte Pater, sub eucharisticis speciebus offerimus in holocaustum, in adorationem et glorificationem supremae Majestatis tuae, humiliter confitentes nostram a te dependentiam, serioque statuentes (te donante) facere in omnibus voluntatem tuam. Offerimus tibi Christum in gratiarum actionem pro omnibus, quae nobis in illo donasti et jugiter donas. Sit praesertim sacrificium istud in expiationem delictorum nostrorum, pro quibus tibi perfecte satisfacere volentes et neutiquam valentes, offerimus tibi passionem, mortem, et omnia merita Unigeniti tui. Pater! respice in faciem Christi tui, nunc in ara sicut olim in cruce seipsum offerentis tibi, ac interpellantis pro peccatoribus. Propitiare nobis per virtutem tanti sacrificii, et praesta, ut de plenitudine ejus omnes nos accipiamus: hauriatque ex eo justus perfectionem, qua justificetur adhuc; fragilis caritatem, qua magis accendatur; peccator gratiam, qua convertatur et vivat.

Domine Deus! exaudi nos pro universis Ecclesiae ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Praesta, ut Pontifex noster N. oves et agnos tuos pascat in timore et amore tuo, illosque confirmet in fide et caritate. Da, ut praesul noster N. attendat sibi et universo gregi, in quo Spiritus sanctus eum posuit episcopum, regere Ecclesiam tuam. Da nobis sacerdotibus et universo clero, ut apostolico succensi ardore virtutibus fulgeamus, ac calumniatorum injurias patienter feramus. Fac, ut puras manus elevemus ad te, quo facilius vincat populus tuus; et nunquam illas remittamus, ne superet inimicus. Effice, quaesumus, ut (prout decet Ecclesiae ministros) mores nostros ita componamus, ut habitu,

gestu, incessu, sermone ceterisque functionibus nihil nisi grave, modestum ac religione plenum exhibeamus; ut delicta etiam leviora, quae in nobis maxima essent, diligenter effugiamus, quo minus in nobis cavillatores inveniant, quod perstringant. Fac, ut strenue laboremus pro gloria tua et animarum salute, ne praestanti nostra dignitate indigni judicemur. Serva nos a perverso illorum hypocritarum zelo, qui, de maximis suis vitiis nihil laborantes, minimis aliorum defectibus emendandis unice student. Effice potius, ut trabem prius ejiciamus de oculo nostro. Inflamma nos sancto fraternae caritatis ardore. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

„Procido ad pedes tuos, bone Jesu! adoro te, Domine sancte! benedico te, Amator hominum! — te glorifico, quoniam tu, Domine mi, qui solus sine peccato es, pro me peccatore morti temetipsum tradidisti, et morti quidem crucis, ut peccatricem animam meam a peccati nexibus solveres. (*Laudo et glorifico te, o Jesu suavissime, qui me denuo cibasti sacrosancto corpore et sanguine tuo.*) Quid tibi pro his omnibus retribuam, Domine? Gloria tibi, misericordissime, qui de coelo descendisti salvare animas nostras; gloria tibi, qui te nostra carne vestisti, et pro nobis es natus ex Maria Virgine. Gloria tibi, qui propter nos captus atque flagellis caesus es; gloria tibi, qui pro nobis crucifixus et mortuus es; gloria tibi, qui resurrexisti tertia die. Gloria tibi, qui assumtus in coelum sedes ad dexteram Patris. Gloria tibi, Domine, qui iterum venturus es in gloria Patris ad judicandos omnes homines. In die illo horrendo atque terribili, quando virtutes coelorum

movebuntur, et tremefacta quatientur fundamenta terrae, et spiritus omnis exhorrebit prae inaestimabili gloria Majestatis tuae: in illo die operiat me misericordia tua, et liberet animam meam a sempiterno igne, a stridore dentium et perpetuo gemitu." *S. Ephraem.*

A formidabili hoc supplicio, bone Jesu, libera me et omnes fratres meos, praesertim eos, quorum me cura tangit et angit. Obsecro te, ne derelinquas me indignum Ecclesiae ministrum. Sine te nihil possum facere pro mea vel aliorum salute. Da, Pastor bone, ut ducam oves meas ad te per viam arctam, et enitar ante illas vadens per opera bona certam meam meorumque vocationem et electionem facere. Id a bonitate tua spero, quoniam prior dilexisti nos, et tradidisti teipsum pro nobis in ara crucis, et hic et nunc in altaris mysterio. Tanti virtute mysterii perfice, quod coepisti, opus sanctificationis meae. Fac me sacerdotem benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sim exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.

Domine Jesu! redde me pastorem bonum, invigilantem saluti gregis mei, cujus aliquando rationem a me reposces in die judicii. Fac, o Judex tremendae majestatis, ut a temerariis abstineam judiciis, et meipsum quam proximum severius discutiam atque dijudicem, nec nisi certa fratris flagitia redarguam cum caritate ac commiseratione, odio habens non hominem sed peccatum, non vitiosum sed vitium. Incende cor meum illo fraternitatis amore, qui alienas imbecillitates non exulcerat sed sanat. Amove a me illorum morem hypocritarum, qui vident festucas in oculis fratrum, trabes autem, quas in suis habent oculis, non vident. Fac, ut ego

met ipse vitia mea prius ponam, quam in aliorum mores curiosius inquiram. Fac me tali deinceps vitae sanctimonia praefulgere, ut et probi habeant, quod imitentur, et malevoli non habeant, quod cavillentur. O Sancte sanctorum! effice me virum sanctum, qui tam sanctum quotidie mysterium tracto. Praesta, ut in fortitudine cibi et calicis, quibus toties reficior, caritatis ignem undique spirans fiam divina virtute diabolo terribilis, proximo utilis, et ambulem in sanctitate et justitia coram te omnibus diebus vitae meae usque ad montem Dei coelestem. Amen.

FERIA IV.

Et in Anniversario Dedicationis Ecclesiae.

Sacerdos libenter et frequenter moretur in Ecclesia: 1) Est enim domus Patris et Salvatoris sui, ipsi specialiter assignata; 2) locus illuminationis, consolationis, gratiarum pro ipso; 3) locus benedictionis pro animabus ipsi creditis, et per ipsum Deo commendatis.

PRECES ANTE MISSAM.

Veneratione maxima et demissione profundissima introeuntes in domum tuam, o Deus immensae majestatis, offerimus tibi missae sacrificium, quatenus est ***latreuticum***, ut coram coelo et terra profiteamur supremam tuam et increatam excellentiam, illimitatum tuum dominatum in omnes creaturas, nostramque subjectionem ac dependentiam a te; ut cultu quo possumus dignissimo exaltemus infinitarum perfectionum tuarum plenitudinem.

Offerimus tibi, Pater misericors, sacrificium istud *in commemorationem* vitae, passionis ac mortis unigeniti Filii tui. Haec grate recolentes in templo sancto tuo ad aram offerimus divinae Majestati tuae hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, quam in miseratione tua multa misisti ad altare crucis immolandam pro totius mundi salute. Hostiam hanc tibi gratissimam hodie sistimus in domo tua, Domine Deus, et per oblationem istam te infinite colere ac condigne glorificare desideramus.

Quatenus hoc sacrificium est *eucharisticum*, offerimus illud in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, quae omnibus sanctis tuis coelo jam receptis, et nobis adhucdum in terra peregrinantibus tribuere dignatus es; speciatim vero pro tot saluberrimis admonitionibus et doctrinis, pro tot bonis et donis, quae in domo tua, in templo sancto tuo jam accepimus, et in dies adhuc percipimus; pro immensa denique bonitate tua, qua tantos Ecclesiae tuae providisti praesules et pastores.

Quatenus vero hoc sacrificium est *propitiatorium*, offerimus tibi illud in satisfactionem omnium offensarum, in abolitionem injuriarum, quas ingrati nos peccatores tibi munificentissimo Creatori nostro irrogavimus. Imprimis autem a te veniam deprecamur inertiae ac caecitatis nostrae, qua in templis tuis tam parum devotionis atque reverentiae exhibuimus, recitata ibi vel explicata evangeliorum praecepta non audivimus aut observare negleximus, et domum orationis multimodis fecimus domum negotiationis.

Quatenus denique sacrificium istud est *impetratorium*, id tibi offerimus, benignissime Deus, pro obtinendo gratiae tuae auxilio, ut in domo tua debitam

exhibeamus reverentiam, ibique sacramenta frequenter atque devote percipiamus. Per merita hujus sacrificii miserere caecorum infidelium, paganorum et haereticorum, qui extra domum tuam huc illuc circumferuntur in praecipitia: largire illis fidei lumen, ut errores suos agnoscant et abjiciant; ut omnes ad Ecclesiae tuae sinum confluant, humiliter intellectum captivantes in obsequium Christi. Miserere claudorum fidelium christianorum, qui hac illac vacillantes claudicant in duas partes, et nunquam in eodem statu permanent. Praesta, quaesumus, ut non solum in templis nomini tuo dedicatis, sed foris etiam in omni loco religiose pieque nos geramus, eoquod et corda nostra tanquam templa viva *tibi* sunt consecrata per sacramenta baptismi, poenitentiae, et eucharistiae. Da nobis, hominibus infirmis ac claudicantibus, animorum firmitatem et donum perseverantiae; ut assidue pergentes viam salutis, tandem omnes perveniamus in domum tuam coelestem. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Bonitas tua licentiam mihi dat tecum loquendi, o Jesu dulcissime, benignissime, amabilissime! — Sed quid loquar? quid dicam tibi Deo sancto et immenso, tibi Verbo aeterno et omnipotenti? Quid loquar? — Beneficentia tua, Salvator, incredibili me consolatione perfundit. Infinita misericordia tua, Domine, spem atque fiduciam meam errigit. Verumtamen quid dico, dum talia dico? Dico, quod valeo, sed nondum quod cupio, nondum quod debeo. Utinam ego talia proferre possem, qualia superni proferunt Angelorum chori, laudem tuam incessabili voce modulantes. O quam libenter me totum effunderem in laudes tuas, amantissime Jesu! Profecto,

vehementer desidero, illas coelestium canticorum melodias ad gloriam nominis tui decantare: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis.*

Etiamsi vero tanta sit virium mearum imbecillitas, ut infinitam magnitudinem tuam dignis celebrare laudibus nequeam, haud tamen silebo, sed quoties occasio tulerit, te Deum laudabo, te amatorem hominum magnificabo. Ubique praedicabo summam bonitatem tuam, qua nos caecos illuminasti; praedicabo clementiam tuam, qua nos claudos sanasti. Praedicabo ore, praedicabo opere: praedicabo verbis, praedicabo exemplis. Testificabor de te, palamque profitebor: *Quoniam bonus Dominus, quoniam in aeternum misericordiae ejus.*

Gustavi hodie in domo tua, Domine, dulcedinem mensae tuae, quam parasti afflicto mihi et pauperi servo tuo, quin imo peccatori nefando. Promerui famem aeternam: et hodie teipsum panem vivum mihi dedisti comedendum. Sitim aeternam promerui: et nunc bibendum mihi dedisti pretiosum sanguinem tuum. Admiror inexplicabilem hanc liberalitatem tuam, et ex intimo pectore tibi gratias ago pro tali beneficio, semperque me gratum exhibebo. Quaecunque tibi displicere possunt, diligenter evitabo; quaecunque vero tibi placere cognovero, solerter et incunctanter (adjuvante gratia tua) perficere conabor.

Domine Jesu, qui olim in templo caecos et claudos sanasti: illumina oculos mentis meae, ut clare videam, qua via ad coelum migrare debeam, ne caecus in foveam cum illis cadam, quorum me ducem esse oportet. Sana me claudum et inconstantem, ut firmiter permaneam in consiliis bene susceptis, ut non declinem neque ad dexteram neque ad sinistram. Fac me tibi semper adhaerere, tam in prosperis quam in adversis. En tibi

cor meum do, dono, dedico ceu templum, quod dulcissima hodie praesentia tua denuo consecrasti. Oro te, bone Jesu, ut imbecillem me per semitam justitiae ad coelestem patriam, ad templum gloriae tuae perducere digneris. Qui vivis etc.

FERIA V.

Nimia valedutinis cura est: 1) parvae fidei signum; 2) mortificationis et in via virtutis progressionis impedimentum; 3) zeli ferventis obstaculum.

PRECES ANTE MISSAM.

Incruentum missae sacrificium nunc oblaturi venerabundo prosternimur animo coram te, Deus summae et terrificae majestatis! Humiliter adoramus et laudamus te, Pater omnipotens, qui clarificasti nomen tuum per admirabilem Unigeniti tui incarnationem, vitam, passionem, resurrectionem et ascensionem; et iterum clarificabis in novissimo die, in consummatione saeculorum, quando Filius tuus iterum veniet in nube cum potestate magna et majestate, judicare omnes homines, quotquot unquam nati sunt. Summa laude celebramus et extollimus te, Creator praepotens! nam revera pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae, quam ipse mundo manifestare dignatus es, quamque per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia.

Pater immensae majestatis! venerandum tuum verum et unicum Filium offerimus tibi hodie, in debitam justamque gratiarum actionem pro infinita beneficiorum multitudine, quibus ornasti sanctam Ecclesiam tuam;

praecipue vero pro summa benignitate tua, qua dilectum Filium tuum, velut granum frumenti, in terram misisti, ut in ea moreretur pro nobis, suaque morte multum fructum afferret, innumeras gentes perducendo ad fidem, ad salutem, ad immortalitatem. Gratias simul agimus tibi, Pater sancte, pro eo, quod ex incomprehensa munificentia nobis dederis ipsum Filium tuum manducandum, tanquam cibum immortalitatis nostrae.

Eandem immortalitatis alimoniam ut exoptato cum fructu comedamus, largire nobis gratiam tuam, optime Pater, per infinita hujus oblationis merita; quo digniores efficiamur, eidem Christo Domino nostro fideliter ministrare in terris, et aliquando a te honorificari in coelis. Ne autem quotidiana peccata nostra, quibus infirmi nos homines tuam offendimus Majestatem, id praepedire valeant, tu ea nobis misericorditer condona virtute hujus sacrificii propitiatorii, quod tibi hodie ad aram offerimus. Praesta denique, misericors Deus, ne propter flagitia nostra nimium multiplicata nimio mortis timore turbetur anima nostra; sed ut omnem fiduciam reponamus in immensa misericordia tua, sicque secundum voluntatem tuam ad omnia parati libenter moriamur, exspectantes gloriosam corporum resurrectionem et immortalitatem beatam. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Ulnis animae meae complector te, suavissime Jesu! O quanta superabundo laetitia, dum te benignissimum Salvatorem mundi possideo in corde meo. Persuasum mihi habeo, Domine, sanctissimum altaris sacramentum, cujus me hodie participem fecisti, maxime stupendum esse mysterium et supra omnia miraculum.

„Est equidem verum, Domine Jesu Christe, teipsum mihi dedisti integrum in incarnatione tua: sed ibi non descendisti in sinum meum; unicus tunc Mariae matris tuae sinus gestavit te. Temetipsum quoque donasti mihi totum in monte Calvariae: non tamen fuisti tunc inter ulnas meas, sed inter crucis brachia. In hoc autem venerabili sacramento te totum ego habeo, te plene possideo, o summum animae meae Bonum. Et cum in coelo beati possideant te modo jucundiori, tamquam unicum suae felicitatis objectum: ego nunc possideo te in terris modo mirabiliori, tamquam certissimum resurrectionis et immortalitatis meae pignus.“ *Autor recens.*

Supplex adoro te, Jesu mi dulcissime, et *debita* veneratione osculor sacratissimos pedes tuos. — Quid video, Domine? fixuras clavorum, vulnerum cicatrices video in manibus pedibusque tuis. Ergone pro me peccatore clavis perforari sivisti liberales manus tuas, quibus tanta in miseros beneficia contulisti? Ergone propter me clavis transfigi permisisti pedes tuos indefessos, quibus tot regiones percucurristi, oves perditas quaesiturus? O quam ardenter amasti me, Domine Jesu! Amasti me praesertim in cruce, ubi tam crudelia patiebaris pro me. Amore mei mortuus es, o Jesu, sed amor tuus non est mortuus; vivit adhuc in corde tuo amor tuus immensus. O mi Deus, et summe amans, et summe amabilis! diligo te super omnia creata, et ex amore tui paratus sum omnia facere, omnia tolerare utut gravia vel molesta.

Multis quidem incommodis afficior, et quotidie novis premor aerumnis. Sed propterea veni in hanc lacrymarum vallem, ut, quae me pati volueris, aequo patiar animo. Fac itaque mecum et de me, bone Jesu, quidquid tibi placuerit. Vis, me esse in honore: fiat volun-

tas tua; vis, ut graves sustineam contumelias: sis millies benedictus. Vis, me diutius vivere sanum: fiat voluntas tua; vis, ut diuturnas corporis aegritudines patiar: laudo et glorifico providentiam tuam. Vis exhilarare mentem meam interno lumine, dulci gaudio, suavi solatio: fiat voluntas tua; vis, ut anima mea crucietur interioribus tenebris, angustiis et desolationibus: sincero corde tibi gratias ago.

Cum de morte tibi jamjam instante cogitares, Domine, ad discipulos dixisti: *Nunc anima mea turbata est.* Sed ecce, Amor mi, turbatur etiam anima mea, dum mecum cogito incertam mortis meae horam, et terribilem illum in aeternitatem transitum, qui nisi bene succederet, res mea deploranda foret in perpetuum. Salvifica me in illa hora, Salvator amantissime! Consolare tunc animam meam dulcissima spe immortalitatis beatae. Esto tunc ipse dux et viaticum animae meae hinc emigrantis, o Jesu suavissime, qui cibus es immortalitatis meae. Putrescat haec caro mea sub terra, dummodo resurgat in gloria. Destruatur corpusculum meum in corruptione, modo resurgat in incorruptione. Hanc abs te gratiam spero, Domine! nam ubi tu es, illic et minister tuus erit. Da igitur, ut tibi fideliter ministrem, ut te strenue sequar, ut tecum sim et maneam in aeternum. Amen.

FERIA VI.

Poteris damnari sacerdos: 1) licet malos fructus non tuleris; 2) licet aliquos bonos fructus habueris, aliqua laboraveris; 3) si fructus non habueris, quos Dominus a te requirere potest et debet.

PRECES ANTE MISSAM.

Novi testamenti sacerdos ego indignissimus offero tibi, Pater omnipotens, aeterne Deus, incruentum hoc missae sacrificium ad majorem gloriam et honorem adorandi nominis tui; nec non in gratiarum actionem pro cunctis beneficiis tuis, quibus Ecclesiam tuam hactenus cumulasti, quotidie nunc cumulas, et deinceps cumulabis usque ad consummationem saeculi. Gratias ago tibi pro admiranda providentiae tuae dispositione, qua, reprobato Judaeorum populo, nobis credentibus (aeternae Sapientiae discipulis) tot saluberrima sacramenta, tot dona et bona spiritualia largitus es ad faciendos bonorum operum fructus. Tibi gratias ago, benignissime Deus, pro singulari clementia tua, qua me indignum hominem, prae mille aliis dignioribus, sacerdotii dignitate decorasti; et pro stupenda longanimitate tua, qua et me, et alios mei similes peccatores, velut totidem infructuosas ficulneas tamdiu sustinuisti, et ad faciendos fructus dignos poenitentiae hucusque exspectasti.

Benedictus Deus et Pater D. N. J. C. qui benedixisti nos in omni benedictione spirituali, in coelestibus, in Christo; sicut elegisti nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu tuo in caritate: Pater, qui rejecta gente Judaica praedestinasti nos in adoptionem filiorum tuorum per Jesum Christum, attende de coelo, et vide de habitaculo sancto tuo et de solio gloriae tuae, non malitiam nostram, in qua sepulti jacemus; sed clementer respice purissimam hanc hostiam, quam in ara divinae Majestati tuae immolamus, in satisfactionem teporis nostri, quo non solum requisitos bonorum operum fructus proferre negleximus, d abominanda quoque lolia et iniquitatum zizania pro-

duximus, reprobationi et maledicto proximantes. Averte hoc malum a nobis, bone Deus! ignosce nobis poenitentibus, et dele iniquitates nostras per merita propitiatorii hujus sacrificii. Calix benedictionis, participatio pretiosi sanguinis Christi, procul a nobis avertat terribilem aeternamque maledictionem tuam.

Virtute hujus sacrosanctae oblationis concede nobis, Pater misericors, auxilium gratiae, ut easdem intus in corde habeamus virtutes christianas, quas exteriori corporis habitu monstramus. Effice, precor, ut non tantum folia pulchra (Pharisaeorum more) exhibeamus, sed salutiferos potius bonorum operum fructus proferamus, et ita maledictionis loco tuam benedictionem haereditate possideamus. Largire nobis, amantissime Pater, verae pietatis gratiam, ne unquam ficulneis infructuosis similes inveniamur, sed ut, *repleti fructu justitiae per Jesum Christum*, aliquando transferri mereamur in coelestem paradisum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Suavissime Jesu! Verbum Patris! Dominus meus, et Deus meus! Tu *excelsior coelo, et profundior inferno* (Job. 9.) *longior terra mensura tua, et latior mari.* Tu habitas nunc in angusto corde meo. Possideo nunc teipsum, immensae majestatis Dominum, quem omnes simul creaturae nunquam satis laudare et magnificare possunt. Anima mea nunc intime juncta est tibi, Conditor omnipotens, qui ficum infructuosam unico verbo arefecisti. — Quid hoc? cur indignus ego sacerdos, ego pulvis et cinis, ego miser peccator, cur ante faciem talis ac tantae Majestatis non expavesco? eccur prae stupore vel gaudio non totus in lacrymas resolvor? —

PRECES ANTE

...uos adoro te
Novi testamenti sacerdo... ...sentem in sinu
tibi, Pater omnipotens, a... ...mine, ineffabilem
missae sacrificium ad ... ...a me, servum tuum
adorandi nominis tui: ... ...diutissime sustinuisti,
pro cunctis benefici... ...is obruisti, totiesque
tenus cumulasti, ... tuae convivium admisisti.
cumulabis usque ... ...a est magnitudo, multitudo
ago tibi pro ... ...as pro illis grates rependere nunqua, reprob... ...semper et ubique tuam in me caritatem
(aeternae ... ...m omnibus quaerens aeternam salutem meam:
menta, t... ...ebas sub arbore fici; hanc sitiebas in arbore
dos bo... Perditus eram, et redemisti me; peccator eram,
nissi... ...existi me; desidiosus eram, et vocasti me ad
dig... ...rdotium; ingratus eram, et toties mihi dedisti sanctis-
... ...um corpus et sanguinem tuum in cibum et potum.
Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro tot et talibus amoris tuis muneribus? Quid sum? quid habeo, quod non a te accepi? Quid exiguus terrae vermiculus poterit offerre Deo pro Deo? Agnosco, Domine, quia inops et pauper sum ego, similis infructuosae illi ficulneae, quam maledicendo arefecisti. Supplex a te veniam deprecor, clementissime Jesu, quia jam toties sine debita praeparatione tremendum altaris mysterium tractavi. Fateor culpam meam, humilians me sub potenti manu tua. Miserere mei, Domine, dives meritis et miserationibus! Dives in omnes, miserere mei! Suscipe causam meam, et e magno tuorum meritorum thesauro fer opem inopiae meae. Patri tuo pro me offer inaestimabile profusi sanguinis tui pretium. Oro te, Jesu amantissime, ut suppleas omnem defectum meum, praesertim imperfectae praeparationis meae, qua hodie sanctuarium tuum
...essus sum ad celebrandum inaspectabile mysterium.

cro, bone Jesu, ut dignitatem sacerdotalem, eciali benevolentia prae tot hominibus re dignatus es, nulla unquam flagitio sed moribus sancte institutis eandem Da mihi veram pietatem et per- oditori similis evadam. Procul iatio Pharisaeorum, qui, exteriori contenti, de interna vitae sanctimonia solliciti. Jam dudum equidem nefandus ego ator, sicut infructuosa illa ficulnea, promerui terrificam maledictionem tuam. At irriguo sanguinis tui fonte nunc humectatus hac hora incipiam producere fructus bonorum operum. Tandem rogo te, Jesu misericordissime, ut maledictionis loco benedictione tua fortunare digneris negotia ac consilia mea, ut exoptatum sortiantur finem; neque me tantum, sed meos etiam omnes (quorum mihi salute nihil antiquius) divina benedictione tua replere digneris. Qui vivis etc.

SABBATO.

Tribulationes nobis utilissimae, quia per eas: 1) concupiscentia mortificatur; 2) fides, spes, caritas probatur et ostenditur; 3) merces magna comparatur.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater noster, qui es in coelis! Pater omnipotens et misericors! Pater amplissimae potestatis et benignitatis, qui nos filiorum nomine dignatus es insignire! ***Pater noster!*** O dulce nomen! — ***Qui es in coelis***: o immensa majestas! — Ecce, filiali fiducia

unanimi voce clamamus ad te Patrem nostrum optimum, ac corde humili dicimus:

Sanctificetur nomen tuum. Laudetur, adoretur et glorificetur admirabile nomen tuum. Ametur et magnificetur dulce et amabile nomen tuum. Adoretur potentia tua; laudetur majestas tua; celebretur sapientia tua; ametur bonitas tua; et honorificetur infinita magnitudo tua. Sanctificetur divinum nomen tuum ubique terrarum, ab omnibus creaturis, in omni tempore, et tota nostrarum virium contentione. Imprimis autem adoretur nomen sanctum tuum per hoc sanctum missae sacrificium, quod tibi hodie offerimus super altari tuo.

Adveniat regnum tuum. Adveniat nobis regnum gratiae tuae in hoc saeculo, et regnum gloriae tuae in futuro. Dominare nobis, Rex admirabilis, dominare in medio inimicorum nostrorum. Dirige semper omnium nostrum voluntates, affectiones, cognitiones, intentiones, et desideria. Da, ut te regem gratiae diligamus in hac vita, quo citius post mortem videamus te regem aeternae gloriae.

Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Semper et ubique fiat paterna voluntas tua. In omnibus et ab omnibus creaturis exacte adimpleatur aequissima voluntas tua: fiat in prosperis, fiat in adversis; fiat in vita nostra, fiat in morte nostra. Semper, et in tempore et in aeternitate, fiat divinum beneplacitum tuum, sicut in coelo, et in terra.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Tribue nobis, qui fiducialiter a te petimus, necessaria vitae subsidia, et bona tam temporalia quam spiritualia. Da nobis, quaesumus, panem filiorum, panem vivum, frumentum electorum, et vinum germinans virgines; ut his muneribus sacris enutriti, crescamus in gratia ac

pro me denique patibulo crucis suffixus inclinato capite emisisti spiritum.

Prosint mihi haec omnia, Jesu dilectissime! Sanguis tuus, olim in cruce fusus et hodie in altari a me haustus, abluat universas delictorum meorum maculas. Justitia tua tegat injustitiam meam. Bonitas tua deleat omnem malitiam meam. Thesaurus meritorum tuorum expungat ingentem debitorum meorum numerum. Adesto mihi, Domine, in extremo conflictu meo, et ingravescente morbo lethali auge in me gratiam tuam, ne in corde meo vacillet fides, ne titubet spes, ne frigescat caritas. Fove tunc filialem fiduciam in agonizante anima mea. Effice, precor, amantissime Salvator, ut in illa tremenda mortis hora (mihi quidem incerta, tibi autem notissima) postquam vis morbi excaecaverit oculos corporis, mentis saltem oculos semper in te defixos habeam; et quando adhaeserit lingua mea faucibus meis, saltem cor meum ad te suspiret, atque fiducialiter ingeminet: *O mi Jesu! in manus tuas commendo spiritum meum.*

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Fides in sacramentorum administratione necessaria est (et efficit) ut ea administres: 1) cum sollicitudine; 2) cum reverentia; 3) cum devotione.

PRECES ANTE MISSAM.

Christe Jesu! Doctor nobis e coelo misse! te suppliciter adoro, laudo, et glorifico tanta animi submis-

sione, reverentia, meiipsius contemptione et fidei professione, sicut decet, et a me requiris; a me, inquam, qui sum opus manuum tuarum. Firmissime credo, te unigenitum Dei Filium in adorando altaris sacramento reipsa praesentem esse. Corde et ore humiliter ac constanter profiteor, quod omnia firmissime credam, quaecunque Ecclesia tua romano-catholica credit, nobisque credenda praecipit. Absque ulla mysteriorum tuorum curiosa pervestigatione cunctos fidei articulos credo, et in Ecclesiae tuae sinu tanquam filius obedientissimus vivere et mori volo. Paratus sum, inter crudelissima tormentorum genera vitam prius ponere, quam vel latum unguem a fide et religione catholica discedere. Si etiam novatores quocunque modo a fide mea conarentur me abstrahere, tuo confortatus auxilio palam exclamarem: *Apagete, seductores! surdo fabulam canitis; et si vel Angelus de coelo evangelizaret mihi, praeterquam quod evangelizat mihi Ecclesia: anathema, anathema sit!*

In hac fide, o Jesu carissime, doctor divine! (siquidem me tua roboraveris gratia) firmus semper et immobilis permanebo, ita, ut portae inferorum, quae nunquam praevalebunt adversus Ecclesiam tuam, etiam adversum me nunquam praevalere possint. Credo, sapientissime Jesu, fidem apostolicam unice veram esse ac certissimam, utpote divinitus revelatam, et innumeris confirmatam miraculis a te, o Deus omnipotens, qui nec falli nec fallere potes. Imprimis sine dubitatione credo, in augustissimo altaris sacrificio per ipsa verba tua transmutari panem et vinum in sanctissimum corpus et sanguinem tuum.

Hac animatus fide nunc ingredior sacrum templum tuum, et accessum paro ad altare tuum. — Sed quis

caritate tua. Promisit Unigenitus tuus, dicens: Quaecunque petieritis in oratione credentes, accipietis. En itaque, Pater amantissime, credentes petimus fidei, spei, et caritatis augmentum; petimus felicem mortis horam.

Et dimitte nobis debita nostra, quae peccando contraximus imbecilles nos et ingrati homines. Per infinita propitiatorii hujus sacrificii merita remitte nobis omnia peccata nostra: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Largire nobis filiis tuis verae poenitentiae et caritatis spiritum, qui et offensas nostras plene abstergat, et omnem memoriam injuriarum ab aliis acceptarum sempiterna oblivione deleat.

Et ne nos inducas in tentationem. Pater sancte! procul a nobis averte cuncta peccandi pericula, nec unquam nos tentari permitte supra id, quod possumus. Illa solum certamina clementer admitte, quae ad majorem nominis tui gloriam cedant, nobisque te diligentibus cooperentur in bonum, et plenum praebeant ex hoste triumphum. Gratiae tuae auxilio sic conforta nos in proelio, ut nulli consentiamus peccato.

Sed libera nos a malo. Fac, optime Pater, ut a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Libera nos ab omnibus malis praeteritis, praesentibus, et futuris, praesertim vero a subitanea et improvisa mala morte libera nos, misericordissime Pater! Haec omnia in nomine Filii tui suppliciter nunc oramus, et abs te consequi fiducialiter speramus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Gaudens gaudebo nunc in Domino, et exultabit anima mea in Deo salutari meo. Laetentur alii in thesauri-

atque divitiis suis: *ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.* Non amplius libet gaudere in rebus transitoriis, Domine Jesu! in te solo veram invenio cordis laetitiam et jucunditatem. Tu solus es amor meus, tu gloria et exultatio mea, tu unicum gaudium et solatium meum. Dirige, obsecro, Jesu adorande, dirige cor meum secundum cor tuum, ut nihil aliud quaeram, nisi divinum beneplacitum tuum.

Totus tuus esse desidero, suavissime Jesu, qui nunc totus meus es. Paratum me offero ad omnia etiam dura et aspera. Trado me tibi vel ad mortem usque, o unica Salus viventium! o Vita morientium! fac mecum, quodcunque tibi placuerit. Sive hanc animam meam in hujus corpusculi domicilio diutius morari sive propediem ex hac vita emigrare volueris: sanctissimae voluntati tuae me totum submitto, nec minimum reluctor, certus, non posse perire animam, quae fiducialiter se committit immensae misericordiae tuae. Miseram hanc et permolestam carnem meam lubens trado sepulturae, propter spem resurrectionis gloriosae.

Corrobora, Domine, imbecillem animam meam adversus hostium insidias et incursiones. Praecinge me potentiae tuae scuto contra diaboli tentamenta. Nihil in meipso praesidii est. Ex me nihil habeo virium, nihil meritorum, quibus inniti possem: at malitiae et debilitatis plus satis in me deprehendo. Nec ideo tamen de salute mea despero, sed omnem in te spem et fiduciam pono. Tu enim, Amor mi dulcissime, pro me humanam assumsisti naturam; pro me misere jacuisti parvulus in praesepio; pro me tulisti paupertatis incommoda, et exilii molestias; pro me laborasti et orasti; pro me contumelias et opprobria patienter tolerasti; pro me amarissimum passionis calicem ad faeces usque exhausisti:

jectione, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumtione. Da, ut errantes corripiam sine indignatione, proximosque verbo et exemplo aedificem sine elatione. Fac me obedientem sine contradictione, et patientem sine murmuratione. Da mihi, Jesu suavissime, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da cor invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vendicet perversa delectatio. Largire mihi, Domine, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter exspectantem, et fiduciam te feliciter amplectentem. Da, cruciatibus tuis me configi per poenitentiam, beneficiis tuis in via bene uti per gratiam, et tandem gaudiis tuis in patria frui per gloriam. Qui vivis etc. *S. Thomas Aquin.*

FERIA II.

Jesus comparatur gallinae, quia tenerrima caritate filios suos: 1) allicit; 2) nutrit; 3) fovet et calefacit; 4) protegit.

PRECES ANTE MISSAM.

Timor et tremor veniunt super me, Domine Jesu, Fili Dei, dum insidias hostium salutis meae propriamque considero imbecillitatem. Quo me vertam, aut quo confugiam pusillus ego et miser homo? Ad te confugio, te inclamo, bone Jesu, qui tali caritatis affectu diligis homines, ut teipsum assimilaveris gallinae cor

greganti pullos suos sub alas. Ad te recurro, Domine, qui non tantum sub umbra alarum tuarum protegis nos, sed foves etiam ac nutris animas nostras pretioso tuo corpore et sanguine, minime attendens nostram indignitatem, sed indigentiam.

„Et aves quidem magno cum dilectionis affectu suos enutriunt pullos: et licet ab iis quandoque spernantur et irritentur, nunquam tamen illos negligunt despiciuntve; quoniam condolentiae affectu vincuntur. Quodsi aves tanta commiseratione afficiuntur, quanto magis gratia tua, Domine, miserationibus suis expugnatur, ut miserearis omnium desiderantium te? Quin et mater a suo despecta parvulo corde tamen ipsum deserere atque despicere nequit, visceribus enim amoris superatur. Si autem et nutrix ita compassionis affectu trahitur: quanto magis clementia tua, o animarum amator Domine, suis quotidie vincitur miserationibus ad commiserandum atque salvandum cunctos, qui semper desiderant te.“ *S. Ephraem.*

„Vere immensa et incomprehensibilis est misericordia tua, Domine Deus meus! Magna quidem est iniquitas mea; et erubesco nimis, coram te nunc apparere. Verumtamen, si peccator desperat de misericordia tua, multo gravius te offendit, et magis tibi displicet hoc uno peccato, quam omnibus aliis, quae unquam admisit; eoquod in infinitum major est misericordia tua, quam sint omnia peccata, quae unquam fuere commissa, vel quae committi possunt ab aliqua creatura. Cur igitur desperem, Domine, de tanta bonitate tua? Non est tam magnus peccator, quin (si vere poenituerit) mox ei omnia peccata sua plene dimittas, et cor tuum tanta clementia atque dulcedine super ipsum reclines, ac si nunquam peccasset. Hinc magna cum contritione, et ma-

ego, ut tremenda haec mysteria contingere audeam? Quodsi et mihi sacerdoti tuo hac hora diceres, quod aliquando ad principes sacerdotum dixisti: ***Interrogabo te unum verbum, responde mihi, etc.*** aliud, Domine, respondere non possem, nisi: ***Peccavi in coelum et coram te, Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita: Jesu, Fili Dei! miserere mei.*** Sic clamo, sic suspiro, et ex intimo corde meo sincere doleo de peccatis meis, quibus offendi summam bonitatem tuam. Vehementer doleo, eoquod displicui tibi Deo Salvatori meo, quem super omnia diligo. Firma nunc voluntate propono, deinceps omnia peccandi pericula vitare, moresque dignitati meae congruos exhibere.

Jam igitur obsecro te, Jesu misericordissime, admitte me servum et discipulum tuum ad dulcissimum mensae tuae convivium. Adauge in me fidem, spem et fiduciam, maxime vero caritatem. Fac me tanta religione altari tuo adsistere, ut ibi sacra corporis et sanguinis tui mysteria participando non judicium mihi manducem et bibam, sed saluberrimos pretiosi hujus epuli percipiam effectus, et habeam vitam aeternam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

En! advolutus pedibus tuis, amantissime Jesu, te humiliter adoro, debitumque tibi homagium praesto. Corde submisso veneror et adoro te, doctorem divinum, a Patre missum e coelo, ad nos homines informandos in omni justitia et sanctitate veritatis. Laudo et benedico te, suavissime Jesu! Magnifico singularem tuam in me benevolentiam, qua mihi non modo panem doctrinae tuae

sed etiam panem vitae aeternae largiris ad salutem immortalis animae meae. Debitas tibi grates habeo pro speciali hoc beneficio, quod mihi hodie tribuisti in templo sancto tuo. Utinam ego pari amore amori tuo ineffabili compensando essem! Ratum certe fixumque mihi est, deinceps auscultare tibi doctori divino, tuis monitis ac praeceptis obedire, novatorum vaniloquia respuere, neque vel tantillum a doctrina tua declinare. Largire mihi (quaeso) fidei augmentum, ut exinde crescam in spe ac caritate, quo alacrius progrediar de virtute in virtutem.

„Concede mihi, quaeso, misericors Deus, quae tibi sunt placita ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere. Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum; et quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam et possim et velim. Non deficiam inter prospera vel adversa: ut in illis non extollar, et in istis non deprimar. In prosperis tibi grates referam, et in adversis servem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod provehat ad te, vel quod abducat a te. Nemini placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi. Omnia in caritate da facere ac pati; et quod ad cultum tuum non pertinet, quasi nihilum reputare. Actiones meas da peragere non ex mera consuetudine, sed ad te referre cum devotione. Vilescant mihi omnia transitoria propter te; et cara mihi sint omnia tua, et tu Deus meus plusquam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te; et taediosa mihi sit omnis quies, quae non est in te. Da mihi, dulcissime Domine, cor meum frequenter et ferventer ad te dirigere, et defectus meos, cum emendationis proposito, dolendo pensare. Fac me humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine de-

jori adhuc fiducia me projicio in abyssum misericordiae tuae, o Deus meus, o unica Spes mea, et firmissime confido, te mihi propitium fore" [1].

Isthac animatus fiducia iterum accurro ad sacram mensam tuam, Domine Jesu! festino jam ad altare tuum, ut ibi consuetum vitae pabulum accipiam. „Quemadmodum enim aves pullos suos alunt, sic et nos tabernacula tua, Domine, invenientes, prope aras tuas spirituale cibum a te reportamus. Nostra enim cubilia et nidamenta tua sunt sancta altaria: nam apud illa, veluti pulli hiantes, divinum et salutarem cibum a te percipimus" [2]. O quam felix ego! Israelitis manna suum haud invideo, dum longe meliorem panem coeli ad manus habeo. Effice, precor, amantissime Jesu, ut cibum hunc pretiosum digne percipiam ad salutem animae meae. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Laudo et benedico te, misericordissime Jesu, qui tanto caritatis affectu me diligis. Toto corde veneror et adoro te, Domine, qui dulcissimo pane coeli denuo satiasti animam meam. Pro singulari hoc beneficio maximas tibi gratias ago; nec ore solum, sed operibus etiam me tibi gratum exhibere conabor. Et quia longe dignissimus es, qui diligaris ab omnibus creaturis, amo te super omnia, semperque amabo te. Neque libet mihi jam aliud diligere vel cogitare praeter te. Rejectis omnibus saeculi vanitatibus memor ero mirabilium tuorum, Domine, nec nisi stupenda miserationum tuarum miracula prae oculis habebo.

---

[1] Ludov. Blosi. [2] Theodoret.

„Dum recordor, o Jesu, quantis me tua bonitas muneribus ornaverit, quam multa fragilitati meae commoda detulerit, et quam constanter eximius amor tuus animae meae adhaeserit; non possum, quin sempiterna beneficiorum memoria me tibi maxime obstrictum profitear. Interim vero ab immensa tua caritate id mihi expetendum superest, ut praeteritas injurias, quibus te incredibili audacia (ingratorum more Judaeorum) lacessere ausus sum, voluntaria velis oblivione delere. Gratum tibi pro tali munere polliceor animum.“ *S. Ephraem.*

Quam profunde inclinasti te propter homines, o bone Jesu, dum etiam gallinae condolenti teipsum assimilare dignatus es! Da mihi, nunc suaviter requiescere sub umbra alarum tuarum, et obdormire in sinu caritatis tuae. Oro te, benignissime Salvator, ut suscipias me in cor tuum amabile, ibique frigentem animam *meam* amore tui succendas ac calefacias. Amor tuus omnia viscera mea penetret, ita, ut totus amore tui et proximi ardeam. Fac me tibi tam firmiter adhaerere, ut nihil unquam me a te separare valeat.

Suavissime Jesu! tuere me pusillum et imbecillem in medio cordis tui contra assultus adversariorum meorum. *Susceptor meus es tu, et refugium meum.* Scapulis tuis obumbra mihi, et sub pennis tuis sperantem me defende. Custodi me, Domine, ut pupillam *oculi.* *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Inimici mei animam meam circumdederunt, ut eam rapiant, ut perdant, ut mactent. Attamen non timebo mala, quoniam tu es refugium meum, liberator meus, adjutor et protector meus. *In velamento alarum tuarum exultabo: adhaesit anima mea post te.* Succurre mihi, Jesu misericors, in omni periculo, in omni tenta-

tione. ***Protegar in velamento alarum tuarum***, quasi pullus imbecillis sub alis gallinae, ut a milvis infernalibus tutus semper maneam atque securus.

Domine Jesu, qui civitati Jerusalem (amorem tuum aspernanti) minatus es exitium: aperi mihi aures cordis mei, ut adminitiones tuas audiam et opere compleam, ne similem mihi ipse adsciscam interitum. Plusquam materno caritatis affectu omnes homines vis salvos fieri; omnes ad te convocas, ***quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.*** Eo fine dedisti mundo Prophetas et sapientes et scribas. Da, precor, ut et ego proximorum salutem avidissime anhelans omni virium contentione satagam lucrari animas, quo plures mecum in coelo misericordiam tuam decantent. Amen.

FERIA III.

Invidia in sacerdotibus magnopere est: 1) odiosa; 2) perniciosa; 3) culposa; et tamen 4) frequens.

PRECES ANTE MISSAM.

Unus Deus Pater omnium, qui es super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis! suppliciter adoramus et glorificamus te per hoc sacrificium, quod tibi offerimus in adorationis nostrae contestationem, et ad majorem nominis tui honorem et gloriam. Appropinquantes sacro altari tuo gratias agimus tibi, Pater optime, pro singulari clementia et dignatione tua, qua nos miseros homines in talem recepisti amicitiam, ut filii tui adoptivi et nominemur, et simus, haeredes quidem tui, cohaeredes

autem Christi. Gratias agimus tibi pro benevolentia tua plusquam paterna, qua nos omnes foves, gubernas, protegis, innumerisque cumulas beneficiis.

Haud immerito tuam admiramur bonitatem, o Largitor bonorum omnium, Pater amantissime, qui nos ingratos filios tuos propter quotidianas iniquitates et negligentias nostras non abjicis, non deseris, nec condemnas. Agnoscimus tuam infinitam longanimitatem; fatemur et proterviam nostram, qua te Patrem nostrum dulcissimum in dies offendimus, atque ad iracundiam provocamus. Sed ecce, Pater clementissime! offerimus tibi unigenitum Filium tuum, ceu victimam propitiatoriam, in plenam satisfactionem delictorum nostrorum. Ignosce nobis ingratis filiis tuis, qui, bonitatis tuae immemores, toties recessimus a te amabilissimo Patre nostro. Miserere nostri, Deus misericors, et per dilectum Filium tuum parce nobis credentibus, qui, filiali cum fiducia revertentes ad te, conjicimus nos in sinum misericordiae tuae, et in brachia suavissimae caritatis tuae.

Per merita hujus oblationis oramus te, clementissime Pater, ut nos omnes ac singulos, fraternitatis amore conjunctos, in divina tui participatione et amicitia sic confirmare ac conservare digneris, ut neque locus inimicitiis, nec inimico infernali pateat ad nos accessus. Et quamvis voluntatis nostrae perversitate vel imbecillitate mutuam inter nos caritatem, quin et divinam tuam amicitiam non raro neglexerimus; nunc tamen confidimus, quod infinita bonitas tua, suppliciter a nobis exorata, propitiationem nobis impertiri dignetur.

Effice, quaesumus, Pater omnipotens, ut semper in Ecclesia tua sit unitas mentium, concordia voluntatum et pietas actionum. Benignis intuere oculis omnes fratres nostros tentatos, aegrotantes, afflictos, aut in qui-

buscunque periculis vel angustiis constitutos. Amove a nobis omnibus arrogantiae et ambitionis vitium, ut in vera humilitate nos invicem adjuvemus, et alter alterius onera portemus. Da, Pater augustissime, ut audiamus unum Dominum et magistrum nostrum Jesum Christum, eique firmiter adhaereamus omnes in vinculo unitatis et pacis. Dissipa concilium malignantium; et ad nihilum redige machinationes infidelium, qui fraternam unanimitatem nostram disturbare, fideliumque concordiam dirimere nituntur. Illumina mentes heterodoxorum, ut dimissis erroribus suis cito redeant ad Ecclesiae tuae gremium, ubi vera pax, vera caritas, vera concordia, vera fides et vera salus habetur. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Hospes amicissime, Jesu suavissime, quousque tua in me caritas progreditur! — Servus tuus sum ego omnium indignissimus: tu autem, Dominus meus, cibasti me sacrosancto corpore tuo. — Discipulus tuus sum omnium minimus: et tu, magister meus, potasti me pretioso sanguine tuo. — Domine! quomodo potuisti rursus intrare cor meum adeo frigidum et immundum? Obstupesco benignitatem tuam, et maxima qua possum humilitate adoro te Dominum Deum meum. Laudo et magnifico te divinum magistrum meum, submississime rogans, ut parcas summae huic temeritati meae, qua tremenda mysteria tua inter fratres meos, inter servos tuos piissimos adire ausus sum quasi unus ex ipsis. Ignosce mihi, bone Jesu, quod tam exigua reverentia hodie sacris operatus fuerim.

Ab immensa benignitate tua, carissime Jesu, spero veniam omnium noxarum atque negligentiarum mearum.

Vere bonus es Dominus, et magister vere patiens. Quis non diligat te? quis non audiat et sequatur te? O utinam inde a pueritia mea semper amassem te! Utinam malignas inimicorum suggestiones semper repudiassem, tibique soli semper et in omnibus obtemperassem! Sincere doleo, Domine, quod hactenus te non amaverim, quantum a me diligi mereris. Poenitet me ex intimo corde, quod toties offenderim te magistrum meum optimum, qui mihi prae mille aliis fratribus meis tam eximia tribuisti beneficia. Saltem in posterum amabo te super omnia, tibi firmiter adhaerebo, monitis tuis exacte parebo, tuique nominis gloriam et honorem promovere conabor.

Amabilissime Jesu, princeps pacis et amator hominum, qui docuisti, nos omnes fratres esse: en! omnes amo homines, tanquam carissimos fratres meos. Precor ipsis a te omne bonum, quo feliciores tibique gratiores fiant. Oro te humiliter, ut omnes ac singulos clementer respicias, maxime vero illos, a quibus nonnihil abhorret animus meus ambitiosus. Dimitte illis, obsecro, peccata eorum, atque necessaria eis concede salutis subsidia, quo facilius vitam aeternam consequantur. Quodsi noveris etiam expedire, ut ego caream aliquo dono tuo, quod fratri meo cuicunque largiaris: ecce, dulcissime Jesu! non reluctor, nihil repugno, sed omnino contentus sum. Quin imo vera et ingenti me laetitia perfundit amor tuus, quo fratres meos amplexaris; exhilarat me perfectio illa, qua proximos meos exornas, pro qua tibi etiam ex animo gratias ago maximas. Quodsi forsitan (te permittente) contigerit, ut a fratribus meis offendar aut injuste premar: obsecro te jam nunc, priusquam illud eveniat, ne statuas illis hoc peccatum, sed ut concedas eis veniam, gratiam, et vitam aeternam. Id a te

ideo peto, Domine, quia et tu fratres meos amas, et ego in omnibus rebus tibi sic conformari desidero, ut nihil unquam velim aliud, nisi quod tu vis, Dominus meus et magister meus. Da mihi patientiam in quibuslibet injuriis atque molestiis; da mihi cor mite ac humile, ne unquam erga fratres meos male afficiar, sed ut omnibus ac singulis bene velim. Aufer a me vel minimam ambitionis umbram, et da mihi veram animi demissionem, ut, humiliando meipsum in terris, a te aliquando exaltari merear in coelis. Amen.

FERIA IV.

Deus omniscius, scrutator cordium, ideo: 1) esto humilis nec absque timore, etsi ab hominibus, superioribus etc. lauderis; 2) esto tranquillus, consolare, licet te ignorent, perperam de te judicent, calumnientur.

PRECES ANTE MISSAM.

Beneficia tua, liberalissime Deus, ostendunt singularem tuam in me benevolentiam. Et haec ipsa munificentia tua rursum me trahit ad altare tuum, ad opulentissimum illud bonorum tuorum gazophylacium, quod in templo sancto tuo patet omnibus servis tuis. Vado illuc, optime Pater, ut tibi gratissimum offeram munus pro tot tantisque beneficiis, quibus me hactenus cumulasti. Pater, qui vides in abscondito, et offerentium corda magis quam dona respicis: en, humiliter adoro te, simulque precor, ut me servum tuum pauperculum non despicias.

Quod tibi gratius offeram, Pater amantissime, non

habeo, nisi Filium tuum dilectum, in quo tibi semper ab aeterno complacuisti. Offero praeterea duo minuta, nempe corpus et animam meam, quae ad omne beneplacitum tuum et pro obsequio tuo lubens trado. Quid aliud offeram tibi, bone Pater, in gratiarum actionem pro innumeris beneficiis, quibus exornasti me? Enimvero, quaecunque habeo, omnia debeo tibi Domino Deo meo, qui gratis omnia mihi donasti. Quin etiamnum mihi quotidie donas Unigenitum tuum, Jesum meum, qui propter me mortuus est in cruce. Omnino me totum debeo tibi, qui pro me peccatore redimendo tradidisti Filium tuum innocentissimum.

Eundem Unigenitum tuum, munus sane pretiosum et acceptabile, cui duo minuta jungo, videlicet corpus et animam meam, offero tibi, Pater sanctissime, in sacrificium tanquam hostiam viventem: ut, quidquid mihi deest, suppleatur ex immenso meritorum illius thesauro. Benignis oculis respice magnum hoc donum meum, quod pauperculus ego peccator hodie offero super altari tuo; ejusque intuitu remitte mihi multa et magna debita mea, quibus undequaque obstrictus sum.

Per eundem Filium tuum obsecro te, ***scrutans corda et renes Deus***, ut ardentissimo tui amore cor meum inflammare digneris. Fac, ut in omnibus operibus meis rectam semper habeam intentionem, nec propriam gloriam, sed tui solius honorem unice quaeram. Ejice de corde meo omnem fastum, ambitionem et honorum cupiditatem, ne labores meos alio fine incipiam atque perficiam, quam ut sanctissimae voluntati tuae morem geram, et meam aliorumque salutem inde promoveam. Da, ut propter pias actiones meas superbia non intumescam, memor, cordis mei latebras tibi quam mihi notiores esse. Offero tibi denique illibatum hoc sacrificium pro

singulis confratribus meis, pro quibus orare teneor, et quorum mihi salus curae ac cordi esse debet. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Positis in terra genibus, ac summa qua possum veneratione adoro te, Domine Jesu, Redemtor benignissime! laudo et demiror ineffabilem beneficentiam tuam, qua denuo sacrosanctum corpus et sanguinem tuum, nempe teipsum totum et integrum mihi donasti, et sumendum dedisti. Quid retribuam tibi pro tanto beneficio, pro tali epulo, pro tam singulari munificentia tua? Quid tibi retribuam pro temetipso? Miserabilis ego et pauperculus servus tuus tot tantisque debitis exsolvendis imparem me profiteor. Tu, Domine Jesu, qui viduae illius penuriam optime noveras, scis pariter, *quoniam inops et pauper sum ego.* Plane *minor sum cunctis miserationibus tuis* [1]. Tantummodo mihi sunt *duo minuta* ad offerendum tibi. Sed haec quid sunt pro tali Domino? quid sunt pro tali beneficio? quid haec pro summo Bono? Et eadem haec duo minuta non mea sunt, sed tua, Domine! *Cuncta enim, quae in coelo sunt et in terra, tua sunt* [2]. En igitur, Amor mi! corpus et animam meam, totum me tibi offero ad divinum beneplacitum tuum. Cum temetipsum mihi donaveris integrum, ideo vere dignum et justum est, ut ego similiter me totum tibi tradam et immolem ad gloriam nominis tui. Fac itaque mecum et de me, quidquid tibi Deo meo placuerit.

[1] Gen. 32. [2] 1 Paral. 29.

Jesu dulcissime, qui pauperculam aliquando viduam laudasti, qui et ipse propter nos egenus factus es, cum esses dives: fac me pauperem spiritu, et procul a me repelle turpissimum avaritiae vitium; neque permittas velim, ut auri sitiens pro vilissima terrae gleba, stulta nundinatione, inaestimabilia coeli bona permutem. Omnem rerum temporalium cupiditatem e corde meo radicitus evelle, ut superflua non appetam, sed, necessariis vitae subsidiis contentus, cetera in egenos destribuam, et te duce sic transeam per bona temporalia, ut non amittam aeterna.

„Gustatum nectar suavitatis tuae, Domine, faciat me cuncta mundi prospera toto affectu despicere, et nulla ejus adversa formidare; memorque perpetuae nobilitatis meae semper fastidiam ventos tumoris transitorii. Nihil sine te mihi dulcescat, nihil complaceat; nihil pretiosum, nihil praeter te mihi arrideat speciosum. Vilescant absque te mihi omnia, sordescant mihi universa. Quod tibi adversum est, sit mihi molestum; et divinum beneplacitum tuum sit indeficiens desiderium meum. Taedeat me, Domine, laetari sine te, et delectet me tristari propter te. Sit mihi nomen tuum suavissima refocillatio, et tui memoria consolatio dulcissima. Sit bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. Sit obedire tibi, mihi acceptabile; et resistere tibi, execrabile. Rogo te, o Spes mea, per omnem bonitatem tuam, ut propitieris omni malitiae meae. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes superbiae, et manus peccatoris non moveat me.“ *S. Anselm.*

Jesu humillime, qui formam servi accipiendo propter me temetipsum exinanisti: tolle a me omnem superbiam, et impiam pietatis simulationem, ne in alia

re gloriari libeat, nisi in te. Fac, ut neminem praeter meipsum despiciam, et vanos saeculi honores flocci faciam. Jesu omniscie, scrutator cordium nostrorum, qui me semper et ubique respicis: fac, ut ego quoque semper et ubique te solum prae oculis habeam. Praesta, ut tibi soli placere studeam, quia tu solus es aequissimus operum meorum judex, liberalissimus laborum meorum remunerator, unicus thesaurus meus in tempore, thesaurus meus in aeternitate. Qui vivis etc.

FERIA V.

Firmae et vivae fidei obstacula: 1) meditationis omissio vel defectus; 2) spiritus saecularis et vita dissipata; 3) passiones indomitae et imprimis superbia.

PRECES ANTE MISSAM.

Verax Deus, suprema Veritas, Pater aeterne! toto corde subscribo et suffragor omnibus ac singulis veritatibus, quas revelasti nobis per unigenitum Filium tuum. Animo lubenti amplector illam sanctimoniae basim, veram fidem, sine qua impossibile est placere tibi. Prostratus in terram humillime adoro te universi Machinatorem, omnipraesentem in coelo et in terra. Nunc et in perpetuum corde credo et ore profiteor omnia, quae unquam dixisti, quae revelasti, quae nobis credenda proposuisti per sanctam Ecclesiam tuam. Imprimis autem indubia fide credo ac confiteor, quae continentur in symbolo apostolico. Praeterea firmissime credo realem Christi Filii tui praesentiam in sanctissimo altaris sacramento,

et quidquid Ecclesia tua de missae sacrificio tradit et docet, id exploratum atque omnino certum habeo.

Per istud eucharisticum sacrificium, quod oblaturus sum hodie, tibi gratias ago, Pater providentissime, pro miranda benignitate tua, qua nobis misisti unigenitum Filium tuum, eique mandasti, quid diceret aut quid loqueretur nobis. Gratias ago tibi, misericors Deus, pro eo quod veram Lucem in mundum misisti, ut omnis, qui credit in illam, in tenebris non maneat. Utinam universus terrarum orbis in unitate fidei te Deum adoraret, veraque religione coleret! Doleo, quod non omnes homines credant in te, sicut oportet. Intime doleo miseram sortem ac caecitatem illorum, qui diligunt magis tenebras quam lucem. Ideoque oro et obtestor te, bone Pater, per ejusdem Unigeniti tui sanguinem pretiosum, quem ad aram hodie tibi sacrificabo, ut omnibus haereticis, paganis et incredulis veritatis lucem donare digneris. Fac, Omnipotens, ut omnes te Deum agnoscant, diligant et adorent in ea fide ac religione, quam revelasti nobis.

Libenter etiam offero tibi (si opus fuerit) vitam meam pro confessione verae fidei. Paratus sum, omnem fundere sanguinem meum in contestationem catholicorum dogmatum. Haud aegre me totum impenderem et sacrificarem ad tuendas aeternae Lucis tuae veritates. Pro magno certe beneficio, pro ingenti reputarem lucro, si tui et veritatis amore vitam meam immolare possem. Id saltem a te rogo, Pater amantissime, per virtutem hujus sacrificii, ut et mihi, et omnibus orthodoxae fidei sectatoribus gratiam tuam largiri digneris ad aestimandum ac conservandum fidei donum. Neque permittas, ut incredulorum more spernamus Lucem, quam in mundum misisti. Da potius, ut omnia sedulo custodiamus, quae tuus docuit Unigenitus, ne sermo, quem

ipse locutus est, judicet nos in novissimo die. Auge in nobis pretiosum fidei donum, taliterque praepara corda nostra, ut mentis oculos semper habeamus defixos in illam fidelium Lucem, quam ex infinita misericordia misisti in mundum, non ut judicet mundum, sed ut salvificet mundum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Nitidissima Lux fidelium, Jesu Christe, qui nunc luces in praecordiis meis quasi sol in tenebris; suggere mihi verba ad digne laudandum universa mirabilia tua, quae hodie rursum operatus es in me. Magnum fuit beneficium misericordiae tuae, qua me vocasti ad veram fidem, ad Ecclesiam tuam: at major adhuc fuit bonitas tua, qua me prae tot aliis fidelibus vocasti ad eximium sacerdotii munus. Magna quidem erat gratia paternae providentiae tuae, qua me in catholica religione nasci et educari fecisti: sed multo mirabilior est illa benignitas tua, qua mihi peccatori miserrimo teipsum multoties dedisti manducandum. Vere magna sunt opera tua, Domine, *qui facis magna et inscrutabilia.* (Job. 36.)

Jesu dilectissime! firmiter credo cuncta mysteria tua, quamvis ea longe transscendant perangustos ingenii mei limites. Adoro et veneror infinitam potentiam tuam, qua fidei lumen per universas mundi regiones tam mirabiliter diffudisti. Adoro et veneror immensam misericordiam tuam, qua tot et tanta quotidie bona credentibus largiris. Utinam mores meos hactenus semper instituissem ad normam legis tuae; utinam operibus sanctis ostendissem cordis mei fidem! Supplex veniam deprecor, o Jesu benignissime, quod donis et bonis tuis saepius abusus fuerim, aut nimis segniter usus. Sed nunc pro-

pono tibique promitto, talem inire vitae rationem, qualem mea me fides docet. Cum autem sine te nihil possim facere, etiam atque etiam hanc a te gratiam efflagito, ut corde potius quam ore, operibus magis quam verbis tuum me fidelem asseclam profitear. Da, ut lucis tuae radiis sive monitis tuis ducendum me praebeam et impigre sequar.

Domine Jesu! *vera Lux illustrans hominum mentes!* propitius esto incredulis hujus saeculi philosophis, qui dicentes, se esse sapientes ac *Illuminatos*, te Lucem divinam agnoscere nolunt. Aperi caecorum oculos hominum, qui in tenebris errorum et in umbra mortis aeternae sedent. Illumina miseros, o Lux aeterna, ne, caecitati suae indormientes, aliquando projiciantur in illas tenebras exteriores, ubi fletus et stridor dentium. Aufer, obsecro, humanae salutis Amator, aufer velamen ab oculis eorum, ut et caecitatem suam, et imminentem sibi poenam agnoscant, neque diutius tergiversentur sequi lumen fidei.

Misericordissime Jesu, qui non venisti, ut judices mundum, sed ut salvifices eum: salva me meosque omnes, quorum me saluti oportet consulere; vince in nobis adversariam tenebrarum potestatem, quae sic decipit, ut delectet; sic delectat, ut perimat. Potestas tenebrarum adhuc persequitur homines, quos sua fraude fecit esse morti obnoxios. Doleat serpens antiquus, incassum fuisse quod fecit, cum inde non patiaris nos perire, quod ille voluit. Fac, o Lux vera, ut semper ambulemus in fidei lumine, ne cum infidelibus damnemur in novissimo die, sed ut tunc inter sanctos tuos suscipiamur ad intuendam luminis tui claritatem.

FERIA VI.

Signum et incitamentum amoris erga Christum sunt preces jaculatoriae. Considera earum: 1) facilitatem; 2) dulcedinem; 3) utilitatem; 4) usum in sanctorum corde et ore frequentissimum.

PRECES ANTE MISSAM.

Domine Jesu, Fili Dei! Amor mi crucifixe! en, ego indignus Ecclesiae sacerdos propriis et alienis oneratus peccatis ad te venio, et gravem culparum sarcinam aegre trahens adrepo ad thronum adorandae Majestatis tuae. Confidens de immensa bonitate ac clementia tua vado ad altare tuum, oblaturus incruentum illud sacrificium, quod in commemorationem passionis et mortis tuae fieri mandasti. Jam nunc igitur, o Jesu misericors, qui peccatores ad poenitentiam revocas, et revertentes benigne suscipis, admoneo te infinitae illius caritatis, qua teipsum pro nobis sponte tradidisti, atque in ara crucis obtulisti. Admoneo te illius summae dilectionis, qua, pretiosum sanguinem tuum effundendo, abundanter exsolvisti redemtionis nostrae pretium, et expiasti totius peccata mundi. Grato insuper animo te nunc admoneo stupendi amoris tui, quo teipsum nobis praebes manducandum.

Per ineffabilem hanc caritatem tuam, o bone Jesu, per sacratissima quinque vulnera tua, per infinita passionis ac mortis tuae merita, oro te supplex et obtestor, ut indigno mihi sacerdoti tuo dimittas omnia peccata mea, quae nunc in sacra vulnera tua projicio atque demergo. Quidquid mihi deest de sufficientia contritionis et praeparationis, id tu clementer supplere digneris ex abundantibus divitiis meritorum tuorum, omniumque laborum

et dolorum, quos in sanctissimo corpore tuo, inde a nativitate tua usque ad mortem crucis, pro nobis patientissime tolerasti.

In spiritu humilitatis et in animo contrito, sacris hodie operaturus, obsecro te, Domine Jesu, ut ab omni vel minimo peccati reatu cor meum mundare, atque congruo virtutum decore illud exornare digneris, ne tremendum altaris mysterium indigne tractem. Incende me totum ardentissima caritate, ut illius memor infiniti amoris tui, quo me amplexus es in cruce, conscendam nunc altare tuum, ibique sacrificium omnium sanctissimum decenti cum honore et devotione offeram, atque exoptatum inde fructum percipiam.

Jesu amantissime, qui pendens olim in cruce pro tortoribus tuis intimo cordis affectu Patrem orasti, et pro inimicis tuis sanguinem fudisti: precare etiam hodie Patrem tuum, ut propitius sit mihi ceterisque peccatoribus. Per hoc missae sacrificium fac omnes nos participare merita passionis ac mortis tuae, ne pereat in nobis pretium sanguinis tui, sed ut illius ope liberemur a peccatis nostris, a calamitatibus publicis, a suppliciis aeternis. Jesu Fili Dei! miserere nostri, et praesta, ut omnia vitemus peccata, et diligentius posthac exequamur mandata tua. Jam igitur accedens ad aram tuam commendo tibi majorem in modum omnes proximos meos, quorum pro salute me tibi supplicare oportet. Adjuva miseros, tentatos, aegrotos, aut quomodocunque afflictos. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Redemtor amabilissime! Jesu Christe! magna est in me bonitas atque munificentia. Ergone satis non

erat immensae caritati tuae, pro me jam semel obtulisse sacrum corpus tuum ad crucifigendum, quia illud denuo manducandum mihi dedisti? — Ergone satis non erat aeterno amori tuo, pro me jam semel in cruce fudisse sanguinem tuum, quia illum mihi rursus dedisti bibendum? — Amasti me ab aeterno. Nunc amas me sine mensura. Deinceps amabis me sine fine. Ideo tot donis cumulasti me; ideo homo factus et mortuus es pro me.

Jesu Fili Dei! Fili Dei Jesu! quis mihi tribuat, ut moriar pro te, qui prior mortuus es pro me? — Fili Dei Jesu! Jesu Fili Dei! quis mihi tribuat, ut tam ardenter amem te, sicut tu amasti me? — Domine! amplector te ulnis animae meae. Jesus, Amor meus! dulcis Amor meus! suavissimus et unicus Amor meus! — Utinam cor meum incessanter ardeat tui solius amore, Dominus meus et Deus meus! Sincere cupio, semper aliquas pro te molestias pati, tandemque pro gloria nominis tui et prae amoris vehementia mori. En, meipsum offero tibi, Jesu dilectissime! tibi trado totum cor meum, enixe rogans, ut illud acceptes, et a peccatorum maculis purifices sanguine tuo pretiosissimo.

Adauge in me caritatem tuam, dulcissime Hospes animae meae! Combure cor meum igne dilectionis tuae; et virtute hujus sacramenti accende me sacro ardore caritatis tuae. Ecce, paratissimus sum, Amor mi, omnes impendere vires ad majorem tui nominis honorem et gloriam. Tibi soli infinite plus debeo, quam omnibus creaturis. Nihil suavius, nihil jucundius aut desiderabilius esse potest homini, quam sentire dulcissimos amoris tui amplexus. O mi Jesu, qui pro me vitam tuam in patibulo crucis posuisti; bone Jesu, qui hodie teipsum mihi dedisti in cibum: da mihi, quaeso, caritatem perfectissimam, ut te super omnia creata

diligam, et amore tui omnia diligenter agam, omnia libenter patiar.

Largire mihi, Domine, magnum patientiae donum, ut propter te gaudenter sustineam omnes injurias ac contumelias, omnes vitae hujus miserias et incommoditates, omnes corporis et animae afflictiones; ut denique tecum in cruce moriar. Aspectus imaginis crucifixi Redemtoris sit unica consolatio mea in quibuscumque doloribus et aerumnis. Da mihi praeterea donum perseverantiae finalis, ne ullo unquam peccato lethali te offendam, nec de culpis jam admissis lugere desinam. Fac, ut inimicorum insidias effugiam, tentationes fortiter vincam, in via crucis alacriter progrediar, tandemque feliciter illuc perveniam, ubi sine fine amabo te Salvatorem meum. Amen.

SABBATO.

Ex Juda proditore disce: 1) quid sit passio dominans, considerans, quale sit tuum vitium domesticum; 2) quomodo illa excusare vel celare se studeat; 3) quo deducat nisi mature cognoscatur et assidue impugnetur. (Exam. partic.)

PRECES ANTE MISSAM.

Flecto genua mea coram immensa Majestate tua, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus! et adoro te summa qua possum animi submissione ac reverentia. Coram coelo et terra confiteor, me peccatorem esse omnium flagitiosissimum, nec multum abludentem a moribus Judae proditoris, qui Filium tuum unigenitum

pro vili pretio Judaeis vendidit. Indignus ego sacerdos tuus, eximiae dignitatis meae oblitus, quasi alter Judas noxas noxis, negligentias negligentiis cumulavi, neque mortem timens, neque poenam aeternam. Pessimas animi mei affectiones ac cupiditates sequebar, ut impius Judas, externe quidem pietatem simulans, interne vero virtutem ejus abnegans. Intimo compunctus dolore fateor, me turpiter abusum fuisse talentis mihi traditis, et nimis quam ingratum me exhibuisse pro donis tuis, quibus me sacerdotem tuum honorasti prae mille aliis hominibus. Hanc igitur intuens iniquitatem meam vix tantum mihi sumo, ut accedam altare tuum ad immolandam coelestem hostiam.

Quid ergo? an sacrificium propitiatorium (unicum illud salutis meae remedium) omnino praetermittam, et plenissimum gratiarum fontem praeteream? — Absit a me talis diffidentia, qua magis irritatur indignatio tua; absit a me nimia timiditas, qua plus offenditur paterna tua bonitas. Filiali potius cum fiducia confugio, Pater, ad thronum gratiae tuae, suppliciter rogans, ut omnia mihi peccata condones, quae super omnia cetera mala detestor et abominor. Ex amore tui sincere doleo, quod hac hora non sentiam tale peccati odium, nec talem de peccatis dolorem, qualem habere debeo ac cupio. Quapropter oro te, sanctissime Deus, ut infinitum illud odium, quo tu ipse peccatum aversaris, in supplementum illius odii, quod ego habere deberem, acceptare digneris. Et in vicem infiniti doloris, qui mihi deest, offero tibi, bone Pater, innumeros dolores, quos Verbum tuum incarnatum inde a praesepio usque ad mortem crucis sustinuit.

Primus ego inter peccatores, eorundem nomine, offero tibi hodie super altari tuo mirabilem illam man-

suetudinem et patientiam, qua dilectus tuus Filius Judae proditoris improbitatem et Judaeorum injurias toleravit. Offero tibi, misericordissime Pater, in satisfactionem delictorum nostrorum ejusdem Unigeniti tui vitam immaculatam, passionem acerbissimam mortemque ignominiosam. Adhaec obsecro te, praepotens mundi Fabricator, illumina me, meosque proximos omnes, ut suum quilibet domesticum agnoscat vitium, illudque pro viribus exstirpare festinet, priusquam altiores id agat radices. Evelle de cordibus nostris omnem avaritiam (turpissimum illud Iscariotae vitium) et ita evelle, ut nec dominetur nobis, *nec nominetur in nobis, sicut decet sanctos.* Converte tandem illorum corda malignantium, qui, Judae proditoris indolem prae se ferentes, aliorum pietatis officia livido dente carpunt, atque templorum opulentiam altariumque ornatum invidiosis aspiciunt oculis. Fac, Omnipotens, ut ad saniorem illi mentem redeant, *qui* nec egenos nec altaria diligunt, sed haec diripiunt, et illos despiciunt. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Mensam tuam mysticam, dilectissime Jesu, jam iterum adivi, quia vocasti me ad sacerdotium, et invitasti me ad dulcissimum vitae pabulum. Prae mille hominibus elegisti me, Domine, ut diebus singulis missae sacrificium offeram, et sacri convivii tui particeps fiam, ubi *non* panem terrenum, sed teipsum panem vivum mihi praebes manducandum. Adoro te, laudo et magnifico te pro singulari hoc munere, quod mihi toties tribuere dignaris. Utinam me satis gratum praebere possem pro infinito amore tuo. At o me miserum! metus ingens agitat me, dum ex una parte gravissimum officii mei onus, et ex altera summam negligentiam et im-

becillitatem meam considero. Cur non timeam? Cur non totus contremiscam? *Abiit unus de duodecim*, et vendidit te pro modica pecuniae summa: in quo adhuc confidam ego? quo confugiam ego? ubinam securus ero? —

In brachiis tuis, o bone Jesu, tutus ero. Projicio me igitur in sinum misericordiae tuae, vehementer obsecrans, ut me protegas et adjuves. Adhaerebo tibi ceu fulcro spei meae fortissimo. Constanti amore tenebo te, nec dimittam. — Haud leviter succenseo proditori perfido, qui te Magistrum optimum (inaestimabilem thesaurum meum) argenteis triginta vendidit. Pro toto mundo ego non traderem te: neque enim mihi tam vilis es, o Jesu amabilissime, ut quantocunque pretio te vendam. Non argento, non auro, nec omnibus mundi regnis et bonis eorum commutaverim te, qui es Bonum meum unicum, Bonum summum, Bonum incomparabile. Omnem rerum terrenarum cupiditatem e corde meo radicitus exstirpa, ne Judae traditori unquam similis efficiar. Praeter te nihil quaero. Tu solus mihi sufficis, Amor mi suavissime, qui teipsum mihi jam denuo donasti totum ac integrum.

Quid ego retribuam tibi, Domine, pro hac bonitate tua, qua temetipsum nunc integrum mihi dedisti? Quid petis a me, dulcissime Jesu? — Audio vocem tuam intus dicentem mihi: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* — Libenter, libentissime tibi trado cor meum, dummodo vulneres illud tui amore, et ita vulneres, ut diu noctuque te solum cogitem. Pro singulari id beneficio habeo, quod tu Dominus coeli et terrae a me (vilissimo servulo tuo) petas cor meum. En offero tibi pro nunc et semper totum cor meum, summis precibus supplicans, ut illud acceptare et ardentissimo tui

amore succendere digneris. Totus posthac tuus esse volo, tam in tempore quam in aeternitate. Cedat omnis substantia mea quantulacunque, sive in corpore, sive in anima mea, in pretium placiti tibi unguenti. Non gravabor omnia mea impendere pro gloria nominis tui. Murmuret incredulus; tu miserere mei, Deus. Indignetur mihi sectator hujus saeculi; tu parce mihi, Salvator mundi. Videat peccator et irascatur, dentibus suis fremat et tabescat: perinde mihi est, dummodo placeam tibi Domino meo; de ceteris non laboro. — Jesu carissime! cum in domo Simonis leprosi accumberes mensae, recordatus es mortis ac sepulturae tuae, eamque discipulis tuis in memoriam revocasti: fac, ut et ego, sive accumbens mensae, sive incumbens labori, sive decumbens in lecto, semper et ubique reminiscar vicinae mortis ac sepulturae meae, quo magis mihi vilescant omnia transitoria. Assidue mihi ante oculos versetur sepulchrum meum, in quo serius aut citius condetur exanime corpusculum meum. Da, ut memor mortis meae studio indefesso ardua vocationis meae negotia peragam, et te adjuvante ad optatum finem perducam. Amen.

DOMINICA SEPTUAGESIMAE.

Vocatio ad sacerdotium est gratia: 1) ex natura sua praestantissima; 2) ex fine sublimissima; 3) ex mercede pretiosissima.

PRECES ANTE MISSAM.

Omnipotens sempiterne Deus! per sacrificium istud, quod hodie immolabimus, debitas tibi laudes et immor-

tales tribuimus grates pro innumeris et excellentibus beneficiis, quibus Ecclesiam tuam cumulasti, maxime pro illo Agno paschali, quem nobis quotidie comedendum praebes; atque pro mysterio sanguinis Filii tui sub specie vini, symbolice tunc praefigurato, dum Moyses filios Israel salvos deduxit atque incolumes per mare rubrum, velut designans transitum generis humani ad libertatem filiorum tuorum per rubrum et pretiosum Filii tui sanguinem, in sacrificio tam cruento quam incruento fusum. Quapropter te supplices exoramus, Domine sancte Pater, ut animae fideles, quae non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi redemtae sunt, delictorum suorum veniam consequantur, et, post superatas feliciter hujus saeculi procellas, ad optatissimum salutis portum perveniant. Deus omnipotens, qui nobis, ad beatam aeternitatem festinantibus, necessarias praeparasti vires; fac, nos in praesentis vitae stadio sic currere, ut bravium supernae vocationis comprehendamus in Christo Jesu Domino nostro.

Pro paganis etiam et haereticis, pro impiis orthodoxae fidei sectatoribus, qui cum Pharaone hactenus obdurati perstiterunt et obstinati, deprecor clementiam tuam, ut illorum corda immutare ac emollire digneris; ne vastissimum aeternitatis oceanum ingredientes submergantur in profundum quasi lapis, aut quasi plumbum in aquis vehementibus. Benigne, quaeso, respice omnes, qui mei memoriam faciunt in orationibus suis; omnes, qui se indignis precibus meis commendarunt; omnes, qui aliquod mihi caritatis officium praestiterunt; omnes curae meae speciatim commissos, omnes amicos et hostes meos, omnes pauperes et divites, magnates et subditos, fideles et infideles, sanos et aegrotos, vivos et mortuos. Amen.

Ad Christum. Jesu benignissime, qui, abrogatis veteris testamenti sacrificiis, in ultima tua coena novum et incruentum instituisti sacrificium ad perennem amoris tui recordationem: te jam audire videor mihi dicentem: *Tempus prope est: apud te hodie facio Pascha; ubi est diversorium?* — O mi Jesu! quia non dedignaris venire ad me: en paratum cor meum, Deus, paratum cor meum angustum equidem, utpote cor contritum et humiliatum. Veni, Amor mi dulcissime! veni ad me, Rex meus, et Deus meus! — Sed quomodo miserrimus ego peccator audeo, te rursum ad me invitare? — Domine non sum dignus, ut intres sub tecum meum: minime dignus sum ut in corde meo, in domicilio ornamentis vacuo et vitiorum sordibus pleno, divertere digneris. Emunda conscientiam meam ab omni criminum macula, et exorna cor meum virtutibus apostolicis, ut dignum fiat divinae Majestatis tuae diversorium. Praepara tibimet ipse decentem in pectore meo habitationem, ut tuus ego sacerdos, ad sacram mensam comedendo corpus tuum et bibendo sanguinem tuum, non judicium nec mortem, sed vitam potius manducem, et hauriam salutem aeternam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

„Domine Jesu Christe, redemtio mea, salus mea! te laudo, tibi gratias ago, quamvis valde impares tuis beneficiis, quamvis dignae devotionis expertes: tamen qualescumque gratias, sicut potest, persolvit tibi anima mea. O unica Spes cordis mei! compleat potentissima tua benignitas, quod conatur mea tepidissima imbecillitas. Et si nondum merui te tantum amare, quantum debeo, saltem desidero te tantum amare, quantum debeo aut valeo. Domine! ante te omne desiderium

meum, quod et tu donas mihi. Et quia bonum est, ut te velim amare, da etiam, quod me facis velle. Da, ut quantum jubes, tantum te merear amare velle. Gratias tibi ago pro desiderio, quod inspirasti mihi. Perfice, quod coepisti, et dona, quod me desiderare fecisti. Converte, Jesu misericordissime, teporem meum in ferventissimum tui amorem. Ad hoc, Domine, tendit haec deprecatio mea, ut accendas in me tui amorem.“ *S. Anselm.*

Grates tibi habeo maximas, o Jesu carissime, pro ineffabili bonitate tua, qua teipsum, verum agnum paschalem, mihi hodie dedisti comedendum. Utinam magno huic beneficio respondendo essem morum probitate et vitae sanctimonia! Quamvis autem supremum illum perfectionis gradum attingere non valeam, quem anhelo et exopto; attamen pro posse meo conabor ita posthac conversari, sicut debet sacerdotem. Pro gloria nominis tui strenue laborabo, animose certabo, aequanimiter adversa tolerabo. Hac praesertim aetate periculosa, qua ubivis terrarum intoleranda morum licentia vitiorumque barbaries grassatur, antiquae virtutis documenta praebebo ceteris, et exemplo ad pietatem praeibo. Conforta me, bone Jesu, in hac bona voluntate, quam dedisti mihi, ac clementer respice me famulum tuum. Illustra faciem tuam super servum tuum: salvum me fac in misericordia tua.

Jesu Fili Dei! duobus illis discipulis, quibus praeceperas parare Pascha, dixisti: *Introeuntibus vobis in civitatem occurret homo amphoram aquae portans.* Et factum est ita, sicut praedixeras. Exinde colligo, firmiterque credo, quod non solum universa terra divinitatis tuae oculis subjecta sit, sed quod etiam eventus futuri, licet nobis exigui videantur ac casu-

fortuiti, omniscientiae tuae penitus explorati sint atque perspecti. Quidquid de me porro fiet, optime nosti, qui omnia futura prospicis luculenter, et disponis omnia suaviter. O mi Jesu! humiliter adoro et veneror admirandas divinae providentiae tuae vias. Immensae bonitati ac benevolentiae tuae me meosque et omnia mea submississime committo. Age mecum, Domine, quomodocunque placet tibi. Fac, ut omnia, quae mihi contigerint, cedant ad majorem nominis tui gloriam, et ad salutem immortalis animae meae.

Apostoli tui, audito praeparandi Pascha mandato, mox e vestigio *abierunt*, *et fecerunt*, sicut illis constitueras. Eorum obedientia fuit caeca et intrepida. *Da*, ut et ego legitimis superioribus meis similem praestem obedientiam, amore tui, Domine, qui ad aram hodie factus obediens voci meae venisti in manus meas. Nisi enim ad verbum obtemperasses mihi, o Verbum omnipotens, non haberem te nunc in corde meo. Grande proin nefas esset, si obedientiae jugum excuteret homo, cui Deus ipse paret. Largire mihi gratiam tuam, ut in vinea tua strenue laborare pergam juxta vocationem meam; quo magis labore multiplicato crescat et *merces* mea futura in coelo. Amen.

FERIA II.

Christus instituens Eucharistiam „in finem“ dilexit nos, h. e. 1) in finem vitae suae, imo in finem temporis; 2) in finem ratione dilectionis (quia majore diligere non potuit); 3) in finem ratione doni (quia majus tradere non potuit).

PRECES ANTE MISSAM.

Sacrificium omnium excellentissimum, quod tibi, omnipotens Pater ac Creator coeli et terrae, immolamus hodie, gratioso favore prosequere, et suscipe in contestationem nostrae subjectionis in supremum tuum dominium, ad honorem et gloriam nominis tui; nec non in memoriam perennis illius amoris, quo unigenitus Filius tuus in finem usque nos complectens, idem sacrificium incruentum instituit, nobisque carnem suam in cibum, sanguinem suum tribuit in potum. Offerimus tibi hoc sacrificium in gratiarum actionem pro beneficiis tuis omnibus, maxime pro illa praesignata sacrae eucharistiae figura in agno paschali, cujus immolationem in coena legali praemisit Unigenitus tuus, eique substituit incruentum novi testamenti sacrificium jugiter immolandum.

Suscipe, misericors Pater, sacrosanctum hoc altaris mysterium in satisfactionem omnium iniquitatum et negligentiarum nostrarum, quibus in dies offendimus tremendam Majestatem tuam. Humiliter a te veniam deprecamur, simulque rogamus, ut, sicut Filii tui sacrificium tam cruentum quam incruentum, tam crucis quam coenae, dignitate sua infinite superat universas antiquae legis figuras ac ceremonias; ita et nos efficacioribus praevenias auxiliis, ut omni possibili modo nos rite praeparemus ad dignam devotamque hujus sacrificii celebrationem, quo majores inde fructus percipiamus. Memento NN.

Ad Christum. Quam bonus es, Domine Jesu! cum dilexisses tuos, qui erant in mundo, in finem dilexisti eos; in caritate perpetua dilexisti nos. Stupendum altaris mysterium, quod in ultima coena instituisti, quid est, nisi perenne perennis amoris tui memoriale? Certe

mirari satis nequeo magnam dilectionem tuam, quam in hoc sacrificio instituendo declarasti. *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet* te *Judas Iscariotes*, discubuisti tamen ad mensam. Nec proditoris perfidia, nec futurae sacramenti profanationes, nec innumera quae praevidebas sacrilegia te abducere poterant a suscepto amoris tui consilio. Horrendas impiorum injurias pati, quam tuos deserere maluisti. Lubens exposuisti te sceleratorum sacrilegiis, ne dulcissimo praesentiae tuae privares solatio, quos elegisti de mundo. Desiderio desiderasti, pro veteri agno paschali teipsum substituere novum Agnum, inconsumtibilem cibum. Hodieque desiderio desideras habitare in cordibus nostris, quia deliciae tuae sunt esse cum filiis hominum. Non absque grandi miraculo teipsum quasi multiplicas, *ut te* singulis totum dare valeas. O Jesu dulcissime! sicut tu desideras nos pascere sacrosancto tuo corpore et sanguine; ita et ego vehementer desidero, intime conjungi tecum in venerabili sacramento. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus Salvator meus, totus amabilis, totus desiderabilis! Auge in me desiderium istud; confirma fidem meam; erige spem et fiduciam meam; vehementius inflamma caritatem meam, ut magnum hoc amoris tui mysterium decenter tractem. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Abjicio me ad pedes tuos, amantissime Jesu! humillimo corde adoro te, Agnum Dei praesentem ac commorantem in ulnis animae meae. Summopere gaudeo de inexplicabili clementia tua, qua denuo mihi peccacorpus tuum dedisti manducandum, et sanguinem

tuum bibendum. Grates quas valeo maximas ago tibi, Domine Jesu, pro saluberrimo hoc convivio, quo jam iterum misericorditer recreasti vires animae meae. Incomprehensam et perennem tuam in homines benevolentiam merito miratur universa Ecclesia tua. Limitibus caret caritas tua. Tuos, qui sunt in mundo, dilexisti sine principio, diligis sine mensura, diligis sine fine. Quid aliud igitur agere possum, o bone Jesu, quam me coram te humiliare, teque religiosissime adorare? Utinam mihi esset facultas, coram universo mundo proclamandi ac contestandi, quod amor tuus superet omnem hominum et Angelorum intellectum.

Quoniam in finem dilexisti tuos, Domine, ideo tunc desiderio desiderasti illud Pascha manducare cum discipulis tuis, eisque teipsum dare in cibum. Per multa prius saecula Patriarchae et Prophetae adventum tuum lacrymosis desideravere suspiriis, nec motus fuisti. Audisti Vatem regium, virum secundum cor tuum, repetitis precibus ac toto corde precari, ut descenderes *sicut pluvia in vellus;* et remansisti. Propheta tuus evangelicus ad coelos usque magna voce clamavit: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant Justum;* et distulisti. Millenis annis captivas in Limbo patrum animas audisti suspirantes: *Utinam dirumperes coelos et descenderes;* et tardasti. At ubi de instituendo eucharistiae sacramento agebatur, nemine postulante, nemine suspirante, nemine exspectante, nemine cogitante, praevenisti nos misericorditer in tuis desideriis, corde tuo magno et divino dignissimis, ipsemet discipulis dicens: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.*

O stupendum super omnia caritatis miraculum! Voluisti, Domine, semper nobiscum et noster esse usque

ad consummationem saeculi, quin et in omnia saeculorum saecula. Voluisti semper nobiscum et noster esse in tempore ac aeternitate. „Non potuisti nos magis diligere, Domine! Dilexisti nos supra modum, dilexisti nos sine modo; et qui omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti, tamen in diligendo nos et modum et pondus et mensuram excessisti“ [1]. Immensam plane dilectionem ostendis in altaris mysterio, dulcissime Jesu! Quid autem nos? Ah gemens dico: Mundus hic fallax adeo perdite ab hominibus amatur, ut vix ullus sit amor pro te. Plerique mortalium, amore proprio caecati, diligunt vanitatem; et (quod maxime dolendum) multos invenire est fideles catholicos in tua dilectione languentes aut fluctuantes, quos tamen speciali complecteris amore, et novis quotidie beneficiis cumulas.

Cum autem egomet ipse sacerdos tuus, Domine, hactenus adeo languidus fuerim et frigidus in amore tui; nonne promerui mihi anathema illud, quod in omnes Christianos frigidos ac caritatis expertes contorsit Apostolus tuus, dicens: ***Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema?*** Fateor, o bone Jesu, me hucusque non ita respondisse perenni amori tuo, prout debuissem ac potuissem. Jam tempus est, ut emergam ex hoc miserrimo statu languoris. Tempus est, ut incipiam majori caritatis ardore diligere te, qui ab aeterno amasti me. Inflamma, Domine, cor meum, et corda meorum omnium, quorum me saluti oportet inservire; ut in amore tuo singuli maneamus usque in finem.

„Jesu amantissime! Deus optime! tua valeat pro nobis virtus, ne cum tui nominis hostibus gehennae per-

---

[1] S. Thomas a Villanova.

petuo addicamur. Cum misericors sis, tuae nos clementiae praesidio tuere; cum lucis auctor sis, mentem nostram tuae gratiae radiis illustra, ne callida diaboli assentatione capiamur; cum demum sanctus sis, sanctitatem nobis omnibus impertire, ut, qui ad divini tui corporis et sanguinis communionem toties accessimus, per te nos servatos esse intelligentes, in hoc unice incumbamus, ut nostri erga te amoris tibi argumenta minime dubia praebeamus. Amen" [1].

FERIA III.

Jesus discipulorum pedes abluens. Considera: 1) quis hoc fecit? (magister, Dominus, Deus); 2) quid? (munus molestissimum, vilissimum); 3) cui (discipulis, peccatoribus, traditori).

PRECES ANTE MISSAM.

Invitas me ad coenam tuam, o Jesu humilis corde! Magister et Domine! Vocas me ad sacrum convivium, nec habiturum me vitam minaris, nisi manducavero carnem tuam, et bibero sanguinem tuum. At sordidus ego peccator qua fronte ausim accedere ad tremenda mysteria tua? Quo pacto videre te potero in altari jacentem ante me? Ista humilitas tua, Domine, trepidatio mea est. David servus tuus, cum videret Ozam percussum, extimuit vehementer, nec ausus est Dei arcam introducere in domum suam: *Quomodo* (inquiebat) *in-*

[1] S. Ephraem.

gredietur ad me arca Domini? Et tamen ille rex erat sanctissimus, vir secundum cor tuum. Sed ego tot peccatis commaculatus quid dicam? Erubesco levare faciem meam ad te. Iniquitates meae multiplicatae sunt super capillos capitis mei. Quomodo nunc introducam, non arcam Domini, sed ipsum arcae Dominum in domum meam? Non convenit hoc meritis meis. Creaturae omnes temeritatem meam haud injuria coarguere poterunt, si eo audaciae provehar.

Verumtamen, Magister et Domine! magna bonitas tua, quae in ultima coena clarius apparuit, magnam mihi fiduciam praebet. Antequam ibi Apostolos novi testamenti sacerdotio inaugurasti; priusquam eis teipsum panem vivum dedisti manducandum: humiliter abluisti pedes illorum, quo majori puritate ad mensam tuam accumberent. *Ne, quaeso, indigneris, Domine, si loquar.* En ego sacerdos sum totus immundus: ideoque *non tantum pedes meos, sed et manus et caput*, me totum ab integro lava, ut totus sim purus. Utinam oculi mei lacrymarum fontem tibi subministrarent, ad abluenda scelera mea. „Dulcissime et misericordissime Domine Jesu Christe, qui coenans cum amicis tuis pedes eorum lavisti, et deinde corpore et sanguine tuo eos pavisti: animam meam ab omnibus peccatis lava, et eodem corpore et sanguine tuo conforta, ne unquam deficiat“ [1]. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, ut super nivem dealbatus ad coenam tuam purissimam digne accedere merear. Amen.

Ad Patrem. Da nobis, quaesumus, omnipotens Deus, ut ad celebrandum altaris sacrificium modesta et pura

[1] S. Anselm. Cantuar.

mente accedamus, sequentes saluberrimam Unigeniti tui informationem, qui sacrae eucharistiae institutioni praemisit lotionem pedum discipulorum suorum; tacite insinuando, quod tremendam hanc mensam adire non liceat homini, nisi totus sit ab omni scelere purus et humilis corde. Offerimus tibi, Pater, hoc sacrificium in memoriam illius profundissimae humilitatis, qua magister et Dominus noster discipulorum suorum, imo et proditoris pedes lutulentos abluere dignatus est. Respice, bone Pater, dilectum Filium tuum ad lavandos piscatorum pedes inclinatum. Respice in faciem Christi tui, cujus manus etiam nos abluerunt, dum pro nobis sanguinem in cruce fuderunt. Per infinita hujus sacrificii merita largire nobis veram animorum demissionem, ut, quod Dominus servis ac Creator impendit creaturis, non dedignemur exhibere conservis; et sub aliorum pedibus incurvati libenter patiamur injurias nobis illatas. In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine! et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Quonam me nunc deprimere vel inclinare debeo coram te, Domine Jesu, qui olim inclinasti te ad pedes Judae proditoris, et hodie reclinasti te in cor peccatoris? — Cinis ego et pulvis, nefandus ego malefactor, ubi me abscondam a facie tua? quo descendam? quo incurvabo me coram te Domino Deo meo, qui aliquando provolutus in genua lavisti vilium pedes piscatorum? — O mi Jesu! num forsan ibi oblitus es, universi orbem nihil esse nisi scabellum pedum tuorum?

tunc oblitus es, te Deum esse totius creaturae Dominum, quem laudant Angeli, quem adorant Dominationes, cujus in conspectu tremunt Potestates, cujus ad nutum columnae coeli contremiscunt? Num oblitus es tibi, te supremum esse judicem, cujus ante thronum omnes reges et imperatores, omnes principes et magnates, omnes omnino homines judicandi comparebunt? Haud sane: nihilominus abjiciebas te ad discipulorum pedes, certo praenoscens, te ab uno prodendum, ab altero negandum, a ceteris fore deserendum.

Domine Jesu! nec majestatis tuae magnitudinem, nec animi tui demissionem capere valeo. Servorum pedes abluisti, qui magnus es Dominus, qui solem ducis et reducis, lunam portas et reportas, sidera versas et reversas, coelos coelorum volvis atque revolvis. Ad lavandos discipulorum pedes te inclinasti, Magister divine, cujus sapientiae non est numerus, cujus coelesti providentia regitur omnis terra, cujus in arbitrio versantur universa, cujus a nutu pendent omnia, cujus imperio tota rerum universitas obtemperat. — Jesu! Deus abscondite! ergone satis non erat amori tuo, propter nos celasse divinitatis tuae splendorem, et induisse formam servi, quia praecinxisti te linteo, sordidos piscatorum pedes abluturus?

„O humilis sublimitas! o sublimis humilitas! O bone Jesu, qui ad designandam interiorem illam animae lotionem, quam requiro, usque ad lavandos pedes discipulorum tuorum tuam inclinasti altitudinem: lava me, Domine, ut in aeternum habeam partem tecum. Amplius, amplius lava me ab iniquitate mea; ita perfecte me lava, ut nullum peccati vestigium relinquas in me. Lava non solum pedes affectuum meorum, sed etiam manus operum et caput sensuum. Et quoniam anima mea

foedata est valde, pessimas iterans vias suas: lava eam ab omni malitia, ut in ea cogitationes noxiae non morentur.“ *Urban. III. Pap.*

Jesu benignissime, qui Apostolorum pedes abluendo mirandam ostendisti animi submissionem atque modestiam: fac me tuum imitari exemplar, omnemque declinare ambitionem et superbiam, vitium illud abominabile, unde tot mala in orbem redundarunt. Da mihi veram humilitatem, ut omnibus me posthabeam hominibus. „Perditissimi proditoris tui perfidia te non latebat, quando coram ipso procumbens genu flexo maledictos pedes ejus, veloces ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare et extergere dignatus es. Num adhuc extento collo ambulem ego terra et cinis, intuens te, tremendum judicem vivorum atque mortuorum, ante pedes traditoris tui incurvatum?“ *S. Anselm.*

Detestor arrogantiae vitium, dum video te ad lavandos piscatorum pedes inclinatum. Aversor ambitionem, dum aspicio te coeli imperatorem ad pedes militum accidentem. Sordidus terrae vermiculus, qualem me esse profiteor, quid aliud meretur ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus? — En, o Domine mitis! o Magister humilis corde! propono tuis insistere vestigiis, nec tantum me humiliare sub potenti manu tua, sed sub aliorum etiam pedibus me incurvare usque ad pulverem terrae. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me, ut tandem merear in coelo exaltari a te. Amen.

FERIA IV.

Conversio sacerdotis, qui diu vixit in peccatis, rara: 1) Veritates terribiles — ipsum non terrent, utpote usitatae; 2) remedia — ipsi non medentur, utpote per sacrilegia versa in venenum; 3) misericordia Dei — quis ea est indignior?

PRECES ANTE MISSAM.

Rerum omnium opifex sapientissime, Pater aeterne! summa qua par est veneratione offerimus tibi hodie Filium tuum innocentissimum, qui propter nostram salutem non dubitavit manibus tradi nocentium. Ipsum offerimus ad laudem et gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, quae continenter accipimus a paterna manu tua; maxime autem pro illo amore mirabili, quo Unigenitus tuus, Salvator noster, liberrime se pro nobis tradidit in manus peccatorum. Plures equidem inter nos fideles illud Vae terribile promeriti sunt, quod Christus in ultima coena comminatus est traditori suo. Humiliter fatemur iniquitates ac culpas nostras. Parce nobis, clementissime Pater! Averte faciem tuam a peccatis nostris, et respice in faciem Christi tui, Redemtoris nostri, quem ad aram immolamus supremae tuae Majestati in satisfactionem enormium delictorum nostrorum, et ad impetrandam opem tuam divinam, ne rursum in eandem incurramus improbitatem. Largire nobis gratiam emendationis integrae donumque perseverantiae. Bonus es Dominus et Pater misericordiarum, qui non vis mortem impiorum, nec delectaris in perditione morientium. Ut mortui viverent in aeternum, Filium tuum misisti ad tolerandum

crucis supplicium. Cunctos itaque peccatores et minis et blanditiis tuis ad frugem revoca. Allice miseros efficacissima gratiae tuae vi ac suavitate. Trahe nos, Omnipotens! trahe nos ad te, si nos virium moratur imbecillitas, aut nostra nos ignavia retardat. Trahe nos *in vinculis caritatis;* neque enim ad te venire possumus, nisi caritas tua traxerit nos. Memento NN.

Ad Christum. Jesu mi dilecte! proditoris tui perfidiam et obstinationem exhorresco. Non absque magno timore video, quo sensim devolvatur homo peccator, suis irretitus vitiis, sibique soli relictus. Judas infelix audierat te pridem obstinatis denuntiantem civitatibus: *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida!* nec inde flectebatur obduratus illius animus. In ultima coena viderat te procumbentem ad abluendos pedes suos: nec ista demissio tua ferocitatem ipsius mitigavit. Intingens tecum manum in paropside audivit te dicentem: *Vae homini illi, per quem Filius hominis tradetur:* nec tamen a pessimo suo consilio deterreri se passus est. O nefaria obstinatio! — At dum meipsum respicio, proditori similem me invenio. Pravis affectionibus meis saepius quam monitis tuis auscultavi; coelestes instinctus neglexi, caecus ad lumen supernum; surdus ad vocem divinam, minas et blanditias tuas sprevi. Propria me conscientia reum agit innumerabilium noxarum. Quomodo nunc adibo terribilem mensam tuam? Timeo peccator ego participare tremenda mysteria tua. — Miserere mei, bone Jesu, qui venisti in hunc mundum, peccatores salvos facere. Doleo de omnibus peccatis meis. Poenitentem clementer respice, Domine, qui venisti vocare peccatores ad poenitentiam. Ne projicias me a facie tua, sed propitiatus admitte me ad altare tuum; et oblationem hanc unacum sanctissimis operibus

tuis offer aeterno Patri tuo. Junge istud obsequium servitutis meae cum illo sacrificio, quo teipsum ex eminentissima caritate ac obedientia, tam in ultima coena quam in ara crucis, obtulisti Patri tuo. Et quia meritorum inops ego non habeo ex me, quod offeram pro me, succurre paupertati meae, et ex immenso tuorum meritorum thesauro nunc omnem defectum praeparationis meae circa hoc tremendum altaris mysterium clementer adimple. Qui vivis etc.

PRECES POST MISSAM.

O dulcedo cordis mei, o vita animae meae, et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortales tibi gratias ago pro omnibus beneficiis in me collatis, speciatim vero, quia hodie tribuisti mihi sacrosanctum corpus tuum in cibum, et pretiosum sanguinem tuum in potum. O abyssus misericordiae ac caritatis! O Jesu! o bonitas! credo, te realiter in me praesentem esse per hoc memoriale passionis et mortis tuae. Semper ab aeterno amasti me, etiamsi praevideris, me saepius ab officio boni viri discessurum.

„Quot me donis et bonis cumulasti, Domine Jesu! ego vero peccator miserrimus sponte ingratus fui et iniquus. In memoriam mihi revocasti, Optime, mortem et poenas sempiternas: ego autem in tepore meo semper permansi. Heu mihi, Domine Jesu! ultra modum me vitiis inquinavi; proprio me arbitrio perdidi; *infelix* ego graviter deliqui. Heu mihi misero! In tam multis iniquitatibus constitutus, quid primum lugeam, ignoro. Vae mihi, quia peccavi! Ut sancte viverem, promisi; sed quod pollicitus sum, non servavi. Succurre mihi, Deus Salvator meus, antequam mors me praevenial.

Veniat super me misericordia tua, Domine, antequam trahar unacum operantibus iniquitatem. Peccati labe nigrescentem animam meam absterge pretioso sanguine tuo. Miserere mei, Deus meus, et ne despicias me.“ *S. Ephraem.*

Domine Jesu, qui terribile Vae comminatus es traditori tuo: en firmissime nunc propono, juvante gratia tua, sine qua nihil possum, divinis admonitionibus tuis accuratius obtemperare. Contra vitiorum illecebras fortiter dimicabo, peccandi occasiones sollicite vitabo, paratus mori prius, quam peccare: quippe vitam meam, quam gratiam et amicitiam tuam dimittere malo. Dixi: nunc coepi; hac hora, hoc momento meliorem inchoabo vitae rationem. Nunc incipiam timere, vel potius ardentissime diligere te, magno animi fervore laborare pro nominis tui gloria et animarum salute, nec quidquam divinae legi tuae contrarium admittere. Prae oculis semper habebo et tremendam majestatem tuam, et eximiam dignitatem meam.

Sed tibi, Domine Jesu, penitus nota est infirmitas mea. Mutabilis semper et ad malum proclivis est voluntas mea; id quod tristis in dies me docet experientia. Nec est praeter te, qui juvet me. Nisi tu mihi subvenias, actum est de salute mea. En suavissime Jesu! cor meum in manu tua forti. Durum quidem ac velut lapideum est cor meum; attamen non ignoro, quam facile tibi sit, illud emollire ac, quocunque volueris, inclinare. Quapropter oro te, benignissime Redemtor, confige timore tuo carnes meas, ut declinem a malo. Imple amore tuo praecordia mea, ut faciam bonum. Da mihi metum salutarem, qui a peccatis absterreat me; da mihi amorem sanctum, qui ad virtutes stimulet me.

Largire mihi, Domine, gratiam tuam, quae me prae-

veniat, ut bene agam; subsequatur, ne frustra agam; accendat intentionem, qua ad bona opera peragenda inardescam; tribuat efficaciam, qua haec ad perfectum perducere valeam. Avelle mentem meam a rebus caducis; et fac, ut mihi moriar, et tibi vivam. Quandonam totus ero tuus, sicut tu nunc totus es meus? O Jesu amabilissime! te perpetuo possidere cupio. Praeter te nihil quaero, nihil volo, nihil desidero. Tu solus mihi sufficis, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Qui vivis etc.

FERIA V.

Gratitudinem pro institutione sacrificii norae legis ostende: 1) profunda et fervida ss. eucharistiae veneratione (visitatione Ss. etc.); 2) frequente et devota celebratione; 3) procurando, ut fideles missae frequenter et devote intersint, communicent etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Misericordissime Pater! en ego, indignus novae legis sacerdos, humi stratus coram immensa Majestate *tua*, mente submissa rogo, ut istud novi testamenti sacrificium placatus aspicias, et, quod in honorem sanctissimi nominis tui devote celebrare volo, pro infinita bonitate tua clementer intuearis; et suscipias in gratiarum actionem pro ineffabili caritate, qua Redemtor noster, Jesus Christus, Filius tuus et sacerdos secundum ordinem Melchisedech, in ultima coena instituebat admirabile ac plane divinum eucharistiae sacramentum et novae legis sacrificium: pro quo, utpote praecipuo fidei nostrae

mysterio ac pignore futurae gloriae, omnem defero veneration em atque reverentiam, gratias simul agens pro universis beneficiis tuis, quibus Ecclesiam catholicam hucusque tam liberaliter ornare dignatus est.

Pretiosa haec oblatio, quam Unigenitus tuus, de hoc mundo transiturus, in sui commemorationem fieri mandavit, sit tibi acceptabilis, sancte Pater, dum eandem offero in satisfactionem delictorum nostrorum, et ad impetrandam gratiam nobis summopere necessariam. — Id praesertim infimis a te precibus efflagito, ut me, novi testamenti sacerdotem, singulari virtutum decore exornes, quo dignior fiam et aptior ad celebrandum hoc sacrificium omnium sanctissimum. Memento etc.

Ad Christum. Amantissime Jesu, qui in illa nocte tenebricosa, priusquam teipsum offerres in ara crucis immolandum, in novissima coena discipulis tradidisti mysterium corporis et sanguinis tui, *cibus et conviva;* qui novae legis sacrificium secundum ordinem Melchisedech inexplicabili caritate instituisti, ut etiam corporaliter nobiscum maneres usque ad consummationem saeculi: adauge mihi fidem, ut firmiter credam hoc memoriale praecipuum divini amoris tui, quod intellectum hominis longe transscendit. Excita in me, Domine, pia desideria, et vehementer accende omnia interiora mea ad esuriem hujus epuli coelestis. Da, precor, ut ardentissimo caritatis affectu, profunda animi demissione ac integerrima cordis puritate suscipiam te. — O magne Paterfamilias, qui fecisti coenam magnam! per illum amorem infinitum, quo, discessurus ex hoc mundo, tam dulce nobis pabulum reliquisti, supplex oro te, ut, quia me sacerdotem tuum undique peccata mea perturbant, eadem mihi benigne condones, atque tibimet ipse dignam in corde meo habitationem praeparare dig-

neris. Effice per gratiam tuam, o Jesu suavissime, ut anima mea nunc ita sitiat te, ita tui amore langueat, ut aliquando mereatur aeternis in regno tuo deliciis perfrui. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Benignissime Redemtor, Jesu melliflue, qui in *sanctissimo* novae legis sacrificio factus es mihi propitiatio, salus, vita, refectio, medicina, consolatio, fortitudo et protectio: te nunc in pectore meo realiter praesentem adoro, et profundissima veneror humilitate. Te arcte complector, te laudo, te reverenter extollo atque magnifico. Ah Domine! unde hoc mihi misero et tam indigno servo tuo, ut habitare digneris in corde *meo tam* parvo, tam vili, tam immundo? — Video, dulcissime Jesu, et obstupesco singularem tuam in me benevo*len*tiam. Admiror ineffabilem hanc et aeternam tuam erga me caritatem. Pro ingenti hoc beneficio gratum me exhibere conabor hodie et quotidie, et in omni vita mea, semperque deinceps per omnem aeternitatem.

Credo in te, Veritas aeterna! — Spero in te, Clementia interminabilis! — Diligo te, summum Bonum, a quo omnia bona, Verbum summe pulchrum et *amabile*, a quo omnia pulchra et amabilia. Cum tanta et talia tua in me exstent beneficia, ut immensae liberalitati *tuae* respondendo non sim, id unum mihi superest agendum: Amabo te, Domine Jesu, amabo te omni virium contentione. O utinam millena mihi essent corda ad diligendum te! Utinam ipsissimo divino corde tuo te diligere possem! — Amore tui langueo, Salvator amabilissime! Nihil amplius cogitare lubet, nisi te; nihil loqui, nisi de te; nihil pati, nisi pro te; nihil laborare

vel operari, nisi propter te. Tu eris in posterum unicus finis cogitationum mearum, unicus scopus sermonum meorum, unica meta intentionum et actionum mearum.

Trahe me post te, Amor omnipotens, et inclina cor meum ad cor tuum, ita, ut tuum velle aut nolle sit etiam meum velle aut nolle. Indissolubili caritatis vinculo tam arcte me tecum adstringe, ut nihil amplius me a te separare valeat. Adeo vehementem amoris tui flammam excita in praecordiis meis, ut deinceps aliud non diligam in hoc mundo, praeter te unicum cordis mei thesaurum. Da mihi placide requiescere sub umbra dulcissimae caritatis tuae. Fac me leniter obdormire in sinu misericordiae tuae, ibique penitus oblivisci rerum mundanarum, quibus allicior; oblivisci injuriarum, quibus afficior; oblivisci molestiarum et aegritudinum, quibus crucior. Nihil jucundius mihi, dulcius nihil, quam diligere te, mitissime Jesu, qui me semper amasti, semper amas, semperque amabis.

Da mihi nunc (obsecro) suavissimum propitiationis tuae osculum, quo obsignatus ultra nihil amem praeter te. Jure quidem optimo constantem a me petis amorem, eoquod etiam me inter illos novi testamenti sacerdotes assumsisti, quibus in ultima coena mandasti: *Hoc façite in meam commemorationem.* Praesta, bone Jesu, ut sacerdotalem meam dignitatem, ad quam me vocare dignatus es, moribus sanctis excolere satagam, praesertim humilitate, modestia, castitate, patientia, mansuetudine et caritate. Da, ut sanctissimum novae legis sacrificium debita semper reverentia ac pietate in altari offeram, et sacrum viaticum, stupendum illud amoris tui donum, morte mihi appropinquante, puro corde suscipiam, ne excludar a coelesti convivio, quo tuos satiabis perpetuo. Qui vivis etc.

FERIA VI.

Peccatoris: 1) malitia pessima, quia Christus propter peccatum crucifigitur; 2) ingratitudo diabolica, quia Christum crucifixum insectatur; 3) poena atrocissima quia a Christo crucifixo infligetur.

PRECES ANTE MISSAM.

Quia manus tradentis te, Domine Jesu, tecum erat in mensa tua, turbatus es spiritu, aegre ferens sacrilegam ingrati proditoris malitiam atque ruinam. Inclinaveras teipsum ad lavandos ejus pedes; et (ut pie credimus) te panem vivum eidem manducandum dedisti, et, quem Judaeis jamjam vendiderat, sanguinem tuum innocentissimum propinasti bibendum. Is autem post tanta benevolentiae tuae signa permansit in consilio suo pessimo: unde conjectare licet, quare turbatus sis spiritu. — Turbatur etiam spiritus meus, Domine, si mecum recolo delicta juventutis meae; si talem *talium* gratiarum abusum mente revolvo, angustiae me premunt undique. *Anxiatus est super me spiritus meus, et in me turbatum est cor meum.* Propter iniquitates meas *conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde.*

Talis ego peccator quomodo nunc ad divinum mensae tuae convivium accedere ausim? Ut perfidum ac ingratum proditorem a discipulorum tuorum collegio removeres, quasi jubens eum facessere, dixisti: *Quod facis, fac citius.* Fateor, o mi Jesu, promeritus sum excludi a sacra mensa tua, quoties discessi a lege tua. Elegisti me prae millibus; vocasti me ad sacerdotium; ornasti me magnis naturae et gratiae donis. Quid au-

tem ego? Ingratus amori tuo tuorumque immemor beneficiorum absque metu noxas noxis cumulavi. Neque tamen abjecisti me. Gratiae vim sentio, ad meipsum redeo, errorem agnosco, malitiam meam deploro, de gratiarum abusu doleo, somnolentiam excutio, meliora propono, et ab immensa bonitate tua veniam spero. Magna cum fiducia nunc adibo mensam tuam dulcissimam, ut illic accipiam panem Angelorum, vitae pabulum, poculum salutis aeternae, ac coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur.

Ad Patrem. Deus aeterne, Pater benignissime! propitius respice nos indignos famulos tuos, offerentes tibi sacrificium propitiatorium pro vivis atque defunctis. Per virtutem hujus oblationis concede peccatoribus poenitentiae spiritum seriaeque emendationis gratiam, ut abjecta criminum mole festinent redire ad te. Revertentibus dulcissimum paternae miserationis tuae sinum expande, eisque necessarias tribue vires, ut faciant fructus dignos poenitentiae. Ubi abundavit delictum, superabundet gratia tua; ut, sicut hactenus in nobis regnavit peccatum in mortem, ita et gratia tua deinceps in nobis regnet per justitiam in vitam aeternam, ad quam nos vocare dignatus es.

„Passus est Filius tuus ultimam participare coenam cum hoste suo, a quo se noverat continuo esse tradendum. Passus est mitissimus Filius tuus immitem Judam, et sustinuit mansuetus crudelem convivam, qui merito laqueo suo periturus erat, quia de Magistri sanguine cogitaverat. O Dominum patientem! o Agnum inter suas epulas mitem! ejus cibum Judas in ore ferebat, et, quibus eum traderet, persecutores advocabat. Sed Unigenitus tuus, tanquam pia hostia, et immolari se tibi pro nobis patienter permisit, et peccata, quae

mundus commiserat, relaxavit. Quaesumus igitur, omnipotens Deus, ut, qui pro salute nostra se tradi permisit, ipse nos suae gratiae dono locupletet; et qui per buccellam panis suum indicavit proditorem, ipse nos sui panis coelestis perceptione faciat sibi inhaerere." *S. Greg. Magn. P.* Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Peccator ego ingratissimus quo nomine tantam inveni gratiam coram oculis tuis, o bone Jesu, ut adire me permiseris sacram mensam tuam? Jam dudum ego, sicut proditor ille nefandus, merueram paleae instar exsufflari de area tua, et projici a facie tua. Nihilominus ad me venire ac consolari animam meam dignatus es. Totus quantus abripior ineffabili hac caritate tua, Domine! Nunc abundo deliciis in bonitate tua magna nimis. Vix se capit spiritus meus, amoena pacis suavitate perfusus. Concede, precor, amabilissime Jesu, ut anima mea *deliciis affluens et innixa super Dilectum suum*, in silentio meditetur inscrutabile hoc caritatis tuae mysterium. Da etiam animae meae (sicut olim dilecto discipulo tuo) licentiam, recumbendi supra pectus tuum, o Magister omnium mitissime! —

Permitte, Amor mi, ut osculum figam pectori tuo paterno. — Sed quid video? Vulnus hians in latere tuo! Undenam tibi haec plaga? Quis ita transfixit te? — Audio vocem dicentem mihi: *Tu es ille vir, qui hoc mihi vulnus inflixit etc.* Heu! relinquit me animus, vox deficit, abest mihi anima, totus extra me jaceo. — Propria me conscientia reum agit ac convincit, Domine, quod a me et pro me pectus tuum fuerit transfixum, postquam in cruce pro me vitam

posueras. Per istum aperti lateris hiatum inspicio cor tuum amoris igne succensum. Lego ibi singularem ac aeternam tuam in me benevolentiam ac caritatem. Utinam millena pectori tuo dare possem oscula! O cor ardens amantissimi Salvatoris mei! accende cor meum, ut reciproco exardescat amore.

Domine Jesu, qui proditorem tuum indicasti Joanni, non sine magno animi luctu animadverto, crescente in dies nascentium hominum numero crescere pariter impiorum numerum, qui, Judam proditorem imitantes, te subdole tradunt; qui te gravioribus quotidie flagitiis suis offendunt; qui Ecclesiam tuam manifestis afficiunt injuriis ac clandestinis appetunt consiliis; qui religionem nostram novis suis argutiis subvertere moliuntur. — O Jesu suavissime! obsecro te, ut animum meum in fide, spe ac caritate firmiter stabilire digneris, ne pessimis incredulorum exemplis abstractus in avia et devia ruam. Horrendum proditoris lapsum mihi saepius ob oculos pone, quominus desinam meipsum lugere, qui periclitor in aeternum perire. Abunde est, quod defleam; nihil, unde rideam.

Jesu dulcissime! Joannem tuum ideo tam singulari familiaritate dilexisti, quia fuit innocens, castus, sanctus, docilis, mitis et humilis corde, atque discipulus ad omnia verba tua attentissimus. Iisdem me quoque gratiae dotibus exorna, Domine, ut et ego in tuam familiaritatem perveniam. Fac, ut declinem otiosorum consortia hominum, quo intimiorem tecum amicitiam perpetuamque conversationem habeam. Mihi nemo te amicior ac carior est. Nec ullum timeo malum sub praesidio amici tam boni. Calamitate pressus conjicio me in sinum tuum, ibique jam securus exspecto finem miseriarum. In sinu tuo paterno vivere ac mori volo. Su-

pra pectus tuum recumbens in pace in idipsum dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Qui vivis etc.

SABBATO.

Mandatum, quod dedit Christus, diligendi proximum, est „novum“: 1) quoad motiva; 2) quoad extensionem (personas amandas); 3) quoad modum et mensuram („sicut dilexi vos“).

PRECES ANTE MISSAM.

Clementissime Deus, Creator omnipotens, Pater immensae majestatis; qui per praedicationem, passionem ac mortem Unigeniti tui mirum in modum clarificatus es: firmissime credo, te simili modo clarificari per augustissimum novi testamenti sacrificium, quod ipse dilectus Filius tuus, ex hoc mundo transiturus, in ultima coena instituit, et in commemorationem passionis ac mortis suae fieri praecepit. Ideoque indignissimus ego famulus tuus et sacerdos, ad immolandum tibi sacrosanctum altaris sacrificium ordinatus, supplex adoro, laudo et benedico te, atque profundissima animi submissione debitum tibi homagium praesto.

O Ens infinitate majestatis! credo ac profiteor, ob infinitas tuas perfectiones infinitum quoque cultum, amorem et honorem tibi deberi. Accedo igitur ad celebrandum *sacrificium latreuticum*, quo nihil offerri potest tibi acceptius, nec ullum est sacrificium laudis excellentius. Istud tam eximium novae legis sacrificium offerimus tibi, sancte Pater: ipsum videlicet Unigenitum tuum, novum legislatorem nostrum, sub panis et vini

speciebus absconditum. Et hoc sacrificium, quod omnibus veteris testamenti sacrificiis infinite praestantius est, Deus non despicies. Suscipe, quaesumus, hoc infiniti valoris sacrificium in cultum latriae tibi soli debitum, in signum infimae subjectionis nostrae in supremam dominationem tuam.

Tibi offerimus hoc *sacrificium eucharisticum* in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, quae paternae liberalitati tuae debemus; imprimis autem pro stupenda illa caritate, qua Filius tuus praecelsum hoc et venerabile sacramentum instituere, moxque pro nobis ad vincula et opprobria, ad alapas ac contumelias, ad sputa et flagella, ad acerbissimam mortem crucis festinare dignatus est. Offerimus tibi, misericordissime Pater, hoc *sacrificium propitiatorium* in satisfactionem iniquitatum nostrarum, praesertim illarum, quibus caritatem fraternam laesimus, et dilectionis mandatum novum a Christo nobis datum transgressi sumus.

Immolamus denique hoc *sacrificium impetratorium* pro exoranda dilectione tui et proximi. Da nobis, Pater optime, gratiam necessariam, ut deinceps accuratius observemus illud mandatum novum, quod Unigenitus tuus, novus legislator noster, morti proximus nobis omnibus dedit, ut ita diligamus invicem, sicut et ipse dilexit nos. En itaque, Pater noster! eidem mandato ut satisfaciamus, offerimus tibi hanc hostiam sanctam pro universa Ecclesia tua, pro conversione infidelium, haereticorum, et impiorum Christianorum; pro omnibus tentatis, desolatis, viduis, orphanis, afflictis et egenis; pro omnibus aegrotis, moribundis, aut in quocunque periculo corporis vel animae constitutis. Miserere, Pater benignissime, omnium inimicorum nostrorum, qui nos unquam offenderunt ac contristarunt. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Legislator divine! Jesu dulcissime! nihil dubito, quin teipsum nunc vere praesentem habeam in corde meo. Divinitas et humanitas tua jam intra me est, mihique unita intime. O inenarrabile dilectionis sacramentum! Supplex adoro te Dominum et Salvatorem meum. Adoro te Dei Filium a Patre clarificatum. Te novum legislatorem nostrum veneror ac collaudo vilissimus ego terrae vermiculus, discipulorum tuorum minimus, servorum tuorum ultimus. Ex animo tibi gratias ago, Jesu admirabilis, pro grandi beneficio, quod hac hora tribuisti mihi. Sis millies benedictus, desideratissime Hospes animae meae! Utinam tales tibi grates referre possem, quales optimo jure a me reposcis. Interim offerro tibi cunctas illas laudes ac gratiarum actiones, quas unquam hucusque persolverunt et deinceps persolvent omnes sancti Angeli, omnes homines, omnes creaturae in coelo et in terra.

Domine Jesu, qui properans ad mortem crucis, non contentus antiqua caritatis lege, discipulis tuis *mandatum novum* dedisti, ut diligerent se invicem, sicut tu dilexisti eos: mandatum hoc novum posthac ad amussim exequi conabor, ut exinde cognoscant omnes, tuum me esse discipulum. Opitulante gratia tua, quam enixe peto, neminem contristabo, neminem injuriose tractabo, de proximorum vitiis tacebo, nisi correctionis spes me loqui compellat. Te adjuvante moestos solabor, miseros adjuvabo, aegrotos visitabo, pauperes sublevabo, aliorum onera portabo; et pro ratione vocationis et dignitatis meae singulis fratribus meis, etiam minimis, debita caritatis officia praestabo. Sicut tuus te amor

coëgit in cruce mori pro me, ita et ego paratus sum, pro carissimis fratribus meis non pecunias solum ac commoditates meas, sed ipsam etiam vitam meam ponere. Vehementius inflamma, Domine, hunc caritas ardorem in corde meo, ut diligam fratres meos non verbo solum aut lingua, sed opere et veritate.

Filioli! adhuc modicum vobiscum sum; haec dixisti, Domine, cum a discipulis tuis aliquamdiu discedere volebas, iturus ad mortem, et transiturus ad Patrem. *Adhuc modicum vobiscum sum.* „Jesu! Jesu! Dominus meus, et Deus meus! O vita animae meae! o praemium peregrinationis meae! *Modicum* istut fuit valde amarum; in isto *Modico* factus es opprobrium hominum et abjectio plebis; in isto *Modico* percussus es, o Pastor, et dispersae sunt oves; in illo tam amaro *Modico* tu, speciosus forma prae filiis hominum, visus es non habere speciem neque decorem. In illo *Modico* Maria mater tua quam amare dolebat, cum te videret, unicum desiderium suum, in cruce extensum, morti vicinum, imo tandem inclinato capite tradere spiritum?“ [1] *Modicum* illud, o Jesu, et tibi et virgineae Matri tuae amarissimum, utinam etiam mihi tam amarum fiat, ut in isto *Modico* peregrinationis meae semper maneam juxta crucem tuam in spiritu poenitentiae ac compunctione cordis. Tam dulci hodie cibo potuque recreatus alacriter ad solitos vocationis meae labores redeo. *Adhuc modicum*, o mi Jesu! et ex hac lacrymarum valle transibo in illam coelestem patriam, ubi pro modico labore mihi retribues mercedem magnam et requiem aeternam. Amen.

[1] Ogerius Luced.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

Jesus est: 1) „via“ per exemplum (meditare, imitare); 2) „veritas“ in doctrina, promissionibus, comminationibus (crede, spera, time); 3) „vita“ per gratiam et gloriam (desidera, implora, conserva).

PRECES ANTE MISSAM.

Fide firmissima ego et omnes mecum orthodoxi credimus in te, Domine Jesu, Verbum infallibile. Veritas incarnata! credimus omnia, quae nobis revelasti, praecepisti, ac promisisti. Praecipue credimus, in altaris sacramento reipsa te praesentem esse cum adoranda divinitate et humanitate tua. Indubitanter credimus de mirabili hoc mysterio, quidquid de eo per sanctam Ecclesiam tuam credendum nobis proposuisti. Credimus, quae credita et praedicata sunt a duodecim Apostolis; quae credita et conscripta sunt a quatuor Evangelistis; quae credita et tradita sunt a sanctis Patribus et Ecclesiae Doctoribus. Firmiter credimus, quae credita et sanguine confirmata sunt ab innumeris sanctis Martyribus, et quae tot signis stabilita, tot miraculis approbata sunt ab omnipotentia tua. Fallant igitur et fallantur sensus nostri, quod frequens est; obstrepant et blasphement haeretici, quod horrendum est; scandalizentur unacum Capharnaitis omnes Judaei atque pagani, quod deplorandum est: nos tamen Christiani romano-catholici nunquam scandalizabimur, sed integra semper fide adhaerebimus tibi, Domine Jesu Christe! — Et in hac fide progredimur ad aram tuam, ut offeramus ibi temetipsum, per quem et habemus accessum ad Deum. Nemo enim venit ad Patrem, nisi per te, qui es *via, veritas et vita.*

O Jesu, *via* conversationis sanctae, via salutis aeternae! per acerbissimam passionem tuam, cujus ad altare memoriam facimus, hanc a te gratiam suppliciter rogamus, ut in via sanctitatis et justitiae, quam et verbo et exemplo monstrasti nobis, strenue progrediamur; et non declinemus neque ad dexteram, neque ad sinistram, uti hactenus (proh dolor), saepe contigit. ***Erravimus a via veritatis*** (Sap. 5.), ***lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.*** Praesta, quaesumus, Domine Jesu, ut deinceps sequamur exemplum tuum. Fac, ut tuis inhaerentes vestigiis viam virtutis et sanctimoniae, viam crucis et poenitentiae, viam quidem angustam sed securam, indefesse pergamus, donec post te et per te veniamus ad Patrem in patriam.

Jesu, *veritas* aeterna! per virtutem sancti hujus sacrificii humillime tibi supplicamus, ut nos Christianos romano-catholicos in fide altius fundare digneris, ne forte novatorum mendaciis aut incredulorum commentis decipiamur, sed ut permaneamus in fide stabiles et immobiles. Da nobis, amantissime Jesu, ut evangelicas veritates non modo libenter audiamus vel legamus, sed et opere compleamus. Trahe heterodoxos e tenebris ad lucem veritatis, qua collustrati vitiorum et errorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosi valeant pervenire.

Domine Jesu, *vita* animarum nostrarum! te vehementer obsecramus, ut tuae nobis caritatis et gratiae vitam donare digneris, sine qua non solum infirmamur, sed propediem etiam morimur. Libera nos ab aeterna morte. Excita peccatores in profundo nequitiae sepultos. Clama, ne cesses, voce blanditiarum atque minarum, voce inspirationum tuarum, quo citius e morte peccati

ad vitam gratiae, ad vitam transferantur aeternam. O Jesu, via, veritas et vita! miserere illorum, quos per me in viam veritatis et ad vitam immortalem perducere decrevisti. Qui vivis etc.

PRECES POST MISSAM.

Anima mea, Domine, summo exultat gaudio, propter hanc dulcem praesentiam tuam. Magna nunc consolatione fruor, dum in corde habeo, quidquid desiderare valeo. Non est, quod me terreat vel contristet, dilectissime Jesu, nec est, quod ultra perturbet animum meum. Tu es *via, veritas, et vita.* Aberrare nequeo, quamdiu viam teneo. Nec falli possum, qui veritatem arctissime complector; neque aeternam timeo mortem, eoquod ipsissimam possideo vitam. O quam felices sunt, Domine, qui sacrum amoris tui mysterium participant! —

„Tu mihi, Christe Salvator, factus es via vitae ad Patrem ducens. Sola haec via plenum in se gaudium continet, finisque ejus est regnum coelorum. Factus es mihi, Domine Jesu, via vitae et illuminatio, hausique e fonte tuo dona pretiosissima plenus desiderio. Facta est tua gratia in corde servi tui lux atque laetitia, dulcior in ore famuli tui super mel et favum. Quomodo ergo servus tuus, Domine, magnam caritatis tuae dulcedinem silere poterit? Indignum equidem os meum aperui; sed quo pacto lingua mea largitorem talium bonorum pro dignitate laudare et glorificare poterit? Dicam tamen gloriam coelorum Domino, qui famulo suo dona coelestia largitus est. Magnificabo bonitatem tuam, Christe Salvator, neque cessabo laudare misericordiam tuam.“ *S. Ephr.*

„Beatus, qui ubique te ducem habet, Domine Jesu! quia tu es via, veritas, et vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in praemio. Verba vitae aeternae habes;

et nos cognoscimus et credimus, quia tu es Christus, Filius Dei vivi" [1]. Tu es *via* rectissima, quam sequi debeo, si ad Patrem tuum venire desidero. Tu es *veritas* suprema, cui credere debeo, si decipi nolo. Tu es *vita* interminabilis, quam post hanc vitam miserabilem obtinere spero. Parasti mihi locum in domo Patris tui. Accipies me ad te, ut ubi tu es, et ego sim.

„O Jesu! *Vita* vivens, in quo vivunt omnia! vivifica me, non vita carnis sed spiritus, non aliunde, quam de te et in te, ut per te vivam tibi. Nemo vivit, qui non tibi, sed sibi vivit. Quomodo enim sine vita vivere quis dicendus es? Dixisti, melliflue Amor, et verum dixisti: *Ego sum via, veritas, et vita:* via credentium, veritas contemplantium, et vita regnantium. Quos enim eligis, ut regnent in vita aeterna, nunc reples gratia tua: manifestas te illis; illos rapis in te supra se: et jam non sunt in se, sed in te. Vident se non in se, sed in te. Exultant in se, de te, suaviter commorantur extra se, quia sunt in te, jucundiusque manent in te, quam in se. Nec mirum: in te enim, quasi in torrente voluptatis, est omnium deliciarium abundantia, aeternus amoenitatis thesaurus, cunctorumque perpetua fruitio bonorum" [2].

Bone Jesu, unica et tutissima *via* ad Patrem et patriam coelestem! viam iniquitatis amove a me, et trahe me post te in viam justitiae. — *Veritas* divina! loquere mihi; et ubi nunc moraris, in corde meo absconde eloquia tua, ut non peccem tibi. O *Vita* vera et immortalis! vive semper in me per gratiam tuam, et dirige me in via veritatis, ut finita hac peregrinatione vitam aeternam, vitam vere beatam obtinere merear. Amen.

---

[1] S. Bernard. [2] S. Laur. Just.

FERIA II.

Signa amoris erga Deum: 1) gaudium de Deo (libenter cogitare, loqui de Deo, conversari cum Deo); 2) obedientia erga Deum (in peccatis etiam minimis vitandis, praeceptis implendis, passionibus perferendis); 3) zelus pro Deo (ne offendatur, ut gloria ejus promoveatur).

PRECES ANTE MISSAM.

Immaculatam in altari hostiam offerimus tibi hodie, Pater altissime, in contestationem nostrae subjectionis in supremum dominium tuum. Volumus per hanc sanctam oblationem illud denuo praestare homagium, quod tibi Deo ac conservatori nostro debemus; simulque laudem et gratiarum actionem pro beneficiis spiritualibus ac corporalibus, quae ex te omnium bonorum fonte in nos emanarunt; praesertim pro stupenda illa caritate, qua Unigenitus tuus pridie, quam pateretur, instituit inexplicabile corporis et sanguinis sui mysterium, ut etiam corporaliter ad nos venire, et tecum mansionem apud nos facere posset. Offerimus tibi, clementissime Pater, sacrificium istud in plenam satisfactionem pro peccatis nostris, quibus toties offendimus tremendam Majestatem tuam; ad impetranda denique beneficia tua et gratiae auxilia nobis summe necessaria, ut tantas inter rerum acerbitates semper in fide recta, in spe firma, et in caritate tua permaneamus. Equidem indigni sumus, qui talia et tanta impetremus dona. Verumtamen quod miseri nos peccatores non meremur, meretur pretiosus Unigeniti tui sanguis, effusus in ara crucis, et offerendus a nobis super altari tuo. Hanc igitur obla-

tionem, quaesumus, Domine placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Memento etc.

Ad Christum. Suavissime Jesu! venerabile altaris sacramentum instituisti, ut in nobis mansionem faceres. Qui manducat carnem tuam, tuumque sanguinem bibit, in te manet, et tu in eo. Vocas et me ad ineffabile hoc caritatis tuae mysterium, ut manducando hunc cibum, et bibendo hunc potum, maneam in te, et tu in me. O Amor! o dulcis Amor! quis non diligat te? quis non ardeat tui amore? Anathema illi, qui non amat te amorem meum, totum amabilem, totum desiderabilem! O Sapientia aeterna, Domine Jesu, qui diligis diligentes te, veni rursum ad me; nam ex omnibus viribus meis amo te.

„Tu es Deus meus, quem quaero, quem desidero, quem diligo, quem corde et ore confiteor, et qua valeo virtute laudo atque adoro. Anima mea, tui amore succensa, te habere ac inseparabiliter possidere desiderat. Te ergo invoco, Jesu desideratissime! ad te suspiro, tibi inhio: quia nihil mihi dulcius, quam in te delectari de te. Te igitur advoco, te humiliter invito in animam meam. Intra (precor) in eam, ut possideas illam, quam fecisti et redemisti; ut habeam te velut signaculum super cor meum. Tu prior quaesiisti me, ut ego servus tuus te quaererem, quaesitum invenirem, inventum diligerem. Auge desiderium meum, et da mihi, quod desidero. Si cuncta, quae creasti, mihi dederis, non sufficiunt servo tuo, nisi teipsum mihi dederis. Da ergo teipsum mihi, Domine Deus Salvator meus! En diligo te; et utinam ardentius diligam! Tui solius amore teneor, et tui solius desiderio flagro, Domine. Qui vivis.“ *S. Anselm.*

PRECES POST MISSAM.

Ergone te vere habeo in corde meo, dilectissime Jesu? — Ergone sanguis tuus divinus vere circumfluit in venis meis, o Jesu amantissime? — An usque adeo diligis me? me servum omnium indignissimum, me nefandum peccatorem? Ita sane! spero sic atque profiteor. Ex infinito amore factus es cibus immortalis animae meae. O incomprehensibilis dilectio! Vix ultra meipsum capere valeo, captus jucundissima hujus amoris tui admiratione. Venisti ad me, dulcissime Sponse animae meae! Personaliter nunc habitas in pectore meo, Hospes amabilissime!

Quid faciam tibi, o bone Jesu, pro singulari hoc amore tuo? — Scio, quid faciam: te Dominum Deum meum diligam ex tota fortitudine mea. Abrenuntio creaturis, quae abstrahere me possunt a caritate tua. Sicut tu mihi hodie donasti cor tuum mei amantissimum, ita et ego cor meum integrum trado tibi: offero cor pro corde, amorem pro amore, vitam pro vita, sanguinem pro sanguine.

Et quoniam (ut spero) tibi cordi sum, dulcissime Jesu, jam nihil amplius quaero in hoc mundo fallaci. Abunde sufficit mihi dilectio tua, qua nihil suavius, nihil delectabilius invenire est super terram. Infinita caritas tua aegris sanitatem, caecutientibus lumen, moestis laetitiam, ignavis fortitudinem, poenitentibus veniam, mortuis vitam, terricolis coelum largitur. Inflamma, quaeso, magis ac magis cor meum tui amore, ut in omnibus semper faciam voluntatem tuam. Amanti nihil difficile, nedum impossibile, quia fortis ut mors dilectio. Si totum me repleveris caritate tua, Domine, major inde nascetur inter te et me similitudo morum, con-

junctio cordium, unio voluntatum, ita ut aliud ultra non velim, nisi quod tu vis.

Largire mihi gratiam tuam, o Jesu carissime, ut te non tantum diligam verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Scio, Domine, quia *probatio dilectionis exhibitio est operis.* Frequenter mihi revoca in memoriam illa verba tua: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me: et si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Hoc est, quod peto, quod unice cupio: ut nempe, tuo confortatus auxilio, mandata tua diligenter exequar, et sermones tuos accuratissime servem. O benignissime Jesu, qui amas amatores tuos: fac me omnia terrena despicere, et illuc festinare, ubi te perfecte manifestabis diligentibus te. Si fortasse itineris asperitas me fatiget aut terreat, levabo madentes oculos meos ad coelum, ad te, ad Patrem tuum. Cum adeo dulcis atque jucunda mihi sit haec tua praesentia, quamvis oculorum meorum obtutum fugiat: quantum mihi gaudium erit in superna patria, ubi te coram videbo? Jesu dilectissime! suppliciter obsecro te, ut illuc me perducas, ubi te sine fine laudare et diligere possum. Amen.

FERIA III.

Quinam sunt hostes cleri? Praeter caecos nonnullos et fanaticos sunt illi, qui oderunt: 1) pacem et ordinem socialem, quem defendimus; 2) legem christianam (mores) quam inculcamus; 3) veritatem (de inferno etc.) imo ipsum Christum, quem praedicamus. — Quomodo contra hos nos gerere, quid ipsis retribuere debemus?

PRECES ANTE MISSAM.

Pater coelestis, Deus aeterne, Creator omnipotens! tuorum ego servorum minimus atque sacerdotum ultimus accedo nunc ad terribile altare tuum, mysteriis perquam tremendis operaturus. Suscipe, sancte Pater, incruentum hoc sacrificium, quod una mecum orthodoxi fideles offerunt divinae Majestati tuae in testimonium infimae submissionis suae et dependentiae a te; nec non in gratiarum actionem pro inscrutabili misericordia tua, qua dilectum Filium tuum in hunc mundum misisti ad odium mundi, ad impiorum injurias, ad ignominiosam mortem crucis. Tibi grates habemus pro stupenda illa mansuetudine, qua idem Unigenitus tuus, Dominus et Salvator noster, a mundo maligno gratis odio habitus, omnia ludibria, vincula, verbera, sputa, flagella, opprobria et dirissima crucis tormenta pertulit, ut nobis et passionis suae merita, et patientiae daret exempla.

Misericordissime Pater! licet immensam tuam bonitatem et Unigeniti tui propter nos morientis amorem agnoscamus, quotidie tamen (moerens dico) te Deum offendimus, et pro beneficiis tuis injurias rependimus. Ah, bone Pater! fatemur et abominamur ingratitudinem nostram: et quia nos ex nobis infinitae justitiae tuae satisfaciendo non sumus, offerimus tibi admirabilem Filii tui caritatem, obedientiam, humilitatem, mansuetudinem et patientiam, qua ipse pro nobis peccatoribus immane mundi odium ac crudelem Judaeorum invidiam toleravit. Clementer respice venerabilem hanc placationis hostiam, et per infinita Redemtoris nostri merita dimitte nobis debita nostra.

Offerimus tibi, Pater, hoc sacrificium pro impetranda gratia, ut, de Filii tui exemplo, capitale mundi odium

aequanimiter feramus. Conforta Christi tui asseclas, ut gratis odio habiti nunquam animos despondeant. Memor esto verbi ac foederis tui, quod acerbissima Redemtoris morte consignatum est. Tuere singulos Ecclesiae tuae praesules et sacerdotes contra injustum obcaecati mundi odium. Destrue consilia impiorum, qui clerum romano-catholicum oppugnant. Esto nobis placabilis; hominumque corda, in varias sectas misere distracta, in unione fidei pacisque conjuge. Da principibus christianis cor unum animumque impavidum, ut Ecclesiam tuam ab hostium insidiis ac injuriis feliciter prohibeant, ecclesiasticos ordines a nefario mundi odio fortiter protegant, totam rempublicam christianam constantissime defendant, tandemque de fidei hostibus gloriosissime triumphent. Dona nobis pacem perpetuam et optatissimam; ut sine timore (de manu inimicorum nostrorum liberati) serviamus tibi in sanctitate et justitia. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Nunc iterum loquar, o mi Jesu! loquar, et non silebo. Summa defixus admiratione dicam in aure Domini Dei mei: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine!* — Magna profecto et inexplicabilis est dulcedo hujus realis praesentiae tuae, qua mihi jam frui licet, suavissime Jesu! — Singulari semper amore me complexus es, Salvator benignissime! cum enim non essem, creasti me; antequam essem, mortem crucis subiisti pro me; postquam in hunc mundum natus sum, innumeris me cumulasti beneficiis; cum aberrassem longe, longanimiter quaesivisti me; cum invenisses, poenitentem recepisti, nec aliam a me satisfactionem postulasti,

nisi ut diligam te. — Eccur non diligam te, Jesu amantissime? Satis mihi nota est tua in me caritas. Pro me peccatore patienter tolerasti hostile mundi odium, odium illud immane, quod te vinculis ligavit, sputis foedavit, opprobriis saturavit, blasphemiis lacessivit, flagellis laceravit, spinis pupugit, crucis onere pressit, felle potavit, clavis confixit, et tandem in ligno suspensum enecavit. O Jesu! o Amor mi! quare non ex toto corde diligam te, qui talia et tanta pertulisti pro me? —

Ultra omne meritum meum, ultra omnem spem fecisti misericordiam cum servo tuo, Domine, dum me famulum tuum indignissimum adnumerasti sacerdotibus tuis, ut quotidie mihi liberrimus esset aditus ad magnificum divinae mensae tuae convivium. Quid retribuam tibi, Domine, pro singulari hoc beneficio? Non omnibus utique datum est, ut te singulis diebus in manus suas et in corda sua recipiant. An magnum quid erit, si posthac industrie serviam tibi Deo meo, cui omnis creatura servire debet? Coelum et terra, quae ad ministerium meum creasti, praesto sunt, et faciunt quotidie, quaecunque mandasti. Quin et homines et Angelos sanctos ad servitium meum ordinasti. Transscendit haec omnia, quod tu ipse Dominus meus serviveris mihi, dum pro salute animae meae publicum mundi odium, imo crucis supplicium ultro subiisti, atque jam toties te mihi manducandum dedisti. Aequum omnino, jucundum atque honorificum est servire tibi, Domino tam magno, tam potenti, tam bono, tamque munifico.

Jesu amabilissime, Domine gratis odio habite! conforta me servum tuum, ut tui amore odium mundi libenter patiar. Da mihi gratiam et benedictionem tuam, ut omnia salutis obstacula fortiter removeam et feliciter transscendam. Serva me ab omni peccato et a turpis-

simo ingrati animi vitio, ne forsan pro benedictione induam maledictionem, ut olim ingrati Judaei, qui sermonibus odii circumdederunt te, et odio habuerunt te gratis; qui retribuebant tibi mala pro bonis, et odium pro dilectione tua. Fac obsecro, ut vitam tuam (quae continuum erat martyrium) semper prae oculis habeam, quo facilius allevem onera et incommoda loci ubi habito, temporis quo vivo, officii quo fungor, aegritudinis qua laboro, negotiorum quibus in dies implicor. *Non est servus major Domino suo.* Si talia tulisti pro me, cur ego pro te nihil patiar? Oro denique pro Ecclesiae tuae hostibus et sacerdotii osoribus, ut eos ad saniorem mentem, ad frugem reducas. Oro pro inimicis meis, qui odio habuerunt me gratis. Da mihi meisque consacerdotibus, ut iniquum mundi odium patienter feramus amore tui; donec omnes perveniamus in coelestem patriam, ubi te cum Patre et Spiritu sancto laudabimus sine fine. Amen.

FERIA IV.

Quid consolari debet clerum in persecutionibus? 1) quod patimur pro causa sanctissima, justissima, utilissima; 2) exemplum et adjutorium Christi, Apostolorum, sacerdotum; 3) sacrificium quotidianum eucharisticum; 4) victoria certa et praemium sperandum.

PRECES ANTE MISSAM.

Rogamus te, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut benigne suscipias hoc missae sacrificium, quod tibi offerimus ad honorem sanctissimi nominis tui; simulque in

gratiarum actionem, tum pro singulari gratia, qua duodecim Apostolos contra iniquas saeculi persecutiones roborasti, tum pro mirabili dispositione tua, qua Ecclesiam ab illis fundatam sic consolidasti, ut portae inferorum non praevaluerint adversus eam. Nostris etiam his concede temporibus, clementissime Pater, ut subnascentes sectae prius exscindantur, quam latius serpant. Compesce graves Ecclesiae vexationes. Vide calamitatem nostram, Optime Maxime, et miserere nostri. Te quam nos minus latent miseriae, quibus premitur populus tuus; tribulationes, quibus credentium coetus affligitur; impia dogmata, quibus hominum mentes implicantur. Homines ab omni religione alieni locum seditioni quaerunt, et ore et calamo pravae doctrinae suae virus disseminare nituntur. Sunt alii, qui servos tuos exagitando arbitrantur, obsequium se praestare tibi. In miserrimo hoc rerum statu multa (proh dolor!) animarum millia periclitantur in aeternum perire.

Ad te igitur, providentissime Pater, ad te confugimus in his angustiis. Misericordiam tuam suppliciter imploramus, ut nobis parcas atque subvenias in necessitatibus nostris. Quia vero prorsus indigni sumus, qui hanc paternae tuae bonitatis opem sentiamus: saltem ostende nobis, Pater, misericordiam tuam propter temetipsum, et propter merita Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, quem hodie super altare tibi offerimus. Moveat te ad commiserationem amor ille stupendus, qui te permovit, ut Unigenitum tuum mitteres in mundum ad redimendos homines.

Supplicamus etiam tibi, o Rex coeli, pro regibus terrae, pro cunctis optimatibus ac christianis magistratibus, ut des illis tui nominis timorem, veram pacem ac concordiam, et in defendenda religione orthodoxa con-

stantiam. Omnes Christi cultores clementer protege, ut, qua quisque vocatione vocatus est, in ea permaneat. Peccatoribus aperi mentis oculos, ut, videntes salutis suae periculum, absque mora poenitentiam, secundam post naufragium tabulam, arripiant, nec ultra dimittant. Eorum imprimis audi gemitus et preces, quorum mihi cura specialiter incumbit. Animas mihi commissas dirige in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiant, et tota virtute perficiant. Da viris apostolicis et omnibus Romano-catholicis donum patientiae, ne pravorum injuriis turbentur aut transversum agantur. Succure miseris in quacunque calamitate constitutis. Esto consolator afflictorum, pater orphanorum, judex viduarum, et protector omnium sperantium in te. Parce hostibus nostris, eisque gratiam efficacem concede, ut incipiant ex animo diligere te, et proximos suos propter te. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Gestio laetitia magna, Domine Jesu, eoquod te nunc mecum habeo in sinu cordis mei. Haec visitatio, haec praesentia tua dulcissimae mihi consolationi est ac jucunditati. Confido enim de tua bonitate, quod me servis tuis dilectis et electis adnumeraveris. Grates tibi, suavissime Redemtor, qui me famulum tuum, variis pressum aerumnis, tam dulci convivio recreare dignatus es. Adoro te, Domine Jesu! laudo et magnifico te; neque cessabo sive per vitam sive per mortem glorificare te. Utinam pro gloria nominis tui sanguinem meum profundere, ac crudelissimam necem subire possem: nam ex toto corde diligo te, tibique offero me velut holocaustum ad dura et aspera, qualia Apostolis tuis eorum-

que successoribus praedixisti. Nolo reservare me mihi, cui teipsum impendisti totum. Totum me tibi debeo, qui dedisti mihi corpus et sanguinem tuum in hoc sacramento.

Serio firmiterque mecum constitui, Domine Jesu, deinceps cunctis diebus vitae meae omni virium contentione te honorare atque diligere. Fac itaque de me, quidquid volueris. En, ex integro me tibi trado ad beneplacitum tuum. Paratus sum facere, quaecunque mihi praeceperis; paratissimus omnia perpeti, quaecunque mihi adversa immiseris. Felicitatem non quaero aliam, nisi ut a me, per me, et in me divina voluntas tua perfectissime semper adimpleatur. Aliam non peto gratiam, quam ut a me, per me, et in me tui nominis promoveatur honor et gloria.

Amabilissime Jesu! da mihi et omnibus fidei orthodoxae sectatoribus, praesertim illis, quorum de salute mihi cura est; da nobis tui amorem fortem ad superandas tentationes; amorem, qui nec saeculi blanditiis, nec corruptelarum illecebris expugnari possit. Da nobis tui amorem intrepidum omnino atque prudentem, qui nec hostium injuriis nec diaboli praestigiis labefactari queat; amorem promtum et expeditum ad quaevis pro te agenda vel sustinenda. Largire nobis talem diligentiam, aviditatem tantam in divinis sermonibus tuis accurate lectitandis, ut, cum venerit hora tentationis, eorum reminiscamur, quo facilius restinguamus cupiditates. Fac nos rerum terrenarum oblivisci prae magnitudine amoris *tui*, usque adeo, ut de transitoriis nec lugeamus, nec gaudeamus; ut nec prosperis extollamur, nec adversis dejiciamur; nec mundi blandimentis corrumpamur, nec impiorum injuriis concutiamur. Absorbeat mentes nostras ab omnibus, quae sub coelo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui,

ut tibi constanter adhaereamus; ut hic assidua tui memoria, et ibi beata tui visione pascamur. Amen.

FERIA V.

Tempore bacchanalium debet sacerdos: 1) abesse ab ejusmodi oblectationibus; 2) curare, ut absint ab eis fideles ipsi commissi; 3) orare et satisfacere pro iis, qui abesse nolunt, et curare, ut animae piae eadem intentione orent et satisfaciant.

PRECES ANTE MISSAM.

Opifex mundi! Deus omnipotens! Pater Domini nostri Jesu Christi! jam venit hora, ut ingrediar sanctuarium tuum, coelestem oblaturus hostiam. Totus equidem contremisco, si mysterii sanctitatem, meamque simul indignitatem ac vilitatem maximam intueor. Considerans autem infinitam miserationum tuarum multitudinem confidenter accedo altare tuum, ut denuo peragam sanctissimum missae sacrificium. Legatione fungor, o immensa Majestas, missus ab ipsa Ecclesia tua, ut medius stem inter te Deum et populum tuum; ut pro tantis ejusdem necessitatibus subsidium opemque implorem per merita hujus victimae, supra terribilem mensam tuam immolandae.

Quamvis autem populus tuus, clementissime Pater, indignus sit, qui nova quotidie beneficia petat vel accipiat a te: Ecclesia tamen, memor illius certae promissionis, qua dilectus Filius tuus ad passionem exiens spopondit, daturum te nobis, quaecunque petierimus in nomine ipsius; haec Ecclesia tua me ceterosque sacr

dotes constituit, ut tibi sacrificium offeramus pacificum, et a te praesidium omnibus exoptatum impetrare connitamur. Ad propulsandas itaque gravissimas christianae reipublicae calamitates, atque ad obtinendam opem necessariam offerimus tibi propitationis hostiam, ipsum nempe dilectissimum Filium tuum. Quod tantis affligamur miseriis, nos ipsi quidem in culpa sumus, nec ullum promeremur auxilium vel solatium. Juste tam acerbis agitamur incommodis, quia plurimis quotidie obstringimur peccatis.

In hac luctuosa temporum iniquitate nec spem nec animos abjicimus, amantissime Pater! nam ipse Unigenitus tuus ad fiduciam nos erexit, et auxilii promissione solatus est, dicens: ***Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite, et accipietis; ipse enim Pater amat vos.*** En itaque, bone Pater! ***in nomine*** dilectissimi Filii suppliciter petimus nostrorum veniam delictorum, atque remissionem negligentiarum nostrarum. In nomine Mediatoris nostri Jesu Christi rogamus ac petimus, ut in hac orbis terrarum perturbatione, in his quibus jactamur fluctibus, in tantis rerum angustiis plorantis populi tui lacrymas benigne respicias; ut patriam nostram a peste, fame, bello et quovis alio periculo sartam tectam conservare digneris.

Adhaec in nomine Unigeniti tui, Salvatoris nostri pro nobis in cruce mortui, petimus, amantissime Pater, ut his bachanaliorum diebus, quibus homines in omnem vitae licentiam proni esse solent, tuo nos auxilio robores, ne forsan impiorum exemplis ad intemperantiam inducamur, sed ut semper sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo. Serva nos ab insano et inani reproborum gaudio, quo sibi luctum mercantur aeternum. Infunde animis nostris omnium mundi deliciarum nauseam

ac contemtum, ut purae conscientiae laetitiam sentiamus ac consolationem. Denique petimus in nomine Jesu Christi, quem hodie super altari tuo reverenter immolamus, ut protegas nos ab hora tentationis, et ab omni peccandi occasione. Fac, ut unice in te tuoque servitio gaudium nostrum quaeramus, et tandem ad illud gaudium plenum ac coeleste pertingamus, cujus plenitudo nulla inquietudine minuitur, cujus duratio fine caret. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Supplex adoro te, Domine Jesu, suavissime Redemtor; firmiter credo, quia a Deo existi, et venisti in mundum, quaerere et salvum facere, quod perierat. Credo, mi Jesu, te esse Unigenitum Altissimi, Verbum Patris, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Immensum de Immenso; qui sapienter gubernas orbem terrarum, et astra coeli dirigis ac conservas in suo magnifico vereque delectabili splendore. Millena luminaria magna rutilare videntur ante thronum incomprehensae Majestatis tuae. — Et te nunc habeo in corde meo, teipsum intime junctum mihi! — Vix amplius scio, ubi sim. — Jesu! Deus magne, Rex Angelorum, Redemtor hominum, Salvator perditorum, fortitudo laborantium, spes infirmorum, consolatio peregrinantium, merces ac corona triumphantium in coelo! fidei oculis te conspicio praesentem in sinu meo. O visitatio! o benevolentia nunquam sat depraedicanda! —

Quid jam petis a me, Domine Jesu, pro isthoc inaestimabili beneficio? Scio, quid petas: ipsum hoc cor meum (in quo nunc habitas) totum exigis a me. Nihil aequius, suavissime Jesu! en omne, quod sum, in manu

tua! Beatum me reputo, si tuos inter amatores locum invenio. Omnem cordis mei amorem, quin et totum me tibi offero ac consecro. Diligo te Jesum meum ex omnibus viribus meis. Vere felicem me! nam et Pater tuus amat me, quia ego amo te. — Deus amat me. — Quid ultra quaeram in mundo? quid amplius exoptem? Diligor a Patre et Filio: charitas Dei diffusa est in corde meo per Spiritum sanctum atque per cibum et potum divinum, qui datus est mihi.

Ut tuus in me amor semper ardeat, Domine, sollicite vitabo, quae tuam in me caritatem minuere vel extinguere possent. Propono, his diebus, quibus bacchatur hominum temulentia, gulae vitium effugere, neque plus cibi et potus sumere, quam necesse fuerit ad servandas corporis vires. Heluonum conventicula declinabo: *Quia non est consentaneum, ut sint mensae daemoniorum participes, qui divino ac spiritali nutrimento digni sunt habiti* [1]. Nec cum nugatoribus ebriis cachinnabor: *Quia non est consentaneum, ut laetentur in conviviis ridentium, qui recordantur, se peregrinari in valle lacrymarum* [2]. Divino tuo refectus convivio, Domine, nolo commessationibus indulgere: *Quia nefas est, post angelicum et spiritualem cibum satanicas inducere delicias* [3].

Fac itaque, Jesu dulcissime, ut corpus meum (luteum hoc animae ergastulum vermiumque pabulum) terrena quidem dape nutriam, sed cum sobrietate et gratiarum actione. Fac, ne unquam obliviscar, me discipulum esse Crucifixi, ministrumque matris Ecclesiae, lugentis filiorum delicta. Dirige gressus meos in semitis

---

[1] S. Clemens. Alex. [2] Arnob. [3] S. Chrysost.

tuis, ut non moveantur vestigia mea, neque respiciam in vanitates et insanias falsas. Adsiste mihi, Jesu! nam multum inclinatus sum ad exteriora, negligens ad interiora, levis ad risum, durus ad compunctionem, cito distractus, et raro mihi bene collectus. Plura non dico, *quia scis omnia*, *et non opus est tibi*, ut infirmitatem meam tibi multis exponam. Id unum peto, Domine: *Miserere mei.* Da, precor, ut in te et per te pacem habeam firmissimam; fac, me sic transire per bona temporalia, ut non amittam aeterna. Illuc me ducito, ubi vera pax, ubi gaudium plenum ac aeternum. Amen.

FERIA VI.

Sacerdos breviarium recitans habeat intentionem: 1) honorandi Deum; 2) obtemperandi et defendendi Ecclesiam; 3) intercedendi pro animabus commissis; 4) sanctificandi seipsum; 5) speciales et personales, prout necessitas tulerit, addet intentiones.

PRECES ANTE MISSAM.

Venit hora, Pater Domini nostri Jesu Christi, ut ingrediamur sanctuarium tuum ad fundendas preces nostras. Pater! venit hora, hora perquam tremenda, qua divinae Majestati tuae hostiam immolabimus sanctissimam. Venit hora, ut in templo sancto tuo nostrum tibi homagium praestemus, gratias simul acturi pro beneficiis jam acceptis, et supplicaturi pro novis obtinendis. Jam nunc itaque, Deus omnipotens, offerimus tibi hoc missae sacrificium in gratiarum actionem pro ineffabili benigni-

tate tua, qua Filium tuum unigenitum dedisti nobis, et nos eidem Filio tuo, Deo-Homini clarificato, ut daret nobis vitam aeternam. Offerimus tibi, Pater, hanc victimam propitiatoriam in satisfactionem iniquitatum nostrarum, quibus in dies iteratis nova quotidie flagella tuae iracundiae meremur.

„Exaudi, Deus, deprecationem nostram, et propitius esto populo tuo, et converte tribulationem nostram in gaudium, ut viventes benedicamus te Dominum. Deprecamur te, Pater, per omnem misericordiam tuam, ut avertatur ira tua a nobis. Respice de coelo, Altissime, et vide afflictionem populi tui. Exaudi nos, Domine Deus! intende, ne tardaveris. Libera nos in tempore angustiae nostrae. Multa quidem sunt peccata nostra, et tu merito iratus es nobis. Sed supplicamus tibi, Pater amantissime, ut veniat super nos misericordia tua. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et quos hucusque longanimiter tolerasti, nunc omnes ad poenitentiam compunge. Propitiare omnibus fidelibus Christianis; succurre delinquentibus, ut cito se corrigant. Propitiare etiam haereticis et schismaticis, Judaeis atque paganis, ut revertantur a viis suis pessimis: *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*“ *S. Anselm.*

„Aeterne rerum omnium effector Deus! memento, a te animas infidelium, haereticorum, et iniquorum hominum fuisse creatas ad imaginem et similitudinem tuam. Ecce, Domine Deus! in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Pater benignissime, Jesum, dilectum Filium tuum pro animarum salute atrocissimam subiise necem. Noli ultra permittere, ut Filius tuus a tot infidelibus, haereticis et peccatoribus contemnatur, sed precibus Ecclesiae (sanctissimae Filii tui sponsae)

placatus, recordare misericordiae tuae; et oblitus idololatriae, infidelitatis, contumaciae et malitiae illorum, effice, quaesumus, omnipotens Deus, ut ipsi quoque agnoscant, timeant et diligant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum, Dominum nostrum, qui est salus vita et resurrectio nostra; per quem salvati et liberati sumus" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Inveni, quem diligit anima mea: possideo Dominum Deum meum. — Dilectum Jesum meum teneo, nec ultra dimitto. Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus, amor meus. — O mi Jesu carissime! Salvator amabilissime! te habeo nunc in medio cordis mei. In te jam exultat spiritus meus; in te mirifice laetatur anima mea. O Deus cordis mei! quis mihi tribuat, ut in amplexu tuo, in dulcissimo pacis osculo jam laetus moriar?

O Verbum caro factum! Verbum bonum! cur iterum ad hominem peccatorem divertisti? eccur in malevolam animam meam introisti, o Sapientia increata? Quis loquetur potentias Domini? quis enuntiabit misericordias Salvatoris? Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus verus de Deo vero, Filius a Patre mirifice clarificatus. Quid tibi, Rex aeternae gloriae, cum indignissimo hoc famulo tuo, cum miserrimo hoc peccatore? Talis nempe tuus in homines amor est, ut a creaturis nec investigari, nec comprehendi, nec explicari, nec satis digne laudari queat.

---

[1] S. Fr. Xaverius.

Venite, audite, omnes qui timetis Deum; et narrabo, quanta fecit animae meae. Suscepi misericordiam Dei mei in medio templi ejus. Pater optimus maximus ad aram dedit mihi Unigenitum suum, panem vitae in cibum, fontem gratiarum in potum, ut habeam vitam aeternam, vitam immortalem. O res mirabilis! manducavit Dominum pauper servus et humilis. Annuntiate hoc in universa terra, ut omnis spiritus laudet Dominum.

Tibi autem, munificentissime Jesu, quid retribuam pro ineffabili hoc beneficio, quod mihi hodie impertitus es? En offero tibi, Domine, totum cor meum, corpus, et animam meam, universam libertatem meam. Lubens tibi trado memoriam, intellectum ac omnem voluntatem meam. Quidquid sum vel habeo, quidquid accepi de immenso tuae bonitatis thesauro, id omne tibi grate restituo, tuaeque voluntati committo gubernandum. Dispone de me rebusque meis juxta beneplacitum tuum. Si cunctis fortunae bonis evertere me volueris, non repugno. Concede mihi tantummodo amorem tuum unacum inaestimabili gratia tua: et dives sum satis, nec est quod ultra petam. Aliud non quaero nec desidero, quam ut tibi serviam, et serviendo placeam.

Domine Jesu! si mecum cogito, quanta pro me feceris atque pertuleris, non possum non diligere te. Ut ab aeterna morte liberares me, crudele mortis genus tolerasti pro me. Ut vitam mihi impetrares sempiternam, in ara crucis vitam tuam cum sanguine profudisti pro me. Qui talem tibi feci dolorem, meum certe tibi debeo amorem. Tuus in me amor aeternus erat tibi causa doloris: cur non et dolor tuus mihi fons sit aeterni amoris? Diligo te, compatiendo tibi, qui, diligendo me, condoluisti mihi. Dolor tuus non erat sine amore: cur amor meus sit sine dolore? Non fuit dolor

sicut dolor tuus, ergo nec amor sicut amor tuus. Testantur id vulnera tua, quae mihi sunt justa continui doloris et amoris materia.

Jesu dulcissime! imminente hora passionis tuae dixisti ad Patrem: *Ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Effice, precor, ut, quando tempus resolutionis meae institerit, cum Apostolo tuo (*2 Tim. 4.*) confidenter exclamare valeam: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiae.* Fac, o Jesu clarificate, ut pergam instanter orare, in omnibus laborare, bene fungi sacerdotio, et ministerium meum implere ad gloriam tuam et animarum salutem: ut et ego, consummato vitae cursu, coram tribunali tuo rationem redditurus, tibi vere dicere possim: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Amen.

SABBATO.

Ora, sacrifica et ut oretur cura, imprimis: 1) pro Ecclesia ejusque praesulibus; 2) pro sacerdotibus tecum laborantibus; 3) pro animabus tibi commissis (peccatoribus, tentatis, tribulatis); 4) pro conversione infidelium et heterodoxorum; 5) pro patria ejusque necessitatibus.

PRECES ANTE MISSAM.

Accedimus ad aram templi tui, omnipotens Deus, aeterne Pater, ut offeramus tibi dilectissimum Filium tuum, qui, veniens in hunc mundum, manifestavit nomen

tuum hominibus, quos dedisti ei de mundo. Ab eodem aeterno Verbo tuo nos edocti fideles suppliciter adoramus et glorificamus te. Sacrificium hoc latreuticum immolamus in contestationem nostrae a te dependentiae, submississime rogantes, ut illud clementer acceptare digneris. Eandem hostiam omnium sanctissimam offerimus immensae Majestati tuae in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, praesertim pro magno fidei dono, quo nos indignos decorare dignatus es. ***Tui erant*** fideles, quos dedisti Filio tuo, humanae salutis auctori. Inde ab exordio nascentis Ecclesiae nunquam defuere sancti, qui Filio tuo ***crediderunt, et sermonem tuum servaverunt.*** Et nos, benignissime Pater, firmiter credimus, quae revelavit nobis Unigenitus tuus. Verba ejus libenter accipimus, et credimus, quod tu eum miseris ad nos, ut doceret et salvaret nos.

Sed ingrati hucusque fuimus pro singulari hoc beneficio, nec exhibuimus mores nostrae fidei congruentes. Peccavimus, Pater, et malum coram te fecimus. Indigni sumus, qui compareamus ante conspectum tuum; indigni, qui templum ingrediamur ad peragendam rem sacram. Verumtamen, noli sic attendere malitiam nostram, ut obliviscaris paternae bonitatis tuae. Memorare, quae nostra substantia. De limo terrae formasti nos, Omnipotens! En, ***opera manuum tuarum omnes nos:*** et miserationes tuae super omnia opera tua. Spem nostram ponimus in thesauro meritorum Mediatoris nostri, quem tibi offerimus in satisfactionem delictorum nostrorum. Averte faciem tuam a peccatis nostris, optime Pater, et respice in faciem Christi tui, olim e cruce pendentis, et hodie in altari jacentis. Exaudi Filium tuum, advocatum nostrum, qui interpellat pro nobis peccatoribus, et orat pro universo credentium coetu.

Pater misericordiarum! ecce, preces nostras hodie jungimus cum supplicatione Unigeniti tui, etiam atque etiam orantes te, ut miserearis totius reipublicae christianae. Oramus te, ut omnibus Catholicis efficacem tribuas gratiam, ad mores suos ex fidei regulis instituendos. Oramus te, ut omnibus viris apostolicis adsistas, ne vanus sit labor eorum, sed ut finem optatum habeat atque felicem. Largire, quaesumus, tentatis praesidium, pauperibus sustentationem, aegrotis levamen, afflictis patientiam, lugentibus consolationem. *Dona, Domine, virtutem ac tutamentum; malos, quaesumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva: omnia enim potes, et non est qui contradicat tibi; cum enim volueris salvas, et nullus resistit voluntati tuae* [1]: Fac etiam, ut heterodoxi pravas opiniones suas excutiant, seque cum Ecclesia catholica conjungant. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Quam mirabilis est tua in me benevolentia, suavissime Jesu! Ad altare tuum admisisti me famulum tuum negligentem, imo nefandum peccatorem. Fuisti in manibus meis lutulentis; et nunc es in corde meo sordido. Supplex adoro te, Domine Jesu, Unigenite Omnipotentis! Ex imo pectore tibi grates habeo pro summa hac munificentia tua, qua teipsum mihi denuo donasti. Vere bonus, vere misericors es Salvator mundi. Patris tui nomen manifestasti hominibus, quos ipse tibi dedit de mundo. Verba Dei, verba vitae aeternae dedisti credentibus, o Veritas infallibilis, o Redemtor amantissime!

---

[1] Liturg. S. Basilii.

Venisti in mundum, ut doceres nos, quod Deus non solum omnipotens Universi conditor, sed etiam vere Pater sit, in se et ex se proprium habens Filium; et hunc teipsum esse, apertissimis saepe verbis declarasti. Sic clarificasti Patrem tuum; sic manifestasti nobis aeternum amorem tuum.

Spero, dulcissime Jesu, Fili Dei unigenite! spero, me pariter ex illorum esse numero, quos dedit tibi Pater, et quorum pro salute tam efficaciter rogasti. Innumera tua in me beneficia confirmant spem meam. Enimvero bonitas tua nec limitem nec terminum habet. Diligo te, summum Bonum, a quo omnia dulcia trahunt suam dulcedinem, omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia splendida suum splendorem, omnia viventia suam vitam, omnia perfecta suam perfectionem, omnia denique bona suam hauriunt bonitatem. Amo te, bone Jesu! Salvator amabilissime! tecum indissolubili caritatis vinculo constringi desidero. —

Postquam manifestaveras hominibus nomen Patris, ad ejus dexteram ascendisti, relinquens Apostolos in mundo. Et ego adhuc in mundo sum, millenis obnoxius infirmitatibus atque periculis. Adsiste mihi, Domine, ac confirma me in omni bono. „Excita tardidatem meam stimulis gratiae tuae, ut, torpore excusso, tibi corde paratissimo serviam. Fove in me fidem orthodoxam, ferventem, cunctisque virtutibus ornatam; fidem, quae mundum contemnat, coelum anhelet, terrena despiciat, aeterna desideret, et inter quasvis tentationum procellas insuperabilis perseveret.“ *Blosi.*

Largire mihi, Domine, auxilium gratiae tuae, ut omnia vitae praesentis incommoda aequo animo perferam. Conforta me, Jesu benignissime, ut nullo tempore vacillet fiducia mea, continuis impugnata pressuris. Nulla salus

extra te, Salvator, Homo-Deus! in te solo verum invenio solatium, purum gaudium, certum praesidium, tutissimum perfugium. Fac, ut, quamdiu fuero in mundo, mundi oblectamenta respuam, honores fugiam, divitias flocci faciam, nec aliud praeter te sub sole diligam, ut, omnium rerum fluxarum oblitus, tui solius assidue reminiscar.

„Domine Jesu, sine cujus dono humana fragilitas nullatenus subsistere potest; dignare, quaeso, omnibus fidelibus Christianis donare veniam de praesentibus, et cautelam de futuris. Omnem peccandi consuetudinem et occasionem malam a nobis repelle; ac cuncta vitia, in quibus hactenus tibi displicuimus, de cordibus nostris radicitus evelle. Da nobis omnibus virtutem bene operandi, et constantiam in bonis operibus perseverandi. Denique, post hanc miseram et caducam vitam, animas nostras ad vitam perducere digneris aeternam. Qui vivis.“ *S. Coelestin. V. P.*

DOMINICA QUINQUAGESIMAE.

Quid debes consacerdotibus tuis? 1) Benevolentiam sinceram et amicitiam sanctam (quae excludit maliloquium, suspiciones, aemulationes etc.); 2) subsidia orationis, boni exempli, consolationis, laboris etc.; 3) si opus fuerit, correctionem vere fraternam.

PRECES ANTE MISSAM.

Numen praepotens ac misericors! Pater sancte! pro fidelibus vivis atque defunctis nunc legatione fungor apud te, qui ad dignitatem sacerdotii provexisti me.

A me jam omnes exspectant elevationem manuum mearum, sacrificium altaris incruentum. Utinam dirigatur istud sicut incensum in conspectu tuo! Ad aram tuam ibo, Pater sancte, ut ibi nomen sanctum tuum condigne glorificem, atque pro cunctis credentibus tuam gratiam et misericordiam impetrem. Sed quomodo indignus ego sacerdos, undique miseria et iniquitate circumdatus, te Deum laudabo, cum non sit speciosa laus in ore peccatoris? Quomodo pro peccatis alienis intercessor accedam ego, qui de propriis non sum securus? Horresco totus, si propriam inspicio conscientiam. — At ecce, Pater sancte! offero tibi dilectissimum Filium tuum, unicum Mediatorem et advocatum nostrum, qui dignis te modis laudat, et efficaciter interpellat pro nobis. Iste sacerdos et hostia, offerens et oblatio, iste agnus innocentissimus semetipsum sacrificat pro nobis, et infinitas meritorum suorum divitias exhibet tibi pro quibuscunque necessitatibus fidelium, quorum pro salute factus est tibi obediens usque ad mortem, et velut pastor bonus posuit animam suam.

Obsecro te igitur, Pater immensae majestatis, per eximiam illam caritatem, qua Filius tuus, a coena novissima procedens ad passionem suam, tibi commendavit Apostolos suos: da et mihi, et cunctis consacerdotibus meis, ut tremendum ministerium nostrum, cui praeficere nos dignatus es, moribus sanctis diligenter excolere ac honorare satagamus, praesertim caritate, modestia, mansuetudine, continentia, et assidua salutis alienae curatione. Pater sancte! redde nos tales, quales nos tibi vis habere ministros. Effice, precor, ut sanctos imitemur Apostolos; et, spretis mundi deliciis, sanctae conversationis exemplo monstremus, nos de mundo non esse, sed sanctificatos in veritate.

Custodi, Pater, et sanctifica regale tuum sacerdotium. Fac, ut omnes ministri altaris tui decentissime tractent sacrosanctum Christi corpus, vivum illud et adorandum Verbi tui templum; ut digne percipiant eucharistiam, praecipuam illam sanctificationis conciliatricem. Per merita Unigeniti tui, seipsum sacrificantis in ara, tibi supplico, bone Pater, pro omnibus Christianis, ut serves eos a malo, quod hodie dominatur in mundo, ne depraventur illorum exemplis incredulorum, qui laetantur, cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, et ab omni nos adversitate custodi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Fecisti nunc cum servo tuo, Domine, non secundum magnam iniquitatem ejus, sed secundum magnam misericordiam tuam. Venisti rursus ad me, benignissime Salvator! introisti sub tectum meum, et nunc habitas in corde meo. Quid quaeris in me homine pauperculo, quod non habes in coelo? Nullas in me tibi reperis delicias, quia nihil in me praeter miserrimas miserias. Sed nempe tam bonus es Dominus, ut digneris servum tuum visitare languentem, ac consolari lugentem. Ex animo tibi gratias ago, Jesu suavissime! adoro, laudo, et glorifico te, Verbum Patris! simulque suppliciter veniam peto nimiae temeritatis meae, qua denuo conscendere aram, et tremendum ibi mysterium celebrare ausus sum. Ignosce mihi, Domine, quidquid in oblatione hujus sacrificii tam in dicendis quam agendis deliqui, aut forte negligenter ac festinanter pertransivi. Esto mihi propitius, et ex immensa meritorum tuorum abundantia supple negligentias et imperfectiones meas.

Pro Apostolis tuis Patri supplicans dixisti: ***Quos dedisti mihi, custodivi.*** O verba vere plena dulcedinis ac consolationis! Hodieque, mi Jesu, custodis omnes et singulos, quos tibi dedit Pater. Istorum ex numero me simul esse spero. Teipsum itaque custodem habeo, custodem omniscium et omnipotentem, cujus munificentia non minus quam benignitas infinita est. Quotidie visitas et divino epulo recreas animam meam. Semper custodis me ut pupillam oculi tui. Quid timeam adhuc? cur animum despondeam? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, o Custos invictissime! Non est, quod terreat me, si ***brachium Domini*** protegat me. Sub protectione tua, Domine, tranquillam ago vitam. Irruant intus forisque proelia, non trepidabit anima mea, sed inimicorum impetum fortiter sustinebit. Certantem si adjuveris, ***custodiens parvulos Dominus***, quibusvis Ecclesiae hostibus intrepido pede obviam ibo, tuumque me fidelem declarabo ministrum. Utinam et mihi, sicut olim Apostolis tuis, occasionem dares et gratiam, pro fidei veritate supplicium mortis subeundi! Carnifici collum libenter praeberem, omnemque sanguinem meum aequo animo funderem pro te, qui et tuum pro me sanguinem in cruce fudisti, eumque multoties ad aram bibendum mihi dedisti.

Sincerissimum istud martyrii desiderium auge in me et omnibus confratribus meis, amabilissime Jesu! Corrobora nos in fide, spe et caritate. Da nobis sacerdotibus amorem tui, dilectionem proximi, contemtum saeculi. Fac, ut superioribus obediamus, inferioribus subveniamus, inimicis parcamus, amicis consulamus, omnibusque bene cupiamus. Effice precor, ut cupidi-

tatem vincamus austeritate, avaritiam largitate, superbiam humilitate, iracundiam lenitate, et gulam sobrietate. Praesta, ut Apostolorum tuorum vestigiis alacriter insistamus. Redde nos in consiliis prudentes, in adversis patientes, in prosperis modestos, in periculis cautos, in officiis sedulos, in precibus attentos, et in bene coeptis constantes. Doce nos, o Jesu, quam inane quod terrenum, quam grande quod divinum, quam breve quod transitorium, quam stabile quod aeternum. Da nobis omnibus, ut mortem praeveniamus, judicium tuum metuamus, gehennam effugiamus, et gloriam obtineamus coelestem. Amen.

FERIA II.

Sacerdotes concordiam inter se quam maxime servent: 1) ut benedictionem consequantur divinam pro laboribus suis; 2) ut populum aedificent; 3) ut adversariis in impugnationibus suis concordibus resistere valeant.

PRECES ANTE MISSAM.

Hodie rursum ad aram tuam glorificabimus te, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui propter infinitam divinae tuae majestatis excellentiam dignissimus es, ab omnibus creaturis accipere laudem et gloriam. Immolabimus tibi magnum illud catholicae unitatis sacrificium, quod dilectus Filius tuus paulo ante passionem suam instituit, ut, sicut ipse in te est, ita et in nobis esset, et nos omnes unum essemus in te. Eundem Unigenitum tuum, nostrae tecum unitatis vinculum, offerimus in gratiarum actionem pro beneficiis tuis, maxime

pro miranda christianae unitatis perpetuitate, tanquam manifesto Ecclesiae tuae signo. Suscipe, Pater, hoc sacrificium in satisfactionem offensionúm nostrarum quibus et nostram tecum unitatem dissolvimus aut labefactavimus, et amicissimam inter proximos disturbavimus animorum conjunctionem. Per hujus sacrificii merita concede nobis gratiam, ut perfecta posthac caritate tecum ac cum proximis uniti maneamus. Miserere heterodoxorum, eosque propediem e labyrintho errorum ad unitatem Ecclesiae tuae reducito.

„Deus noster, qui panem coelestem, cibum universi mundi, Dominum nostrum Jesum Christum, misisti Redemtorem ac benefactorem sanctificantem nos: benedic huic oblationi, et eam admitte ad supercoeleste altare tuum, nosque conserva insontes et inculpatos in hac sacra tuorum divinorum mysteriorum operatione: quoniam sanctificatum est ac glorificatum venerandum omni ex parte et magnificum nomen tuum. Deus universorum! indignos nos hac hora dignos redde benignissime: ut puri et mundi ab omni dolo ac simulatione, in unum conjungamur pacis ac caritatis vinculo“ [1]. Memento NN.

Ad Christum. „Domine Jesu! suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi hodie in praesentia Angelorum offero; ut sit pro me, et pro cuncto populo tuo in salutem. Omnia peccata mea mihi maxime displicent: nolo ea unquam amplius perpetrare. Dimitte mihi, Deus, dimitte mihi peccata mea, propter nomen sanctum tuum. Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam. Offero

[1] Liturg. S. Jacobi Apost.

quoque tibi omnia pia desideria devotorum, necessitates fratrum omniumque carorum meorum, et eorum, qui mihi vel aliis propter nomen tuum benefecerunt; et qui orationes et missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam saeculo defuncti sint: ut omnes sibi auxilium gratiae tuae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant; et ut omnes, ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas laeti persolvant. Offero etiam tibi preces et hostiam placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt, aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus, quos aliquando contristavi, gravavi et scandalizavi verbis aut factis, scienter vel ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones. Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et disceptationem, et quidquid potest caritatem laedere, et fraternam dilectionem minuere. Miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus; et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui, et ad vitam proficiamus aeternam. Amen." *Imitat. C. l. IV. c. 9.*

PRECES POST MISSAM.

Pedibus tuis advolutus, Domine Jesu, plane indignum me profiteor, qui loquar tecum. Supplex adoro te, Verbum incarnatum, indissolubile vinculum unitatis fidelium! Cur iterum venisti ad me peccatorem miserrimum? Quare nunc habitas in corde vilissimi hominis? Numquid, ut tecum me jungas intimius, ut et ego ratione quadam ineffabili tecum ac cum Patre tuo unum sim?

O mysterium unitatis! o vinculum caritatis! — In optatis est mihi semper tecum esse. Libentissime te mecum habeo: nam tecum mihi nunquam male; sine te mihi nusquam bene.

Suavissime Jesu! dixisti quondam ad Patrem tuum: *Pater! dilexisti eos, sicut et me dilexisti: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* — Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! Patèr coelestis diligit me in te, quoniam et te diligit. O felicem me! Creator omnipotens amat me; coeli terraeque fabricator, totius auctor universi diligit me propter te, qui caritate perpetua dilexisti me. — Jesu, Fili Dei! quid reddam pro dilectione hac omnino gratuita? Quid tibi retribuam pro dulcissimo convivio, quo me hodie refecisti? quid inops ego rependam pro sacro hoc unitatis symbolo, per quod tibi junctus, et *unum* factus sum tecum? Laudabo te in hac et in altera vita. Amabo te in tempore et in aeternitate. Utinam millena haberem corda ad redamandum te, millenas linguas ad glorificandum te, millenas manus ad laborandum pro gloria tua et proximorum salute. Auge mihi saltem corporis et animae vires, quo plura pro te valeam operari, quo duriora pati.

Domine Jesu! fac me tuis semper inhaerere mandatis, et *a te nunquam me separari permittas.* Non cadat in me unquam funesta haec separatio, qua malum atrocius excogitari nequit. Quid est enim *separari a te*, o Verbum Patris, gaudium Angelorum, amator hominum, sponse animarum, vinculum unitatis fidelium, corona sanctorum omnium? *Separari a te*, est aeterna ignominiae labes, totius miseriae colluvies, malorum omnium infelix epitome. *A te separari*, quid est, nisi summo Bono privari, et summo malo re-

pleri? Horrenda disjunctio! Bone Jesu! *a te separari*, gratia et amicitia tua excidere, quid est aliud, quam orcum circumferre, et infamiae notam, execrando cauterio inustam, detestabili cum dedecore secum gestare? *Separari a te*, plus malis omnibus timeo et exhorresco. *Nunquam* me a te séparari permittas, *nunquam* ante mortem, *nunquam* post mortem. Vel ad horam, vel ad momentum a te separari quam triste, quam terribile malum! A caritate tua non separet me tribulatio, non angustia, non periculum, nec persecutio, nec tentatio, neque morbus, neque mors, neque vita.

Jesu, Fili Dei! obsecro te per amorem, quo venisti in hunc mundum; per claritatem, quam dedit tibi Pater; per mortem tuam, qua redemisti me; per vulnera tua, quae accepisti pro me; per caritatem tuam, qua hodie tam arcte me tecum uniisti: per omnia te obtestor, ut *nunquam*, *nunquam*, *nunquam* me a te separari permittas. Orabo, clamabo, clamare non cessabo, quoad vixero, ut *me* opus manuum tuarum, *me* pretium sanguinis tui *nunquam a te separari permittas*, sed illuc me clementer perducas, ubi gloriam ac claritatem tuam videbo non amplius per fidem, non amplius per speculum in aenigmate, non amplius in corpore mortali ac infirmo, sed in coelo, sed in sinu Patris tui, sed in torrente voluptatis, in oceano deliciarum, in regione immortalitatis: ubi tu semper in me, et ego semper in te manebo; ubi omnes sancti tecum et in te *unum* erunt, et *unum* sine fine permanebunt. Amen.

FERIA III.

Jesus egressus est in montem Olivarum: 1) quia sciebat, ibi se captum iri — noli declinare occasiones patiendi; 2) ex consuetudine ut oraret — ita te praepara ad passionem; 3) ut in horto inciperet redemtio, sicut in horto inceperat peccatum — ita tu adhibe poenitentiam in eo, in quo peccasti.

PRECES ANTE MISSAM.

Licet innumerabilium negligentiarum atque noxarum reus sim, de tua tamen confidens misericordia, Pater omnipotens, sempiterne Deus, immolabo nunc adorandae Majestati tuae sacrificium corporis et sanguinis D. N. J. C. idque jam facere cupio tanto devotionis affectu et amoris desiderio, quanto id unquam obtulerunt sancti tui tecum modo regnantes in coelis, aut quotidie offerunt piissimi servi tui degentes adhuc in terris. Offerimus tibi, Pater, augustissimum altaris mysterium, in unione illius stupendae benignitatis tuae, qua propter aberrantium iniquitates ovium percussisti pastorem nobis missum, proprium nempe Filium tuum, qui lubens in se suscepit peccata nostra; in unione similiter immensae caritatis, qua idem Unigenitus tuus pro nobis a te percuti se permisit, et properans ad passionem sanctissimum altaris sacramentum instituit. Pro mirabili hoc amore, pro ingenti hoc beneficio debitas tibi grates referimus.

Dolore cruciamur acerbissimo, quoties ingratos subit animos nostros memoria criminum, quibus identidem offendimus infinitam bonitatem tuam. Sed ecce, clementissime Pater! in plenam satisfactionem delictorum nostrorum immolamus tibi hostiam sanctam, Agnum mitis-

simum, unigenitum Filium tuum, qui propter peccata populi atrocibus injuriis, opprobriis, flagellis, spinis vexatus, *et cum iniquis deputatus est;* qui, sponte cum Apostolis egressus in montem Olivarum, intrepido pede festinavit ad passionem, et tandem e crucis arbore pendens, inclinato capite pro nobis emisit spiritum.

Eandem offerimus victimam tibi gratissimam, Pater sancte, pro impetranda nobis necessaria gratia, ut sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo. Fragilitatis nostrae memores oramus te, ne patiaris nos tentari supra id, quod possumus; sed facias cum tentatione proventum gratiae, ut possimus sustinere. Adesto nobis fidelibus, o Deus fortis! *Omnes nos scandalum patimur in ista nocte* gentilismi ac Pyrrhonismi, qua milleni homines mille modis sollicitantur et trahuntur ad ruinam. O Lumen immensum! mentis nostrae oculos latius aperi, ut hostium laqueos videamus, saluti nostrae prospiciamus, et alienis eruditi lapsibus anxie fugiamus pericula, neque altum sapiamus, sed timeamus in his, quibus jactamur, tentationum fluctibus. Fac, ut declinemus arrogantiam, oblocutionem et temeritatem. Quodsi satanas expetit nos, ut cribret sicut triticum: audi Filium tuum in altari pro nobis rogantem, ut non deficiat fides nostra, ut non vacillet spes nostra, ut non tepescat caritas nostra. Adjuva nos, optime Pater, ne satanae fallaciis circumventi pereamus, sed ut bonum certamen certantes, consummato vitae cursu, repositas nobis in coelo coronas accipiamus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Te nunc reapse habeo praesentem in corde meo, Domine Jesu, Pastor bone, graviter olim percusse prop-

ter oves tuas! Ita prorsus, tu ipse, qui post erogatam discipulis in ultima coena eucharistiam, *hymno dicto*, egressus in montem Olivarum, inchoasti passionis mysterium; tu personaliter habitas in sinu meo. — O beneficium singulare! Venite, sancti Angeli! venite omnes electi Dei! magnificate Dominum mecum: in hymnis et canticis confitemini illi. *Hymnum cantemus Domino* (Judith. 16.) *hymnum novum cantemus Deo nostro: Adonai Domine! magnus es tu, et praeclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest.* — Bone Jesu! Princeps pastorum! ultro voluisti pro ovibus tuis percuti, crucifigi, necari. Quis talem non miretur amorem? — Supplex adoro te, laudo et glorifico te, omnemque fiduciam meam pono in te, Domine, qui nobis in sanctissimo corpore et sanguine tuo tribuis coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur.

Amantissime Jesu! tuere me meosque omnes, ne depravemur corruptelarum illecebris, neque deducamur ab amore virtutis. Sine speciali gratia tua non possumus effugere manus inimicorum nostrorum. Tuo solius auxilio evadere valemus. Adsiste nobis, ovibus tuis, o Pastor et Adjutor fortis! hodierna praesertim die, vel potius *in hac nocte*, qua filii hujus saeculi laetantur et exultant in rebus pessimis. Ne sinas nos mundi blanditiis cedere aut succumbere. Humana fragilitas nostra tibi quam nobis longe notior est. O Jesu misericors! adjuva nos in certamine, quo fatigamur quotidie. Facilis erit nobis victoria, si tua nos confortaverit gratia.

Imprimis obsecro te, o Salus periclitantium, ut mihi famulo tuo, mihi sacerdoti tuo et Ecclesiae ministro succurras, ne forte dignitatis meae oblitus ad indigna me dimittam. Noli me mihi relinquere, sed esto mihi comes atque defensor in omnibus viis meis. „Exaudi,

Domine, deprecationem meam, ne deficiat anima mea sub disciplina tua, neque deficiam in confitendo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me a viis meis pessimis: ut dulcescas mihi super omnes seductiones quas sequebar; ut diligam te validissime, et amplectar manum tuam totis praecordiis meis, et eruas me ab omni tentatione usque in finem." *S. Aug.*

Vita hominis super terram quid est, nisi militia, nisi lucta, nisi tentatio assidua? Fac itaque, Fili Dei, ut tentatio mihi sit ad disciplinam, non ad ruinem; ad meritum, non ad interitum. *Custodi me, Domine, a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.* Respuo vana impiorum oblectamenta. Desidero potius tecum pati, tecum crucifigi, tecum mori. Paratum me nunc existimo, in mortem ire pro honore tuo. Percute me plagis, modo me robores auxiliis. In laboribus ac calamitatibus meis id unum desidero, ut diligas me. Praeter amorem tuum nihil aliud peto. Amor tuus mihi *satis est.* Amen.

FERIA IV. CINERUM.

Considera orationis Jesu in horto: 1) causam — ut se confortaret (en medium contra tristitiam!) 2) praeparationem — in loco remoto, situ humillimo etc.; 3) modum — confidentiam, sui abnegationem, constantiam.

PRECES ANTE MISSAM.

Debita animi submissione pulvis ego et cinis adoro te, Domine Jesu, Fili Dei unigenite! *Tanquam mo-*

mentum staterae, sic est ante te orbis terrarum (Sap. 11.), *et tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram.* Propter scelus populi tui contristatus ibas in montem Olivarum, oraturus ibi *secundum consuetudinem tuam.* Ibo et ego sacerdos indignus ad altare tuum propter scelus populi. Illuc ibo hodie *secundum consuetudinem*, non autem ex mera consuetudine; sed te donante vadam illuc ardentissimo caritatis desiderio, memor illius tristitiae, quam pro nobis tunc sponte subiisti. In horto, Domine, coepisti contristari, quoniam et in horto primus homo coepit peccare. Moerore magno tuus affligebatur spiritus illa hora, qua, cunctas hominum iniquitates uno velut obtutu conspiciens, easdem ultro suscepisti, satisfacturus pro illis. Praevidebas ibi, quae toleraturus eras, tormenta dirissima, vincula, sputa, flagella, spinas, crucem, clavos, et reliqua crudelitatis instrumenta, quae pro excruciando et enecando te jam erant parata.

Ad terribilem hunc et criminum nostrorum et plagarum tuarum aspectum videre mihi videor anhelare pectus tuum, palpitare cor, horrescere animum, pavere spiritum, et expallescere vultum tuum. — Quale spectaculum! — Tristis erat anima tua usque ad mortem. Et ego illius tristitiae tuae pondus summopere cumulavi per flagitia mea, tibique mihique notissima. Eccur non et anima mea nunc tristis est usque ad mortem? Utinam prae doloris vehementia mori possem! Clementer respice me, poenitentem ac confugientem ad thronum misericordiae tuae. Fateor culpam meam, et oro te per illam ingentem tristitiam, quam illic subiisti: Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Tristis eras in horto Oliveti per tres horas, ne meipsum lamentari deberem in loco tormentorum per infinita saecula. Nec-

dum satis: in cruce pro me pendebas per tres itidem horas, ibique tandem maximos inter dolores exspirabas. Super haec omnia rursus ad dulcissimum mensae tuae convivium invitas me servum tuum, qui sum miser homo, nefandus peccator, Adae filius, pulvis et cinis. Domine! non sum dignus tali beneficio. Pavere incipio, dum majestatem tuam considero. Totus contremisco, dum et parvitatem et pravitatem meam intueor. Quia tamen a me in altaris sacrificio immolari vis, confidenter ibo ad aram, ut offeram te Patri tuo.

Ad Patrem. Sacrificio huic intende, quaesumus, Pater omnipotens, quod tibi offerimus in signum nostrae subjectionis in tuum supremum dominum; nec non in gratiarum actionem pro beneficiis tuis; in satisfactionem quoque delictorum nostrorum; in memoriam passionis Filii tui, praesertim tristitiae, quam ipse propter nos subiit in horto Oliveti. Denique offerimus tibi sacrificium istud ad impetrandam gratiam tuam, ut a pusillanimitate spiritus, a vano mortis timore, a ferali tristitia liberemur. Fac etiam, justissime Pater, ut de peccatis nostris semper doleamus, praesertim his diebus Quadragesimae. Converte nos, Deus, ut convertamur ad te in toto corde, in jejunio, in fletu, in planctu. Praesta, ut jejuniorum veneranda solemnia et congrua pietate suscipiamus, et secura devotione percurramus. Da nobis, cum his mysteriis tibi sic offerre corporis abstinentiae primitias, ut Majestati tuae contriti cordis sacrificio placeamus; et oratio nostra, jejunii adjuta praesidio, ad thronum tuae clementiae ascendat. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Mecum et in me est Dominus meus et Deus meus, *sub quo curvantur, qui portant orbem: quantus ergo sum ego* (Job. 9.) *ut loquar verbis meis cum eo?* In spiritu humilitatis et in animo contrito, humi stratus, *loquar ad Dominum meum* (Gen. 18.), *cum sim pulvis et cinis.* Laudo te, bone Jesu! adoro te praesentem in corde meo. Grates tibi ago pro hac bonitate tua, qua pretiosum corpus et sanguinem tuum mihi dedisti in cibum et potum. — Liceat mihi nunc interrogare, Domine Jesu: Cur initio passionis tuae usque adeo pavere ac contristari coepisti? Unde tibi pavor iste, o Fortitudo Martyrum? unde lethalis tristitia tibi, o Gaudium Angelorum? Oblatus es utique quia ipse voluisti. Quis nostrum non paveat, si tu paves, Domine, cujus ad nutum pavent omnia? Quis non exhorrescat ad mortis aspectum, si tu Victor mortis morte appropiante sic trepidas? — Sed benedictus sis in aeternum, o Jesu! Mortis pavorem subiisti propter me. De meo isthaec habuisti, non de tuo. Fac me sentire moerorem illum, quem in horto Oliveti propter me sponte sustinuisti, ut et ego semper lugeam peccata mea. Recordare, Domine, illarum angustiarum, quae velut inundantes aquae tunc intraverunt usque ad animam tuam. Memento luctae illius acerbae, qua tibi cum morte conflictandum fuit in illa tristissima nocte.

Erit forsan brevi, cum et ego perveniam ad horam vitae ultimam; erit cum et ego campum certaminis ingrediar, ut cum morte congrediar. Quid tunc fiet de me, Domine? Ah! ibi subsistere non potero, nisi tu adjuveris me, Dux pugnantium! Interim ope tua suffultus

animum haud demitto, *modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* O Gaudium electorum! libera me a moerore nimio, a perniciosa saeculi tristitia, quae mortem operatur. Illam peto tristitiam sanctam, quae poenitentiam operatur in salutem stabilem. Fac, ut unice lugeam timeamque peccatum, malum illud terribile, quod ad luctum ducit aeternum. In hac lacrymarum valle contristari mihi satius est, quam laetari cum filiis hujus saeculi. Magis eligo affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem.

O Jesu suavissime! da mihi, et omnibus, pro quibus orare debeo, gratiam tuam, ut quadragesimalis jejunii tempus acceptabile, dies salutis, sancto pietatis ardore nunc incipiamus, ac indefesso virtutis studio percurramus. Da, ut his diebus sacris negligentias aliorum temporum diluamus, et festinemus, per bona opera thesaurizare nobis meritorum thesauros in coelo. Auxiliare nobis, Salvator, ut spem inter et metum operemur salutem nostram, nec cessemus peccata propria et aliena plangere, veniamque deprecari cum Propheta (Daniel 9.) *in jejuniis, sacco, et cinere:* donec illuc pertingamus, ubi daturus es nobis *coronam pro cinere* (Isai. 61.), *oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris.* Amen.

FERIA V.

Causae sanguinei sudoris: 1) Ingens animae tristitia ob cruciatus omnes et singulos praevisos; 2) horrenda peccatorum luendorum sarcina; 3) praevisa tot millium hominum damnatio.

PRECES ANTE MISSAM.

Unigenite Fili Dei, Salvator mundi, mirandum nobis spectaculum in Olivarum horto praebuisti. Ad taedium usque moestus, ad tremorem usque pavidus, ad mortem usque tristis, a discipulis avulsus, curvasti genua, et in faciem procidens super terram lamentabili voce clamasti: *Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste.* Sed cum videres, nihil remittere Patrem de rigore sententiae, adeo crevit tristitia tua, ut *agoniae* vocabulo, cum aptius haud inveniretur, expressa sit. Insolita haec humanitatis tuae lucta sanguineum tibi sudorem elicuit. Amor tuus erat carnifex tuus, *Judaeis* saevior, crudelior ethnicis. Nondum aderant hostes, nondum vincula, nondum flagella, nondum spinae ac *clavi* ferrei; et totus jam sudore sanguineo madebas. O fortis amor, qui tam cruentum sudorem e corpore tuo velut e botro expressit! —

Longe tamen fortior est illa dilectio tua, quae corpus et sanguinem tuum nobis offert in cibum et potum. An iterum accedam ego sacerdotum indignissimus ad altare tuum? O mi Jesu! tibi nota sunt omnia *peccata* mea, quae tunc in horto lethalem tibi sudorem expresserunt. Eccur non opto, ut vivum me tellus deglutiat, dum video, te sudare sanguinem ob illa, in quibus erubescit anima mea? Sincerissime jam doleo de malitia mea: et utinam prae doloris vehementia sudorem sanguineum, aut sanguineas saltem lacrymas fundere possem! Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, ut diu noctuque defleam cordis mei caecitatem usque ad caecitatem oculorum? Esto mihi propitius, o Jesu! condona mihi praeterita. Serio constitui mecum, emendare mores meos. At indigeo gratia tua et pane vitae aeternae. Vadam

igitur ad sacram mensam tuam, ut illic reficiam languentem animam meam. Da precor, ut tremenda haec mysteria rite conficiam. Amen.

Ad Patrem. Clementissime Pater, qui propter hominum iniquitates amarum passionis calicem dilecto Filio tuo dedisti bibendum: recordare, quaesumus, agoniae illius acerbissimae, quam Unigenitus tuus in forma servi, in habitu peccatoris, propter delicta nostra sustinuit, sudore sanguineo perfusus. En, optime Pater! nos quoque nefandi peccatores, super terram prostrati juxta Filium tuum, offerimus tibi hoc missae sacrificium in gratiarum actionem pro illa caritate, qua idem Unigenitus tuus, paternae voluntati tuae obsecutus, passionis calicem lubens acceptavit. Conjungimus preces nostras cum ipsius precibus, implorantes auxilium, ut animis semper parati simus, ex tua voluntate cunctas exhaurire amaritudines atque molestias. Per virtutem hujus sacrificii clementer remove, quidquid extremam aliquando agoniam nostram aggravare posset. Da nobis patientiam in aegritudine mentis et corporis, 'et fac, ut in morbo lethali sublevemur, et in passione Filii tui respiremus. Miserere Christianorum hodie agonizantium. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Jesu dilectissime, consolator moerentium, qui propter abominanda crimina mea illic in Olivarum horto lethalem subiisti agoniam: adoro te corde submisso, et debitas tibi habeo grates pro mirabili hac caritate tua, qua indigno mihi famulo tuo facultatem tribuisti, sanctissimum corpus et sanguinem tuum ad aram offerendi atque sumendi. Quam bonus es Dominus! Infinito amori tuo satis non est, jam semel in horto et in patibulo

crucis pro me defluxisse sanguinem tuum, ideoque toties eundem mihi bibendum praebes. O amor! o immensus amor, qui nunquam dicit: Sufficit! —

„Animae tuae tristitiam, quam in monte Oliveti ex imminente passione sponte assumsisti, palam profiteri non erubuisti, dicens: ***Tristis est anima mea usque ad mortem.*** Positis quoque genibus procidisti in faciem tuam, orans in agonia, et dicens: ***Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste.*** Et tristissimi cordis tui angustias indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine, Jesu Christe! undenam animae tuae haec tam vehemens tristitia? unde tanti sudoris expressio et tam anxia supplicatio? Nonne voluntarium omnino Patri sacrificium obtulisti, et *omnia* sponte pertulisti? Utique, Domine! Verum et hoc quoque ad consolationem infirmorum servorum tuorum assumsisti, ne forte desperet quis, si caro infirma remurmuret, cum tamen ad passionem promtus est spiritus. Atque, ut majores erga te amoris stimulos haberemus, naturalem carnis infirmitatem in te hujusmodi indiciis expressisti, quibus doceremur, quia vere languores nostros ipse portasti, et non absque doloris sensu passionum sentes percurristi.“ *S. Anselm.*

Amantissime Jesu! sudore sanguineo te fuisse perfusum non miror, dum mecum perpendo, quanta sit injuria, incarnatum Creatoris Filium a creaturis ligari, accusari, conspui, flagellari, ludificari, crucifigi, blasphemari, enecari. Haec omnia, quae praevidebas in horto, tam graviter urgebant et premebant te, ut factus fuerit sudor tuus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. O Sponse sanguinum, qui nunc in corde meo habitas, amplius lava me ab iniquitate mea: sanguis

tuus sit super me, et super animam meam! — Jesu patientissime, qui tunc in monte Olivarum, oratione tua semel ac iterum abrupta, reversus ad discipulos, eosdem ad orationis studium excitasti: doce me, non ita propriae devotioni atque saluti meae intendere curam, ut aliorum salutem negligam. Iterum iterumque abiisti et orasti, tertio eundem sermonem dicens: ut discerem a te, frequenter ad preces redire, praesertim in arduis, in dubiis, in periculis, in angustiis atque pressuris.

Denique amarum passionis calicem prior bibisti medicus, ne bibere timeret aegrotus. Clamavit equidem pavor tuus: *Transeat a me calix iste;* sed illico reclamavit amor tuus: *Pater mi! fiat voluntas tua.* O mirum certamen pavorem inter et amorem! o felix genus humanum, quia vicit amor! — Domine Jesu! fac, ut et ego, animatus exemplo tuo, calicem passionis accipiam, et ad fundum usque constanter exhauriam. Quando venerit hora, qua in lecto doloris jacebo sudore lethali perfusus: tunc conforta me sacro viatico morientium. Porro, quocunque demum modo cum morte mihi luctandum fuerit, nihil moror, dummodo in amicitia et gratia tua decedam. Sive mitius sive acerbius agoniae genus subeundum mihi sit, perinde est; ad utrumque paratus sum: *Fiat voluntas tua.* Quodsi forte providentia tua difficiliorem mihi luctam et graviorem mortis angorem constituerit: fiat, fiat. Amen.

FERIA VI.

Considera Judae osculantis (et in eo sacerdotis sacrilege celebrantis): 1) ingratitudinem turpissimam;

2) hypocrisim impudentissimam; 3) impietatem perfidissimam; 4) crimen damnosissimum.

PRECES ANTE MISSAM.

O Jesu mitissime, magister amoris et patientiae! *ecce, appropinquavit hora,* qua denuo tradendus es in manus peccatoris, sed peccatoris poenitentis, suamque lugentis ignaviam. Ah! quomodo accedam ego, discipulus tam malus ad magistrum tam bonum, talis servus ad talem Dominum? In angustiis sum maximis, dum appropinquat hora, qua unigenitum Dei Filium super altari offerre, ac corde meo velut hospitio recipere cogito. Terribile momentum! tremenda hora! — Imo vero exoptata hora! momentum felicissimum! Confidenter accedam ad te, Domine Jesu, Salvator mundi! non enim venisti vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam. Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Accedam igitur in spiritu humilitatis et in animo contrito ad aram tuam, ut ibi temetipsum, coelestem placationis hostiam, pro peccatis meis offeram Patri tuo. Noli me repellere ab altari tuo. Saepius equidem id merui: fateor culpam meam, veniamque supplex deprecor.

Domine Jesu! frequenter illud mihi visus es exprobrare, quod olim exprobrabas traditori tuo, dicens: *Amice! ad quid venisti?* Providentiae tuae beneficio ego veni ad sublime sacerdotium, ut tibi servirem, et egregie munus meum obirem; ad hoc veni, ut pro gloria nominis tui gravia quaeque libenti animo subirem; ad hoc veni, ut omni studio tam propriae quam aliorum saluti invigilarem. Id optimo jure poteras exspectare a talentis quae obtinui, a subsidiis quae accepi, a votis quae feci, a promissis quae iteravi, a fervore quo coepi. Verumtamen, o mi Deus! in amplissimo sacerdotii gradu

non resplendui virtutibus, sed in vitiis et languore jacui. Haud secus, ac ingratus ille proditor, tuorum ego beneficiorum et obligationum mearum immemor offendi te: proin ego, sicut ille, fui perfidiosus, foedifragus, et ingratus erga te benefactorem meum optimum. Haec omnia si mecum reputo, timeo sacris operari. — Attamen cum probe sciam, te Judae proditori nec amici nomen nec osculum denegasse, animum resumo, et propius accedo ad te.

Infinita misericordia tua, Domine Jesu, ad spem et fiduciam me tam potenter excitat, ut audeam a te petere, non modo criminum meorum veniam, nec tantum quod habes, sed totum etiam, quod ipse es. Peto, suavissime Redemtor, ut temetipsum mihi dones integrum. Esurio sanctissimam carnem tuam, o Princeps pacis! Sitio pretiosum sanguinem tuum, non ut Judas cum cohorte sua; sed ideo calicem salutaris accipiam, ut bibendo sanguinem tuum restinguam sitim languentis animae meae, quae te diligit, quae te anhelat, quae tecum intime conjungi desiderat. Quis mihi dabit, ut inveniam te, et deosculer te? Avidissime cupio amplexari et osculari te, non ut proditor perfidus, sed ut amicus amicum. Bone Jesu! ne permittas, ut impio te recipiam osculo in altaris sacramento: fac potius, ut te congrua devotione suscipiam, et sincero caritatis affectu complectar. Domine Jesu, qui proditorem tuum amice tractasti: en, amore tui jam ignosco inimicis meis, enixe rogans, ut me meosque omnes ita roborare digneris, ne de hostium improbitate conqueramur, nec ultionem meditemur. Ad frugem reducito falsos fratres nostros hominesque sacrilegos, qui per indignam eucharistiae sumtionem perfida tibi figunt oscula. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Ave dulcissime Jesu! — millies ave, Deus pacis et dilectionis! — Ignosce mihi temeritatem istam, qua te corde meo suscipere ausus sum. Vereor respicere tremendam majestatem tuam, o Fili Dei! Non audeo levare oculos meos ad te, nedum os ori admovere, et osculum figere labiis tuis. Id unum a te peto, Domine, ut liceat mihi peccatori, positis in terra genibus exosculari sacra pedum tuorum vulnera. O mi Jesu! supplex adoro te, revera praesentem in praecordiis meis.

Sed iterum audio te dicentem mihi: *Amice! ad quid venisti?* Ad hoc veni, Domine, ut ab infinita benignitate tua impetrem augmentum gratiae et caritatis tuae; ad hoc veni, ut, sanctissimo corpore et sanguine tuo refectus, gravissima vocationis meae munia leviori brachio exequi valeam. Ideo veni ad mensam tuam, quia dixisti: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Vides utique labores, quibus oneratus sum; nosti pericula, quibus undique cingor, nec ignoras inimicorum meorum incursiones, quibus saepissime vexor. Horrendus proditoris Judae lapsus justa mihi causa est, cum metu et tremore salutem meam operandi. Eccur non timeam, considerans, quam misere ceciderit unus ex duodecim Apostolis tuis? Sustine ac corrobora me fragilem, o Jesu fortissime! In te confidit anima mea, qui non deseris sperantes in te. Ecce, Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo.

„Quam promtus fuerit spiritus tuus, bone Jesu, ad passionem, evidenter ostendisti, quando venientibus unacum proditore tuo viris sanguinum, quaerentibus animam tuam, ultro occurristi, et signo, quod a duce fla-

gitii acceperant, teipsum manifestasti. Nam accedentem ad osculum oris tui cruentam bestiam aversatus non es, sed os tuum, in quo dolus inventus non est, ori, quod abundavit malitia, dulciter applicuisti. O innocens Agnus Dei! quid tibi, et lupo illi? Sed et hoc benignitatis tuae erat, Domine Jesu, ut omnia illi exhiberes, quae pravi cordis pertinaciam emollire potuissent. Nam et veteris amicitiae illum commonuisti, dicens: *Amice! ad quid venisti?* et horrore sceleris sui ferire voluisti cor impii, cum ei diceres: *Juda! osculo Filium hominis tradis?*" *S. Anselm.*

Quoties attente recogito, quam parum abfuerim a Judae nequitia, dolor mihi lacrymas exprimit. Agnosco et deploro caecitatem atque malitiam meam, qua promissa fefelli, vota fregi, fidem datam violavi, et legem tuam calcavi. Deinceps alius ero, vitia declinabo, virtutibus operam dabo. Te ergo supplex obsecro, dilectissime Jesu! recipe me poenitentem; admitte me nunc ad suavissimum pacis osculum. Ardenti caritatis affectu complector te, amicum meum summe bonum. Adhaeret anima mea post te. Tecum semper esse desidero. Tecum habeo omnia, o Deus meus et Omnia! Fac me strenue laborare ac certare pro te, qui tam multa fecisti et tulisti pro me, velut amicus pro amico. Quodsi me videas in bono tepescere, cum emphasi mihi succlama: *Ad quid venisti? amice! ad quid venisti?* Denique hanc duplicem a te gratiam rogo: ne unquam per communionem sacrilegam perfidum tibi figam osculum; dein, ut in hora mortis me sacro viatico munias, quo securius in hoc ultimo pacis osculo moriar. Amen.

SABBATO.

Fugae Apostolorum considerentur: 1) causa (nimia confidentia, defectus fidei, vigilantiae, sui amor, timor etc.); 2) turpitudo; 3) Christi erga discipulos ingratos clementia.

PRECES ANTE MISSAM.

Fulgore terrificae majestatis tuae perculsus humique prostratus adoro te, Domine Jesu Christe! Indubitanter credo, quod sis verus et unigenitus Dei Filius, ineffabile Verbum Patris, Rex coeli et terrae, Angelorum Dominus, Homo-Deus, cujus in nomine omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum. Quis non timeat te, magne Deus? Armati milites, qui nocte illa missi fuerant ad capiendum te, cum audissent ex ore tuo magnum illud verbum, ***Ego sum***, omnes retrorsum ceciderunt in terram. Cur ego miser peccator ad te propius accedere non timeam? In nomine tuo etiam innumera paganorum idola corruerunt unacum fanis suis, eisque successere templa et altaria fidelium tuorum, ubi quotidie sanctissimum missae sacrificium offertur aeterno Patri tuo. Sed num iterum ad aram tuam progrediar ego sacerdos indignus? Juste quidem trepido, sive te, sive me considero. Attamen, quemadmodum torvos satellites illos dejecisti in terram dicendo, ***Ego sum;*** ita e contrario discipulorum quondam in mari periclitantium animos erexisti, dicendo: ***Confidite, Ego sum, nolite timere.*** Confisus itaque clementia tua, Domine, accedo altare tuum, eoque confidentius ad te propero, quo ardentius te diligo. Si furibundae cohortis illius audaciam reprimere voluisses, id difficile tibi non

fuisset, o Jesu omnipotens, qui potes universum mundum uno nutu delere. At fortis ut mors dilectio vicit ac coëgit te, ut traderes teipsum potestati tenebrarum. Jam pridem et me potuisses uno nutu delere, vel in gehennam projicere a facie tua: semper autem mihi pepercisti, quin etiam innumera mihi beneficia tribuisti. Necdum satis: hodie rursum me admittis ad dulcissimum sacrae mensae tuae convivium. Emunda cor meum, ne illuc indignus accedam; et qui sanasti vulnus inimici tui, da mihi sincerum fraternitatis amorem, quem si habuero, minime gravabor ignoscere omnibus inimicis meis, et tibi ad aram supplicare pro singulis mihi adversantibus. Amen.

Ad Patrem. Auxilientur nobis, amantissime Pater, divina haec mysteria, quae nunc adorandae Majestati tuae ad aram offerre intendimus, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, praesertim vero pro stupenda illa caritate, qua unigenitus Filius tuus seipsum propter nos tradidit potestati tenebrarum. Immolamus tibi hanc victimam sanctam in memoriam illius eximiae mansuetudinis, qua dilectus Filius tuus abscissam persecutoris aurem sanavit, Apostolorum fugam pertulit, funibusque se ligari et in urbem abduci permisit, ut passionis calicem, quem dediști ei, ad fundum usque biberet in salutem nostram. Per eandem Unigeniti tui caritatem, et per infinita hujus sacrificii merita rogamus te, clementissime Pater, ne iracundiam animis nostris, neque potestatem tenebrarum dominari permittas Ecclesiae tuae. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Domine Jesu Christe! num ergo revera te praesentem habeo in praecordiis meis? — Numquid tu es

aeternum aeterni Patris Verbum, unigenitus Dei Filius, qui creasti coelum, formasti terram, plasmasti hominem, et universa gubernas? *Ego sum.* — Nonne tu es ille Messias, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis, quem per quadraginta saecula omnes Patriarchae et Prophetae desideriis exspectarunt ardentissimis? *Ego sum.* — Numquid tu es Jesus Nazarenus, Deus et homo, hominumque Salvator, qui temetipsum pro nobis sponte tradidisti potestati tenebrarum ad illudendum, ad flagellandum, ad crucifigendum? *Ego sum.* — Et tu personaliter nunc in medio cordis mei? O me longe feliciorem omnibus Patriarchis atque Prophetis! o multo me beatiorem cunctis regibus antiquae legis! Nam illi tantummodo te venturum credebant, praenuntiabant, exspectabant, videre cupiebant: ego autem te realiter in me praesentem amplector ulnis animae meae.

Certa, et qua nulla potest esse certior, fide credo, te *Jesum Nazarenum* reipsa praesentem esse in altaris mysterio, et nunc in pectore meo. Profunda, et qua nulla potest esse profundior, animi demissione te adoro et obsecro, ut a nimio timore me liberare digneris. In omni periculo, praesertim in hora tentationis, dic animae meae: *Salus tua ego sum.* Ad milites illos dixisti: *Si me quaeritis, sinite hos abire;* ac si diceres: *Me ligate, me conspuite, me flagellate, me crucifigite, me trucidate; hos autem discipulos meos sinite illaesos abire.* Ubi, mi Jesu, discipuli tui talem merebantur curam? Dum antea tristis eras usque ad mortem, non solabantur te; dum lethali sudore perfusus in agonia jacebas, in utramque aurem illi dormiebant. Et tamen paulo post factus es eorum advocatus, clamans: *Sinite hos abire.*

„Quis audiat sine gemitu, qualiter in illa hora crudeles manus tibi injecerunt Judaei; et innocentes manus tuas, bone Jesu, vinculis constringentes, te Agnum mitissimum, adinstar latronis, contumeliose pertraxerunt ad victimam? Sed nec tunc misericordiam tuam super inimicos tuos distillare favus dulcedinis tuae cessavit. Nam et mutilatam inimici aurem sanasti; et discipuli te defendentis zelum a laesione te trahentium compescuisti. O quam pertinax illorum furor, quem nec majestas miraculi, nec gratia beneficii confringere potuit!“ *S. Anselm.*

Jesu dulcissime! *omnes* discipuli tui (te relicto in manibus hostium) *fugerunt;* et *tunc* quidem fugerunt, cum maxime debuissent ostendere suam in magistrum reverentiam, in Dominum fidelitatem, in amicum constantiam, in patrem amorem. Cum mensae accumberes in ultima coena, aderant omnes. Postea dum coepisti contristari, adhuc tres tecum erant. Tandem cum esses in manibus hostium, *omnes fugerunt.* Fac, Domine, ut ego ad mortem usque tibi constanter adhaeream, et in adversis idem mihi dicam, quod Petro dixisti: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Conforta me, bone Jesu, ut nec tribulatio nec angustia me possit separare a caritate tua. Mane semper mecum, et tunc praecipue, quando, relictus ab omnibus, jacebo in lecto doloris, quando sudabit frons, pallescet vultus, caligabunt oculi, frigebunt manus, et anhelabit pectus meum; tunc, quando angustiae mihi erunt undique, ne deseras me, sed sacro viatico et auxilio tuo mihi adesto, quo felicior sit peregrinationis meae finis.

Die XXX. Novemb.

S. ANDREAE APOST.

Ut Feria VI. intra Hebd. II. post Epiphan.

Die VIII. Decemb.

IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. V. M.

1) Maria libera a peccatis, et tamen poenitens; nos pleni peccatis, et ubi poenitentia? 2) Maria libera a periculo peccati, et tamen vigilans; nos periculis et tentationibus undique pressi, et ubi vigilantia? 3) Maria plena gratia, et tamen humilis; nos pauperes, et tamen superbi.

PRECES ANTE MISSAM.

Coram coelo et terra profiteor, Pater omnipotens, aeterne Deus, quia magna sunt opera tua, nimis profundae cogitationes tuae, et miserationes tuae super omnia opera tua. Cum protoparentes nostri legem tuam transgressi luctuosam inde mortem cum universa posteritate sua commeruissent, noluisti nobiscum agere secundum rigorem justitiae tuae, sed clementer egisti nobiscum secundum multitudinem miserationum tuarum. Ab aeterno cogitasti super nos cogitationes pacis, et non afflictionis, consilia redemtionis, non sententiam damnationis. Inde ab aeterno cogitasti de nobis erigendis post lapsum, et decrevisti mittere dilectum Filium tuum in terras, ut ipse naturam humanam adsumeret, atque

pro peccatis nostris dignam infinitae justitiae tuae praestaret satisfactionem.

Eapropter, optime Pater! ubi venit plenitudo temporis, quod ab initio praefinieras, ut in eo nobis exhiberes misericordiam, elegisti Mariam, ut esset tui Filii mater, eamque statim in exordio conceptionis suae praeparasti et ita sanctificasti, ut suo tempore dignum fieret Unigenito tuo habitaculum. Propterea Virginem illam non solum ab originali peccato praeservasti, sed eximiis etiam gratiarum donis exornasti, ut ista novi foederis Arca fieret digna, in se gestare coeleste illud Manna, panem vivum de coelo venturum.

„Omnipotens aeterne Deus, Pater misericordíarum! ecce, sacram mensam Filii tui Jesu Christi accedo, corpus et sanguinem ejus percepturus. Venio tanquam aegrotus ad vitae medicum, immundus ad misericordiae fontem, caecus ad aeterni splendorem luminis, pauper et egenus ad coeli terraeque Dominum, nudus ad Regem gloriae. Oro te igitur, inexhausta Misericordia! sana et salva benignus infirmitatem meam; lava et emunda immunditiam meam; dita paupertatem meam, ut panem Angelorum, Regem regum, tanta cum reverentia, contritione et dilectione, fide et puritate, illa animi demissione ac humilitate, illo emendationis proposito percipiam, ut animae meae salutem exinde crescere et augeri sentiam. Eja, benignissime Pater! da mihi digne suscipere sacrum corpus Filii tui Jesu Christi, quod ipse quondam ex purissima Virginis Matris carne sibi adsumserat: ut etiam mystici ipsius corporis, Ecclesiae, membris insitus ego donis sancti Spiritus replear et dirigar. O Pater benignissime! da, ut dilectum Filium tuum, quem nunc in vita peregrinus sub sacramento absconditum percipere cupio, tandem

in coelesti patria civis factus eundem facie ad faciem merear videre ac contemplari“ [1]. Memento NN.

Ad B. V. Mariam. „Salve, legis ac gratiae Mediatrix, veteris novique testamenti obsignatio! Salve, Arca sanctificationis, portans Christum, coeleste illud manna, orbisque christiani immortalem escam. Benedicta tu in mulieribus, per quam credentes clamant: *Benedictus, qui venit in nomine Domini!* Salve, factum a Deo tabernaculum, in quod Deus ac primus Pontifex ingressus est, ut in te arcana ratione munus sacrum pro nobis omnibus obiret“ [2]. „O Virgo Maria! hac hora intercede pro me, qui, si unquam alias, maxime nunc protectione tua indigeo. Quoniam enim prorsus impuritas sum, et tamen ad tremenda Filii tui mysteria venire cupio, totis artubus contremisco propter intolerabilem multitudinem iniquitatum mearum. Talibus adhaerescens malis ad rem divinissimam accedere vereor. Verum, quid agam, o Domina magna? Indigne particeps factus mysteriorum tremendorum, gravissimas exspecto poenas subire. Expers vero illorum permanens, multumque propriam indignitatem extendens, earumdem castigationum etiam hoc pacto reus fio. Angustiae mihi undique sunt. Ideoque ad te confugio, o Deipara! Commoveantur viscera misericordiae tuae erga me, et a Filio tuo remissionem exposce peccatorum meorum. Amen.“ *S. Ephr.*

PRECES POST MISSAM.

Abundo jam dulci gaudio, quia mecum habeo Jesum, unicum amorem meum. — Exultat spiritus meus in

[1] Jo. Fab. precat. christ. [2] S. Andreas Cretens.

Deo Salvatore meo. — Unde hoc mihi, o Jesu delectabilis, ut iterum ad me venire dignatus sis? O Verbum ex Maria Virgine caro factum! quid tibi retribuam pro hac constanti benevolentia tua, qua teipsum mihi denuo dedisti manducandum? „Gratias ago tibi, clementissime Redemtor animarum nostrarum, quoniam praesenti hac die coelestibus mysteriis dignum me fecisti. Dirige viam meam, serva me in timore tuo; tuere vitam meam, et gressus meos firma per intercessionem sanctae Genitricis tuae semperque Virginis Mariae“ [1].

Suavissime Jesu! opitulare mihi famulo tuo nimium infirmo, ut amplissimo munere meo secundum voluntatem tuam egregie perfungar. Scio, Domine, quam grave sit officium sacerdotum, quorum manibus te quotidie committis in altaris mysterio. Agnosco singularem tuam in me benignitatem atque munificentiam: verum pariter agnosco et optime perspicio, mearum id esse partium, ut donis tuis bene utar ad gloriam tuam et animarum salutem Peto igitur a te gratiam necessariam, maxime caritatem ardentiorem, ut officium meum integre praestare, sacra mysteria digne tractare, aliisque rite ministrare valeam.

„O dulcissime Jesu! clementissime Domine! o Jesu, Fili intemeratae Virginis Mariae! verus Deus, plenus misericordia! te oro per sanguinem tuum pretiosum, quem pro me in ara crucis fudisti: aufer a me omnes iniquitates meas, nec contemtum me rejice, qui tibi humiliter supplico, et nomen tuum sacratissimum toties invoco. O mitissime Jesu, qui me creasti, et sanguine tuo. redemisti, quin et denuo perditum misericorditer reparasti: ne sinas me in aeternam damnationem de-

[1] Ex Liturgia S. Joannis Chrysost.

volvi. Miserere mei, Jesu Christe, mihique succurre dum adhuc tempus est miserendi. O dulcis Jesu! libera me ab aeterna morte. Jesu mansuetissime! adjuva me, ut tandem in numerum electorum tuorum perveniam. O Jesu, Salvator mundi! o Nate Virginis Mariae! tuam mihi gratiam infunde, fidem in me adauge, spem vivam mihi largire, et ex fonte gratiae tuae tribue mihi caritatem, castitatem, humilitatem, et in casibus adversis patientiam. Qui vivis" [1].

Ad B. V. Mariam. Sancta Maria, Domina augustissima, Deitatis ad mortales ingressurae janitrix immaculata, magno coeli beneficio, majori tamen orbis commodo nata! en iterum eligo te hodie coram universa coelesti curia patronam matremque meam. Propono firmissime, deinceps honorem tuum adversus impios defendere, te frequenter invocare, tuasque virtutes sedulo imitari. „Virgo Maria, Dei Genitrix, spes Christianorum! expelle a me misero servo tuo omnem socordiam, vanam gloriam, gulam, iracundiam, et immunditiam. In te confido, Virgo Domina, quae sublimior es universis postestatibus coelestibus. Tuere me, Virgo Deipara! vitam meam guberna, mihique salutis iter ostende. Et in hora mortis meae ne derelinquas me; sed tunc ad adjuvandum me festina." *S. Ephraem.*

Die XXI. Decemb.

S. THOMAE APOST.

Ut Feria III. post Dominicam in Albis.

---

[1] Jo. Fab. ex S. Bernard.

Die XVIII. Januar.

CATHEDRAE S. PETRI APOST.

Ut Feria V. intra Hebd. XIII. post Pentecost.

Die XXV. Januar.

CONVERSIO S. PAULI APOST.

Ut Feria VI. intra Oct. Pent.

Die II. Februar.

PRAESENTATIO DOMINI,

et

Purificatio B. V. M.

A Maria Filium praesentante disce: 1) humilitatem — hominum contemnere judicia, laudem, contemtum; 2) obedientiam — leges exactissime servare, in Dei voluntatem te plene resignare; 3) paupertatem — divitias et commoditates non quaerere, sed sacrificare.

PRECES ANTE MISSAM.

Domine Jesu Christe, qui jam a primo incarnationis tuae momento teipsum obtulisti Patri tuo in sacrificium pro peccatis nostris, eique postmodum in templo praesentari voluisti per manus Mariae Matris tuae: permitte (precor) ut denuo conscendam altare tuum, ibique teipsum offeram velut hostiam Deo Patri gratissimam. Vehementissime cupio, te rursus accipere in manus meas,

te Jesum meum desiderabilem, quem olim Simeon justus gaudenter accepit in ulnas suas. Justus equidem non sum ut ille senex, neque me dignum existimo, qui extendam ad te manus meas. Attamen cum optime sciam, a te haud despici cor contritum et humiliatum, ideo fiducialiter aram tuam accedo, ut offeram ibi te hostiam propitiatoriam pro innumerabilibus peccatis et negligentiis meis. Oro te, suavissime Redemtor, Jesu Christe, ut omnium virtutum decore cor meum exornare digneris, quo decentius ibi Majestatis tuae habitaculum invenias. Amen.

Ad Patrem. Jam tibi, Pater omnipotens, aeterne Deus, cuncti nos fideles suppliciter offerimus Filium tuum dilectissimum, in quo tibi semper bene complacuisti, eligens nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu tuo. Offerimus tibi, sancte Pater, eundem Unigenitum tuum ad laudem et gloriam adorandi nominis tui, et in honore beatae Virginis Mariae, quam ab aeterno elegisti, ut esset Mater Redemtoris nostri. Praesentamus tibi eundem Mediatorem ac Salvatorem nostrum, quem ex infinita bonitate tradis in manus nostras, ut eum tanquam hostiam sanctam offeramus supremae Majestati tuae. Magne Deus, qui lucem habitas inaccessibilem! ad coelorum culmina pertingat odor suavissimus incruenti hujus sacrificii, tibique grates referat immensas pro accenso fidei *lumine* in Christo Jesu *ad revelationem gentium*, et propter repulsas stuperstitionum gentilium tenebras. Suscipe, Pater aeterne, sanctam hanc oblationem in debitam gratiarum actionem pro innumeris beneficiis, quibus nos famulos tuos indignos obruis. Sistimus tibi quoque Jesum Salvatorem nostrum in satisfactionem delictorum, quibus in dies offendimus

te. Respice, Deus, in faciem Christi tui, qui emit nos pretio revera magno, proprio nempe sanguine, quem fudit in ligno crucis: et per infinita ipsius merita dimitte nobis peccata nostra. Concede paganis ceterisque heterodoxis evangelicae veritatis et gratiae lumen, ut abjectis operibus tenebrarum, et accepto fidei lumine, per viam salutis ambulantes, aliquando perveniant ad lucem aeternae gloriae. *Omnipotens sempiterne Deus! Majestatem tuam supplices exoramus, ut, sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostrae carnis substantia in templo est praesentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari* [1]. Memento etc.

Ad B. V. Mariam. O Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae! o unica post Deum spes ac consolatio nostra! efficaci tua intercessione impetra nobis a Deo fidem vivam, spem firmam, caritatem perfectam, animorumque demissionem profundissimam, ut in altari Jesum nostrum aeterno Patri (quoad ejus fieri poterit) tali sistamus decentia et pietate, quali tu ipsamet, o animatum altare vivi panis, et templum Spiritus sancti, Jesum in templo praesentasti. Intercede pro nobis, Mater Virgo, ut constanter ambulemus in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Amen.

PRECES POST MISSAM.

O me felicem! — Jesus meus misericors, ipsissimus Dei Filius in corde meo! — Dominus et Redemtor meus

[1] Ex Sacramentario Gregor.

amantissimus, quem Maria et Joseph aliquando tulerunt in Jerusalem Deo Patri praesentandum, is ipse nunc in pectore meo! — Messias ille desiderabilis, quem ibi justus Simeon accepit in ulnas suas, jam moratur in brachiis animae meae! — O clementissime Jesu! omni qua possum animi demissione adoro te Salvatorem mundi. Fidenter amplector te *lumen gentium et gloriam plebis Israël.* Arctissime stringo te, gaudium electorum, thesaurum fidelium, solatium afflictorum, haeredem universorum! Incende me totum igne caritatis tuae, Jesu amabilissime! Gustandum mihi paululum praebe de magna illa dulcedine, qua tunc inebriasti justum Simeonem, dum accepit te amabilem parvulum in ulnas suas. Haud equidem dignus sum ejusmodi favoribus, eoquod innumeris undique scateo vitiis; neque talem mereor amoris tui praerogativam, eoquod omnia negligenter ago. Bone Jesu! condona mihi culpas et negligentias quotidianas. Effice me justum et sanctum, quo dignior evadam intima familiaritate tua.

Domine Jesu, Deus fortis, qui coelos palmo ponderas, qui appendis tribus digitis molem terrae, et libras in pondere montes: concede mihi et omnibus conservis meis tantam animorum fortitudinem, tale robur gratiae tuae, ut inimicorum nostrorum incursionibus acriter resistamus. O *Lumen* a Patre missum *ad revelationem gentium!* tibi nota est infirmitas atque miseria nostra. Scis, quanta sit cordis humani caecitas, si lucis tuae desit claritas. Da nobis itaque lumen et auxilium tuum, quo facilius adversariorum insidias antevenire, multiplices hostiam laqueos declinare, et opera tenebrarum effugere valeamus.

Jesu dulcissime! fac, ut divinam legem tuam ita servemus, sicut olim Maria Mater tua servabat legem

Mosaicam. Concede nobis omnibus obedientiae spiritum, ut Ecclesiae praecepta sedulo perficiamus, nec immunitatem aut exemtionem a lege communi quaeramus. Da nobis spiritum humilitatis, quo similiores reddamur humillimae Virgini Matri tuae, quae coram hominibus incomparabilem virginitatis suae honorem occultabat, nihil sollicita de hominum judiciis, sed contenta, quod Deo soli nota fuerit illibata virginitas sua. Fac, ut etiam nos, illius exemplo informati, humana contemnamus judicia. Adhaec concede nobis spiritum paupertatis, quo refulsit eadem Mater tua sanctissima, dum more pauperum dedit hostiam in templo, par turturum aut duos pullos columbarum. Praesta, Jesu benignissime, ut omnia hujus saeculi bona caduca flocci faciamus. Largire nobis denique spiritum mansuetudinis et patientiae, ut, quemadmodum olim intra Mariae brachia teipsum in templo praesentasti Patri tuo paratissimum ad omnis generis aerumnas et acerbitates, ita et nos ad mortem usque cuncta hujus vitae incommoda patienter feramus, et illuc aliquando perveniamus, ubi sanctis tuis amplissimam patientiae mercedem redditurus es. Qui vivis.

Ad B. V. Mariam. „Maria, sanctis sanctior, et omnibus creaturis excelsior, quae sola apparuisti Mater simul et Virgo, Dei Genitrix! cunctas mentis meae tenebras et omnem immoderati moeroris caliginem tuis precibus a me longe repelle; multum enim materna precatio tua valet apud dilectum Filium tuum, qui facile flectitur. Dignum me fac, ut secundum beneplacitum Dei me geram omnibus diebus vitae meae. Et dum in vita hac calamitosissima versor, defende me, protege me, custodi me. Quando autem erit, ut e corpore egrediar, adesto mihi, Domina mea, et immortalis animae

meae ductricem te praebe ad habitationes aeternas, ne potestas tenebrarum mihi tunc occurrat, sed ut placabilem Judicem meum videam, illucque feliciter pertingam, ubi lux perpetua lucet omnibus sanctis et electis Dei. Amen.“ *S. Ephraem.*

Die XXIV. Februar.

S. MATHIAE APOST.

Ut Feria VI. post Octav. Ascens. D.

Appendix.

I. Brevis meditandi methodus.

Praeparatio.

a. *Remota:* Remove obstacula, spiritum hujus mundi, mentis dissipationem etc. Adhibe virtutes oppositas, spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.

b. *Proxima:* Praelege vel praepara meditationis puncta pridie, item statue praeludia et scopum meditationis. Expergefactus primo cogita de meditatione facienda; cogitationes conformes fove. Hora statuta accede animo tranquillo.

I. Ingressus.

a. *Oratio praeparatoria:* Deum praesentem cogita, adora; pete gratiam bene meditandi. (Pater. Ave.)

b. *Praeludia:*

1. Mysterium contemplandum ob oculos pone, ac si coram te ageretur.
2. Fructum e meditatione eruendum pete.

II. Progressus.

a. *Memoriâ* materiam meditationis in mentem revoca (clare, distincte, breviter, non sine affectu).

b. *Intellectu* perpende:

1. Quae veritas consideranda?
2. Quae conclusio practica ex veritate deducenda?
3. Quae motiva ad conclusionem practicam servandam inducunt? (Quam decens, honorificum, utile, facile, jucundum, necessarium?)

4. Quomodo id hactenus a te observatum?
5. Quid in posterum faciendum?
6. Quale impedimentum removendum?
7. Quale medium eligendum et adhibendum?

c. *Voluntate:*

1. *Affectus* excita per totam meditationem corde plus quam ore, e. g. adorationis, laudis, gratiarum actionis, oblationis, confusionis, contritionis, deprecationis, amoris, desiderii, fiduciae etc.
2. *Proposita* forma particularia, practica, praesenti necessitati accomodata, fundata in motivis solidis, humilia.

III. Egressus.

a. *Colloquium* ad B. V vel Angelum tutelarem, s. patronem tuum, sanctum diei; — ad Jesum Christum (ut amici ad amicum, aegroti ad medicum, ovis ad pastorem etc.); — ad Patrem coelestem (ut filii ad patrem, servi ad dominum etc.). Oratio vocalis.

b. *Reflexio* seu examen conscientiae de meditatione.

c. *Tessera* seligenda ex s. scriptura vel ss. Patribus etc. per diem repetenda, ut fructus meditationis servetur.

II. Formulae aliquae affectuum [1].

1. Pro via purgativa.

Abjectio. Deprime sub pedes Dei tui superbum caput, vilis creatura! Ah! etiamnum superbis? Indigna

[1] Ex Avancini vita et doctrina Jesu Christi. Ed. Venet. 1837.

es, quam suis pedibus dignetur Jesus tuus. Conculcent te damnati omnes, ac ipsi daemones, quorum tu iniquitates es supergressa etc.

Accusatio. Fateor enim, ut reus memetipsum accuso: Ego te summum et inaestimabile Bonum ac infinitam dignitatem vilipendi. Quis ego? quis tu? Ego Filium tuum crucifixi et occidi! Ego sanguinem ejus et infinita merita proculcavi etc.

Admiratio. O caecitas mea! o impudentia! o audacia! servus nequam tam bonum Dominum tam indigne tractare potui! O bonitas tua Deus! o patientia incredibilis! o misericordia infinita! tu non ferre tantum delinquentem, sed novis etiam beneficiis cumulare potuisti.

Communicatio cum Deo. Quot tu, justissime Deus, minorum scelerum reos in momento ad infernum praecipitasti? Angelos, tam excellentes creaturas, ad unius dumtaxat cogitationis consensum in ignem aeternum detrusisti: mihi ut parceres, ut dissimulares, quid te movit? An quidquam toto vitae decursu praestiti, quod oculis divinae tuae Majestatis placere potuerit?

Confusio. Averte oculos tuos a me, Domine; quia indignus sum, in quem respicias, postquam me ad tantam vilitatem abjeci, quem tu ad tantam dignitatem creasti! Confusio cooperuit faciem meam, quia repleta est malis anima mea, quae purissimum Dei oculum merito avertunt a me.

Contemtus mundanorum. Si habuero omnem substantiam hujus mundi, nihil sum. Nihil est honor, nihil aestimatio et gloria, nihil opes et divitiae, nihil omnis voluptas. E nihilo ducta in nihilum eunt; apparent et evanescunt. Solus Deus est omnia: reliqua amore meo indigna.

Contritio. Deus meus, summa bonitas, omnium

creaturarum tuoque ipsius amore sola et infinite digna, doleo, quod tam impudenter te offenderim; doleo non quia timeo, sed quia amo. Si sanguine meo fieri possit, ut non sis offensus: ecce me, discerpe me; paratum cor meum. Si tormentis inferorum deleri possit: ecce me; nullum est, quod non merui; nullum quod amore tui non praeeligo peccato, quod tantopere odisti. Si vides, qui omnia vides, quod aliquando, post quot annos, te offensurus sim: hoc potius momento acerbissima morte me tolle, quam permittas ad infelicissimum illud tempus supervivere.

Deprecatio. Obsecro te, aeterne Pater, per misericordiam tuam infinitam; te, Fili unigenite, per tuum in peccatores amorem, te, Spiritus sancte, per tuam benignitatem; te ss. Trinitas, per sanguinem et merita Christi: parce, parce misero peccatori. Amplius, crucifixe Jesu, amplius lava me vel unica guttula tui sanguinis a peccatis meis. Adgeniculor cruci tuae, et, indignus licet, exspecto misericordiam tuam.

Diffidentia sui. Vide, Domine, infirmitatem meam, quia nihil possum sine te, nec invocare te. Ne deseras me, quia labor sine te.

Exhortatio sui ipsius. Erige te, anima mea, de coeno peccatorum, in quo jaces; aude aliquando aggredi, quod vane metuis. Deus porrigit manum suam; tu tuam exsere, et apprehende auxilium. Quid haeres? quid dubitas? fortior est, qui te juvat, quam qui te tentat.

Exprobratio. Quae tua est impudentia, tam tenere te amantem Deum, tui amore in cruce morientem, tam indigne tractare; et odia illi indicere, a quo amores favoresque recipis? hoccine meruit, qui te ad se creavit, ut ei cum tanto contemtu tergum verteres? Hoc,

qui te toties recepit, et etiamnum expansa habet in cruce brachia ad te amplectendum, ut tu stercora et mundi quisquilias suumque hostem amplectaris? etc.

Fiducia. Deus meus, auxiliator meus, in te confido, non erubescam. Si consistant adversum me castra tentationum, non timebit cor meum, quia tu es protector meus; si exsurgat adversum me proelium, in te ego sperabo, quia tu es Deus meus.

Gratitudo. Gratias tibi ago, Deus meus, quod peccantem me et non poenitentem hucusque conservaveris, neque statim meritis poenis addixeris; otiumque dederis animae meae, calamitatem agnoscendi ac detestandi, quod mille aliis non concessisti, quos prius mors et aeterna damnatio occupavit, quam praestare id possent.

Humiliatio. Agnosco vilitatem meam, Deus infinitae majestatis. Infra nihilum descendi, quia te offendi. Et merui et volo ab omnibus contemni et vilipendi, volo non exspectare tantum, sed quaerere et ambire contemtus mei occasiones. Confirma hanc voluntatem meam, pro me toties despecte Jesu!

Invocatio sanctorum. Indignus sum qui accedam ad thronum misericordiae Dei, quam impudentissime despexi. Tu unica et potens peccatorum advocata, Dei Mater Maria, quae nullum in te confidentem despicis, ostende pro me filio tuo ubera, quibus eum lactasti; et per merita tua impetra mihi a justissime irato Deo misericordiam. Tu Angele mi tutelaris, cui curae sum ab infantia, per gaudium illud, quod habes super uno peccatore poenitentiam agente; vos ss. N. N. patroni mei etc.

Mendicatio spiritualis a sanctis Dei. Sancta et immaculata Dei Mater, quae, quantum amasti filium

tuum, tantum odisti peccatum: vide generis humani (vel hujus hominis N.) calamitatem; infunde aliquid amoris tui cordi illius, ut sciat ac velit reprobare malum, et eligere bonum. Sancti Angeli Dei, qui primi tentati Angelo constanter restitistis: aliquid constantiae vestrae hujus tentationibus suggerite. S. Petre, qui unum peccatum toto vitae tempore incessanter deplorasti: aliquid poenitudinis et lacrymarum huic indulge etc.

Odium sui. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? quid queror externa? ego mihi ruinae et calamitatis meae sum causa: fictum hostem culpo, et vero blandior. Ego sum ipse, qui occidi me, dum amavi me. Sed teneo hostem meum; non dimittam, nisi occidam eum. Moriatur sensus, vivat ratio; moriatur auctor mortis animae meae, vivat auctor vitae animae meae Jesus. Ut semper me oderim, semper amabo Deum meum.

Propositum. Nondum usque ad sanguinem decertavi cum hostibus animae meae: sed ab nunc, si necessarium sit, totum sanguinem ad ultimam usque guttam lubens gaudensque impendam potius, quam delinquam. Sic statuo coram Jesu meo pro me crucifixo. Moriar millies, ne semel peccem.

Reprehensio sui. Et quid ausus tu es tanta in Deum impudentia? quis tu? quis Deus? et quid ausus es? O creaturarum ingratissima! tam parvi tibi est Deus? tam magni tu tibi ipse, aut modica tui sensus delectatio?

Timor. Timor et tremor venerunt super me, quia irritavi viam tuam Domine. Quo fugiam a facie irae tuae? undique tu me circumstas; et quem patrem habere nolui, strictissimum judicem meorum scelerum formido. O Domine, ne intres in judicium cum servo tuo!

2. Pro via illuminativa.

Amor proximi. Te Deus in meo proximo, et proximum propter te diligo, sicut me. Tu me exemplo magis, quam verbis hoc docuisti: qui, cum inimici essemus, dilexisti nos; qui perditos nos quaesivisti, et attraxisti miserans. Quem oderim, dum tu omnes amas? quem despiciam, dum tu bonis et malis pretium tui sanguinis impendis?

Benignitas. Obstupesco tuam, Jesu mi, benignitatem! quam benevole ad te revertentes peccatores excipis! quam amanter alloqueris! quam tenere amplecteris et sine exprobratione omnia restituis bona, quibus per peccatum fuerant spoliati! Hac te sequar, mi Jesu: omnes, quorum mihi incumbet cura, amabo, etiam delinquentes, ut reducam; compatiar calamitati animae, tractabo vulnera leniter, in modo, in gestu, in vultu, in verbis, ut merus animi amor appareat.

Bonitas. Tua ad benefaciendum propensio, bone Jesu, mea est in omnes proximos agendi regula. Innumera in nos dona, sanguinem tuum, merita, gratias, teipsum elargiris; neque majoribus tantum, aut iis, qui te reverentur et amant dignosque se praestant; sed vilibus etiam, te ignorantibus, demerentibus, contemnentibus. Trahit me tam suave exemplum, ut me impendam omnibus et superimpendam; nemo mihi vilis, nemo mea indignus ope, quia nemo tibi.

Contemtus mundi. Tu non es de hoc mundo, amabilissime Jesu: tua desideria, affectus, vota, spes, prosecutiones non tendunt in honores, gloriam, existimationem, laudes et applausus. Delirium meum est, si eo tendam, unde tu, Sapientia Patris, abhorres. Quia nihil sunt, indigna sunt eo corde, quod non satiatur, nisi Deo.

Conversatio. In terris visus et cum hominibus conversatus es, Domine Jesu: prudenter et circumspecte, ut non offenderes; suaviter et urbane, ut animos traheres; utiliter et salubriter, ut prodesses iis, quibuscum versabaris. O si et ego prodesse intenderem! quam cohiberem affectus meos! quam caverem errores! quam abstinerem ab asperis et acerbis, frivolis et vanis et quandoque noxiis sermonibus! Semel juravi: aut obmutescam, aut sana loquar.

Fortitudo in adversis. Omnia possum in eo qui me confortat: non ego, sed gratia Dei mecum. Non mihi innitor, sed potentiae Patris, quae cannas erigit in columnas; sapientiae Filii, quae modos viasque eluctandi habet infinitas; gratiae Spiritus s. quae facit aspera in vias planas. In Deo meo transgrediar muros etc.

Humilitas. O humilitas nascentis, viventis morientisque Jesu mei! Cum in forma Dei esses, exinanivisti temetipsum, abscondisti divinitatis majestatem, ne in te confluerent omnis honor, gloria, admiratio et applausus populorum. Ah! sero licet, tandem tamen eligo abjectus essem in domo Dei, in loco et officio: et haec sit gloria mea.

Intentio gloriae Dei. Non quaeris gloriam tuam, Domine Jesu, sed honorificas Patrem tuum, neque altiorem reperisti operum tuorum tuaeque passionis finem. Huc tua incarnatio, vita, mors, cogitationes, verba, opera, somnus ac omnis respiratio tendebat. Trahe me post te. Quaeram te sine me: sine meo emolumento quaeram te quotidie, quavis hora, quovis momento, quavis respiratione; quaeram pure, sine admistione creaturae, majorem tuam gloriam.

Longanimitas. Potes Deus momento plectere, quo

peccat homo: sique id facias, justum et in aeternum laudabile judicium tuum. Sed sustines tamen, longanimis, patiens et multae misericordiae: sustines menses, annos; et non exspectas tantum, ut revertamur, sed revocas ad te, et attrahis miserans. Respicis Petrum, tangis cor Magdalenae, adblandiris Judae etc. Egone vel me a te desertum querar? vel spem alienae conversionis deponam? Aderis in tempore mihi. Exspectabo te, Domine, et non movebor. Aderis gratia tua peccatoribus; sustinebo et, quod meum est, operabor. Non erit inanis opera, quae te imitatur.

Mortificatio corporis. Tota vita tua, Jesu, continua fuit corporis afflictatio. Poteras, cum Deus esses, citra periculum omnia corpori commoda indulgere. Non egebas hoc studio ad corrigendam naturam, quae nec vitiata erat, nec vitiari poterat; non ad subjiciendum corpus rationi, quod divinitas moderabatur, ut non posset rebellare: et tamen in laboribus et doloribus a juventute tua vixisti et exspirasti. Est ergo amabile quiddam, quod tu elegisti. Quid agimus, anima? vitiata tibi est natura, et in malum proclivis rebellat rationi; inducit in peccata, et adhuc ei blandieris et, ut quam minimum patiatur, studebis? Imo conteratur caro mea, ut vivat spiritus. Ut tuus sim, carnem meam crucifigam cum vitiis et concupiscentiis.

Nitor conscientiae. Splendor sine macula es, Jesu mi, munditia ab omni immunditia libera, perfecta, et omnino immaculata. O! quando potero et ego insultare mundo, carni et daemoni: *Quis vestrum arguet me de peccato?* O quam suavis dies laborque omnis, quam dulcis quies hominis, dum culpa non mordet animum! quam hilaris felixque mors ejus, quem conscientia non accusat! At hoc solatium nemo alius, quam tu

ipse, impendere tibi potest. Malo ergo millies mori, quam foedari.

Obedientia. Omnia de te dixit, qui te amavit: Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et tu obediens, Filius Dei, Sapientia Patris, Dominus dominantium? et non Patri tantum, sed hominibus, etiam sceleratis, et iniquis judicibus, et carnificibus? et usque ad mortem? O ferrum ego et indomitum saxum, si hoc exemplo non movear, ut iis obediam, et in omnibus, et semper, qui patres sunt, qui vice Dei funguntur, quibus tuam in me potestatem tribuisti!

Patientia. Domine, dirige cor meum in patientia Christi. Statutum est, aut pati aut mori. Tu, Jesu mi, quam dura in corpore, quam acerba in anima, quam infamia in honore sustinuisti! tu idem Deus, et homo: et ego unius puncturae imaginatione percellar, minima infamia turbabor? O Domine, da, quod pro te patiar, qui pro me passus es infanda!

Paupertas. Domine Jesu, quum esses dives, factus es pro me egenus, ut non haberes, ubi caput tuum reclinares. O res a saeculo inaudita: pauper Deus! Et ego illis affigam animum, quae Deus odit? Ego pro Deo non relinquam laetus et hilaris mundi nugas, qui pro me reliquit omnia regna mundi sibi jure debita, adeoque et coelum ipsum?

Suavitas. Quam suavis est, Domine, spiritus tuus! Praescribis leges, sed addis vires; cum minimum facimus, tu plurimum praestas; aptas te singulis, nulli vim infers; paucissima exigis, cum plurima, et gravissima possis; si erramus, nos revocas et amanter trahis. Confundis asperitatem meam. Evincis omnino, ut in proximo meo excusem delicta, attendam fragitatem, non plus exigam, quam ipse praestem; si quandoque sit severitas adhibenda, ea semper suavitate misceatur.

Tranquillitas. Quanta locuti sunt adversum te malignantes, Domine Jesu: tu factus es tamquam surdus et mutus. Quantis impetitus es blasphemiis: at tu immotus stetisti, tamquam non haberes in ore tuo redargutiones, tenuitque semper animum imperturbata quies, tametsi fulmina excire potuisses. Cur ego, si leviter tangor, erumpo in immoderatos praecipitesque motus? Respiciam in te, Jesu mi; et si famam, si vitam perdam, tranquillitatem servabo.

Zelus animarum. Amabilissime Jesu! tu propter nos homines et propter nostram salutem descendisti de coelo. Quot hoc fine sustinuisti elementorum injurias? quot suscepisti itinera? quot labores et dolores? quot mortes exantlasti? Effudisti te ad omnes, divites et pauperes, honoratos et abjectos, senes et pueros, in urbibus et pagis, in campis et desertis, die ac nocte. Tanti tibi fuerunt animae nostrae, quanti tuus sanguis: hunc enim pro illis dedisti. Nimis viles ego facio animas, si non ex aequo ad pauperes, abjectos et pueros me effundo, pro quibus idem pretium datum est; si pluvia, si nox, si longinquitas spatii, si quaevis incommoditas me deterret. O animae Christi sanguine redemtae! o si omnes, o si vel unam meo sanguine et acerbissima morte salvare possim!

3. Pro via unitiva.

Amicitia cum Deo. Amas me? amo te, Amor meus, Deus meus. Tu quod es, meus es: ego quod sum, tuus sum. Mergor in infinito tuo, ut in meo nihilo. Quia amas me, communicas te mihi; quia amo te, redde me tibi, et te mihi. O Amor meus, unus et solus, electus ex millibus!

Amplexus Dei. Parce mei amoris audaciae, Deus

meus! Qui posuisti laevam sub capito meo, et dextera tua amplexaris me, intra tua brachia cogis me. In illa reverentissime conjectus et vivere volo, et mori desidero. Tu stringe me, nec permittas me separari a te.

Appretiatio Dei. O bonum inaestimabile Deus, et omnium desiderabilium finis! Quia super omnia aestimo te, super omnia amo te. Deficit in tui pretii aestimatione intellectus meus, et sub imperio voluntatis, te infinita aestimatione appretiare desiderantis, fatiscit. Sit tibi satis, Deus meus: amo te millies et millies, plus quam me, plus quam satietatem animae meae, plus quam ipsam beatitudinem meam et jucundissimum aeternumque tui aspectum; amo te, et in hoc morior: amo te.

Aspiratio ad Deum. Ubi sum? Ah jube me, Domine, venire ad te! Exeam a mundo et ejus concupiscentiis; exeam a me ipso, ut nusquam sim, nisi in te. O quando erit felicissima illa hora, qua mihi vel annuas, vel dicas: Veni de Libano, veni! Ecce me, respondebo: adsum; nec ullum me aliud votum vel momento retardabit.

Beatitudo in Deo. Deus meus, nondum video te revelata facie; et tamen beatus sum, quia amo te. Nullum tormentum sentio, dum amo te: quia solum tormentum mihi est, non amare te. Tu solus totum intellectum trahis, ut te unum possideat; tu solus omnem amoris mei exhauris plenitudinem.

Complacentia Dei. Tu es, qui es: et hoc unum mihi placet quod es, qui es infinite perfectus in sapientia, potentia et bonitate. Non possum hoc exprimere, nisi verbis illius amantis: Si tu Deus esses Augustinus, et ego Augustinus essem Deus, ego Deus vellem, ut tu Augustinus esses Deus; ita mihi placet, ut tu sis tu.

Conformitas cum Deo. Amo te, Deus meus.

Satis dixi: voluntas mea jam tua est, et tua est mea. Vis me premi, abjici, contemni, torqueri, dilaniari? volo et ego, quia tu vis. Vis me inter beatos ad tui fruitionem attollere? volo, non quia limpidam et innocentem hoc adfert voluptatem, sed unice quia tu vis.

Desiderium Dei. Desiderium habeo dissolvi et esse tecum. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? Defecit cor meum et caro mea, Deus cordis mei et pars mea, Deus, in aeternum. Sed nemo venit ad te, nisi tu traxeris eum. Trahe me post te, Amor meus, Deus meus: trahe me, et curram ad te.

Donatio sui Deo. Quid petis a me, Deus meus? Audio suavissimam tuam vocem: Praebe, fili mi, cor tuum mihi. Ecce habes, tibique sponte et hilariter dono, quidquid mihi dedisti: cor, animam, vitam, sanguinem, intellectum et voluntatem. Nolo cor meum, nisi sit tuum; nolo amare, nisi te; nolo vivere, nisi in te; nolo sapere, nisi te; nolo velle, nisi te. Jam tuus sum, non sum meus: Vivo quidem, sed non ego, vivit vero in me Deus.

Exultatio in Deum. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Salio extra me, Deus meus, ut veniam ad te. Angustiae cordis mei non capiunt torrentem voluptatis, quo tui recordatio me perfundit.

Filiatio ad Deum. Filius tuus ego sum, filius tuus. Non est praesumptio, quia dedisti mihi potestatem filium Dei fieri. Dicam tibi semper, et tota animi fiducia dicam: Pater meus es tu. Diligam te, quia Pater meus es tu; amplectar te, nec dimittam te, quia Pater meus es tu. Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit: sed portio mea tu es, Deus meus aliam nec quaero, nec admitto.

Fraternitas cum Christo. Primogenite in multis fratribus, Jesu Christe! Pater tuus, idem meus et esse et vocari vult Pater; te haeredem, me cohaeredem facit. Amo te, amabilissime frater; et si me in haereditatem regni non admittas, amabo te; et si me a te projicias, amabo te. Omnia tu, unice haeres, accipe, quia omnia debentur tibi: unicum mihi relinque amorem, ut amem te. Hic unicus sit pars mea et haereditas mea.

Gloriatio in Deo et Christo. Absit mihi gloriari, nisi in Deo meo, et in cruce Domini mei Jesu Christi. In hoc glorior, quod tu Deus sis, Deus meus, Dominus meus, omne bonum meum, in quo summa est mea felicitas; quod sim creatura tua, servus tuus, et quem tu amore infinito dignaris. In hoc gloriabor, si in cruce configar Jesu meo, si vulnera tua fiant mea, et tecum paupere et despecto fiam pauper et despectus.

Imitatio Christi. Cum in forma Dei esses, Amor meus Jesu, exinanivisti temetipsum divitiis, honoribus et sapientia, factus pro me egenus ac despectus et ludibrio habitus. Fac possim esse dives: nolo, quia tu fuisti pauper. Fac possim esse ab omnibus honoratus: nolo, quia tu contemni elegisti. Fac possim sapientiae famam lucrari: nolo, quia tu pro fatuo haberi maluisti. Electio tua regula est electionis meae. Et sic eligo solum ad majorem tui imitationem.

Languor animae in Deo. Amore tui langueo, Deus meus! Nauseat anima, quidquid humani est solatii, et mundum omnesque creaturas fastidio: quia te unum et solum amo; et cum nondum te frui licet, in omni alia operatione deficio, et solo amore respiro, Amor meus, Deus meus!

Laudatio Dei. Lauda, anima mea, Dominum, quoniam bonus. Omnis actio mea, omnis cogitatio mentis,

omnis affectus voluntatis, omnis respiratio, omnis arteriae motus dicat tibi: Magnus Dominus, et laudabilis nimis. Necdum assequor, quod volo, quidquid dicam, quidquid cogitem: adhuc es infinities laudabilis. Magnificet te, mei loco, anima ss. Virginis Mariae. Laudent te ardentissimo affectu Seraphim: Sanctus, sanctus, sanctus. Benedicant omnia opera Domini Domino, laudent et superexaltent cum in saecula. Nondum assequor quod intendit affectus. Laudet te humanitas sanctissima Redemptoris mei: et quod ultra non possum, tua te divinitas laudet in saecula.

Mors in Deo. Mortuus sum, et vita mea abscondita est cum Christo in te, Deus meus. Liquefacta est anima mea, cum tu tetegisti cor meum, et a me transivit in te. Omnis cogitatio mea, omnis affectus meus cum Christo consepultus est in te. Vivo tamen in te, quia hoc unum sentio, quod amo te.

Narratio magnalium Dei. Magnificat anima mea Dominum... quia fecit mihi magna, qui potens est, etc. (*Potes totum recitare.*) Quidquid sensu, quidquid intellectu capio extra te, Deus meus, opus manuum tuarum est et tui in me amoris effectus: ideo magnificat te anima mea Dominum. Sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares: ideo magnificat te anima mea. Caritatem tuam diffudisti in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: ideo magnificat te anima mea.

Oblatio sui. Omnia mea tua sunt, Domine, quia omnia tua voluisti esse mea. Quid habeo, quod a liberalitate et misericordia tua non accepi? et quia accepi, rursus tibi cum sincerissimo gaudio offero corpus meum et animam meam, omnes sensus et potentias meas, intellectum, memoriam et voluntatem meam. Ne aspicias,

quod mea sint, sed quod tua, et pretiosissimo sanguine Filii tui tibi vindicata.

Pactum cum Deo. Amo te, Deus meus, et tu scis, quia nihil amo, nisi te. Non sufficit cor hoc sentire, non lingua loqui. Sic ergo paciscor tecum, Deus, de minimo quocunque motu interno et externo animae, cordis et corporis mei; de omni mea, aeque dormientis ac vigilantis, aspiratione ac respiratione; de omnibus et singulis, quae sunt et erunt, creaturarum motibus; de singulis beatorum tuorum et ss. Matris ac Jesu, mei Redemptoris, actibus: sint signa mea, quibus meum in te amorem loquar. Quidquid horum aspicis Deus, in eo tibi ego loquar: amo te, amabilissime Deus.

Quies in Deo. In omnibus requiem quaesivi: sed extra te non inveni, Deus meus, Amor meus. In omnibus nihil reperi, nisi dolorem et afflictionem spiritus. Recordatus sum tui: ecce pax et consolatio, quam mundus et creatura nulla dare potest. Infundo me totum in sinum beneplaciti tui. Haec requies mea; hic habitabo, quoniam elegi eam: In pace in idipsum moriar.

Vita in Deo. In te, per te, propter te vivo, Deus cordis mei. Tu anima animae meae. Nullam volo mentis, nullam corporis operationem, quae non sit beneplaciti tui. Hoc solum me movet, ut excedam rebus omnibus creatis. Quo moveor, illo vivo. Vivo te, vita mea, Deus meus.

Unio cum Deo. O quam mihi bonum est adhaerere Deo! jam experior, quod, qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo. Tu mihi hoc obtinuisti, amabilissime Jesu, quando etiam pro me orasti Patrem, ut sim in te et in Patre unum, sicut tu et Pater unum estis. Et quis me separabit, etc.

III. a. Praeparatio ad missam.

(Ex Missali romano.)

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. *Tempore Paschali additur.* Alleluja.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus, salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: patiens et multae misericordiae et verax.

Respice in me et miserere mei: da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Ego dixi: Domine, miserere mei.

R. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

V. Convertere, Domine, aliquantulum.

R. Et deprecare super servos tuos.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Sacerdotes tui induantur justitiam.

R. Et sancti tui exultent.

V. Ab occultis meis munda me, Domine.

R. Et ab alienis parce servo tuo.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum,

ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paracletus qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, etc.

* * *

Memento Domine, si tibi placet:

Vivorum:

1. Mei, parentum, cognatorum, fratrum, sororum et amicorum meorum omnium.

2. Coetus Cardinalium ac omnium superiorum ordinis, atque sacerdotum et sanctae Ecclesiae ministrorum.

3. Omnium meae curae subjectorum, tanquam spiritualium filiorum, et omnium fundatorum, patronorum et benefactorum spiritualium et temporalium.

4. Omnium principum christianorum, dominationum et rerumpublicarum temporalium.

5. Omnium peccantium inimicorumque meorum, atque conversionis omnium haereticorum et infidelium.

6. Et omnium pro quibus scis et vis me debere orare, et pro quibus orare promisi.

Mortuorum:

1. Animarum parentum, fratrum, sororum, cognatorum atque amicorum meorum omnium.

2. Animarum omnium benefactorum, tam spiritualium, quam corporalium.

3. Animarum omnium mihi in genere et in specie commissarum.

4. Animarum praelatorum, sacerdotum et omnium ministrorum sanctae romanae Ecclesiae Dei et apostolicae.

5. Animarum morte improvisa corporibus exutarum; atque earum, quarum non est specialis memoria.

6. Animarum, quae mei occasione in purgatorio purgantur, earum quoque miserrime in purgatorio existentium.

7. Et earum omnium, pro quibus scis et vis me debere orare, et pro quibus orare promisi.

* * *

b. Gratiarum actio post missam.

(Ex Missali romano.)

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. *Tempore Paschali additur.* Alleluja.

Canticum trium puerorum. Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicit omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula. *Non dicitur* Gloria.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

R. Et sancti tui benedicant tibi.

V. Exultabunt sancti in gloria.

R. Laetabuntur in cubilibus suis.

V. Non nobis, Domine, non nobis.

R. Sed nomini tuo da gloriam.

V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IV. Preces ante et post missam [1].

Die Dominica, ante missam.

1. *Dirige intentionem.* O summe ac potentissime Deus! in laudem et gloriam supremae Majestatis tuae; in memoriam sanctissimae vitae, passionis ac mortis Jesu Christi Salvatoris mei; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis tuis, mihi indigno peccatori et toti Ecclesiae tuae concessis; in propitiationem pro innumeris peccatis meis; pro salute mea et proximorum N. N. pro solatio quoque defunctorum N. N. etc.: ego indignus peccator ss. corporis et sanguinis Filii tui mysteria recolere et recipere cupio. Vere, Domine, in

---

[1] Ex Memoriali vitae sacerdotalis auctore Claudio Arvisenet.

te solo totum est, quod satiare possit cordis mei desiderium. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Nonne tu ipse eris merces nostra magna nimis?

2. *Actum elice contritionis.* Sed et sacrificium spiritus contribulati tibi, mi Domine, una cum sacrificio et sacramento corporis et sanguinis Filii tui, Salvatoris mei, humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum, summe bonum, et in me tam beneficum, ac toties in sacramento me reficientem, unquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. et N. quae tu nosti, o Scrutator cordium, sed et miser ego peccator in amaritudine animae meae dolens confiteor. Utinam nunquam offendissem te! Sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; tu, qui amore nostri dedisti nobis Unigenitum tuum, ut nos lavaret a peccatis nostris in sanguine suo.

3. *Exerce actum fidei.* Equidem credo firmiter, o bone Jesu, et viva fide confiteor, quia tu ipse, Deo Patri aequalis in gloria et potestate, verus Deus et homo, vere et realiter praesens es in hoc sacramento. Tu enim, ipsa veritas, dixisti: Hoc est corpus meum. Credo quidquid dixit Dei Filius: nihil hoc verbo veritatis verius. Adjuva, Domine, incredulitatem meam, adauge mihi fidem.

4. *Exerce spem.* O Christe Jesu! sum quidem ego pulvis, cinis et peccator: sed tu pater es misericordiarum et Deus totius consolationis. Quis unquam intellexit misericordias tuas? Nonne tu laborantes et oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? Ad quem ergo irem? Tu solus verba vitae aeternae habes: tu solus consolaris me in omni tribulatione mea. Sum quidem aeger et infirmus,

sed tu es salus mea: non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus. Si solummodo pertransiens curabas omnes, si umbra Petri curabat infirmos: nonne ego confidere debeo, quia te intrante sub tectum meum, et in me inhabitante cum plenitudine divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur cum nihil te propitio mihi conscius sum, surgo et vado ad te Patrem, medicum et refugium meum, sperans quod haec communio futura mihi sit fidei, spei et caritatis augmentum, contra insidias inimicorum meorum firmissima tuitio, turpium cogitationum effugatio, hujus defectus et vitii N. exterminatio, operum tibi placentium, et praesertim hujus virtutis N. salubris efficacia, et tandem pignus futurae gloriae. Reposita est haec spes mea in sinu meo, quia miserator et misericors es et in promissis fidelissimus.

5. *Exerce caritatem.* O dulcissime Salvator, Christe Jesu, quanta fuit tui vis amoris, quae te traxit e sinu Patris in hanc lacrymarum vallem, ut humanam carnem assumeres, infinitas miserias, injurias, imo crucem mortemque subires, idque solum propter miseros nos homines, et propter nostram salutem!

O quantus amor! Damnare nos poteras, et salvare maluisti! Nos rei eramus, et tu innocens subis supplicium, ut reos liberes!

Ex amore itaque ad nos in carnem venisti, et demum, abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris hoc sacramentum nobis reliquisti, ut modo prorsus novo et admirabili semper maneres nobiscum, tu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum.

O Domine, quantum dignus es amari, qui tanta facis amore nostri! Diligam itaque te, Domine fortitudo mea, refugium meum, et liberator meus!

O Deus caritas! Qui in caritate manet, in te manet. Cupio te suscipere in hoc sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit a caritate Christi, Salvatoris mei? Utinam hoc nec vita, nec mors, nec ulla fortunae sors, aut ulla creatura valeat!

6. *Exerce humilitatem.* Sed quomodo audeo accedere ad te? Nonne tu, o Deus, Dominus, Creator ac Redemptor meus, Rex coeli et terrae es? At quis ego? Vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis, et quod indignius est, toties erga te inobediens et ingratus peccator. Vere Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed memento Domine, quia, cum esses Dominus omnium, assumpta servi forma venisti ad nos, et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus; denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias, sed clementer ad me venias, aut venientem ad te benigne suscipias.

7. *Postula gratiam.* O Pater aeterne! per merita Filii tui concede mihi gratiam, digne celebrandi missam, et recipiendi non solum sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. Offero tibi humilitatem et sanctitatem gloriosae semper Virginis Mariae, fervorem et devotionem omnium sanctorum, ut illorum merita suppleant, quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Jesu! propitius esto mihi peccatori, et sacris mysteriis corporis et sanguinis tui fac me ita digne semper uti, ut copiosum inde fructum et robur contra omnes mundi, carnis ac daemonis insidias consequar, vitia et haec N. N. maxime fugiam; virtutes vero statui meo maxime necessarias, velut caritatem, humilitatem, puritatem etc. diligentius exerceam, et fidelius tibi in dies servire studeam.

Spiritus sancte Deus! adsit mihi virtus tua, quae, cor meum clementer expurgans, dignum Christo Domino praeparet in me habitaculum, sicut fecit in beata Virgine Maria.

O sacratissima Virgo Maria, quae, Spiritu sancto cooperante, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti: fac, ut ego eum digne in hoc sacramento recipere et portare valeam, et ut consequar Spiritum hujus dilecti Filii tui.

O sancti Dei omnes, et vos praesertim, dilecti patroni mei, succurrite mihi, quaeso, precibus vestris apud Deum, ut sic illum nunc in sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre. Fiat, fiat.

Die Dominica, post missam.

8. *Adora et magnifica Dominum.* O Jesu, dulcis hospes, prospere processeris ad hunc pauperculum et humilem servum! Intraveris fauste sub hoc angustissimum et vile tectum! Benedictus et superexaltatus, qui venisti in cor meum oriens ex alto!

O Rex pacifice, fuga ex animo et corde meo catervas vanarum cogitationum, ut te solum, pacis auctorem, contemplari et diligere queat anima mea! Ecquid, praeter te, o pax, tranquillitas et dulcedo cordis mei, quaerat et gustet anima mea?

O fons amoris perpetui, quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, et teipsum mihi dare? Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo, et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista?

Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Utinam vel uno die dignum servitium exhibere

sufficerem! Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude aeterna. Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor tibi servire, nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero, et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.

Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret.

Da mihi semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est et carius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et non vis.

Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi super omnia desiderata in te quiescere, et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura et inquieta. In hac pace in idipsum, hoc est, in te uno, summo et aeterno Bono, dormiam et requiescam. Amen.

9. *Gratias age.* Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus, quae retribuisti mihi, praesertim hodie? Sollicitus mei dedisti mihi corpus tuum in cibum, et sanguinem tuum in potum, et utrumque in pignus futurae gloriae. Quis audivit unquam tale? Quis vidit huic simile? Utinam aperiantur labia mea, et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, et enarrem universa mirabilia tua!

Magnificet anima mea Dominum, tot tantisque affecta beneficiis, et exultet spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem servi sui, et fecit mihi magna, qui potens est, et esurientem implevit bonis. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quo-

niam confirmata est super me misericordia ejus. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus, reges terrae et omnes populi, principes et omnes judices terrae, juvenes et virgines, senes cum junioribus.

Sed et lingua mea, o pie Jesu, meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo; magnificus in donis tuis, et sanctus in omnibus operibus tuis. Jucundum sit tibi eloquium meum; ego vero delectabor in te, et in mandatis tuis exercebor. Tene manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me, ut aliquando cum gloria suscipias me. Amen.

10. *Offer Deo Patri Filium suum.* Clementissime Pater, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium et in cibum, et cum eo omnia: respice in faciem Christi tui, in quo tibi bene complaces. Hunc ego dilectum Filium, et cum eo cor meum retribuo tibi pro his, quae hodie retribuisti mihi. Complaceat tibi, Pater, hodie in illo; ac per eum indignationem tuam avertas a me.

Ecce Mediator Dei et hominum, Christus Jesus, advocatus et pontifex, qui interpellat pro me. Hunc ego offero tibi; ipsum, inquam, qui peccatum non fecit, sed tulit peccata mundi, et languores nostros suo livore sanavit. Suscipe igitur, o sancte Pater, hanc immaculatam hostiam in laudem et gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis; in remissionem quoque peccatorum meorum, et in supplementum omnium defectuum meorum.

11. *Offer teipsum Christo.* O Domine, quia ego servus tuus et filius ancillae tuae: abrenuntio satanae,

et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus: tu solus Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum; tu solus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi. Suscipe ergo solus universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem; quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id totum tibi restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis, nec quidquam aliud ultra posco. *S. Ignatius.*

12. *Postula dona Dei.* Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, mundique Redemptor! me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice; et sacrificium, quod in honorem nominis tui, pro salute fidelium, tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice: iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et, quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Domine, qui benedicis benedicentes te, et sanctificas eos, qui in te confidunt: salva populum tuum, et benedic haereditati tuae, et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, et ne derelinquas, Deus, sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, ecclesias, reges, sacerdotes

et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva, et nobis gratiam tribue.

13. *Ora B. V. M.* O serenissima et inclyta Mater Domini nostri Jesu Christi, Virgo Maria! Regina mundi, quae eundem Creatorem omnium creaturarum tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem sacratissimum corpus et sanguinem sumpsi: ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, ut, quidquid in hoc ineffabili sacramento ignoranter, negligenter, irreverenter et accidentaliter omisi, tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

14. *Ora omnes sanctos.* O sancti Dei omnes, qui in carne viventes sic Domino servistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis: adeste mihi, quaeso, precibus meritisque vestris, ut panis ille coelestis et viaticum divinum, quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam, et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

15. *Conclusio.* Anima Christi, sanctifica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inebria me. Aqua lateris Christi, lava me. Passio Christi, conforta me. O bone Jesu, exaudi me. Intra vulnera tua absconde me. Ne permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meae voca me, et jube me venire ad te, ut cum sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen. (Indulg.)

Obsecro te, mitissime ac bone Jesu, ut haec im-

mortalis hostia pro me tibi gratias referat me, tibi reconciliet, me tibi restituat, mihique peccatori veniam tribuat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Feria II. ante missam.

16. ***Invocatio s. Spiritus.*** Veni sancte Spiritus, etc. v. Emitte Spiritum tuum, etc. ***Oremus.*** Deus, qui corda fidelium, etc.

17. ***Actus contritionis.*** Domine, Deus meus, propitius esto mihi peccatori. Poenitet me peccasse: cupio emendare, quod feci. Aufer a me, quaeso, omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore valeam ad sancta sanctorum introire.

18. ***Actus fidei.*** Domine Jesu Christe, qui es sacerdos in aeternum, quique dixisti: ***Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus:*** ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et in hoc sacramento praesens redderis. Adauge mihi fidem.

19. ***Actus spei.*** In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

20. ***Actus caritatis.*** O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis, habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis! Pro hac tua ineffabili benignitate amo te, Deus meus: et ut nunquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es.

21. ***Actus desiderii.*** Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad

te, Salvator meus, Domine Jesu. Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo.

22. *Actus humilitatis.* Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus, quis es tu? Et quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari, et mansionem apud me facere? Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

23. *Intentionum directio.* Domine Jesu Christe! in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima coena et in ara crucis sacrificium corporis et sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo. Complaceat sibi, o Jesu, in te, et per te propitius nobis sit in vitam aeternam.

24. Te precor, Domine Jesu Christe, pro omnibus illis, pro quibus orare decrevi, et quibus sum conjunctus, et qui mihi conjuncti sunt spirituali participatione, consanguinitate, affinitate, familiaritate, commendatione, devotione, eleëmosynarum largitione; qui pro me orant, pro quibus debitor sum, et qui se commendarunt orationibus meis; pro cuncto populo christiano et pro dioecesi nostra; pro omnibus praelatis sanctae romanae Ecclesiae et universo clero, ut eos in tuo sancto servitio humiliter, fideliter et devote perseverare facias; pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis, in quacumque angustia et tribulatione positis: miserere, et tribulatis succurre. Amen.

25. *Deprecatio.* Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, men-

tem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas! ego miser inter angustias deprehensus ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixe propter hominem: exaudi me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fons miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domine mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse: cupio emendare, quod feci. Aufer a me, quaeso, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear sancta sanctorum; et concede, ut sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen. *S. Ambros.*

26. *Ad B. V. M.* Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Virgo Maria, inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis; et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam

grata, nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta! Fac, o benedicta, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti: ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen. *S. Bern.*

27. *Ad sanctos.* Sancti Dei omnes, cives supernae patriae, succurrite infirmitati meae, fidem meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate me donis, quibus abundatis: ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelestis convivii, in conspectu divinae Majestatis. Amen.

Feria II. post missam.

28. *Pii affectus.* Ecce Domine, jam habeo te, qui habes omnia; possideo te, qui potes et possides omnia: ergo, o Deus meus et omnia, abstrahe cor meum a ceteris omnibus extra te, in quibus nihil nisi vanitas et afflictio spiritus. In te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, vera felicitas et felix aeternitas.

Sentiat, o Jesu, mens mea dulcedinem praesentiae tuae, gustet, quam suavis sis, Domine: ut inescata amore tui nihil quaerat extra te, unde gaudeat, quia tu es gaudium cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum.

Tu es medicus animae meae, qui languores nostros tuo livore sanasti. Ego vero sum infirmus ille, ad quem sanandum de coelo venisti. Itaque sana animam meam, quia peccavi tibi.

Tu es pastor meus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Ecce ego ovis illa, quae perierat, et tamen dignaris me pascere corpore et sanguine tuo: suscipe me nunc in humeros tuos. Quid negabis mihi, qui te ipsum dedisti? Rege me, et nihil mihi deerit in loco pascuae, ubi me collocasti, donec ad pascua vitae aeternae perducar.

O Lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

O Ignis jugitur ardens et nunquam deficiens: ecce me tepidum et frigidum, ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem enim venisti mittere in terram, et quid vis, nisi ut accendatur?

O Rex coeli et terrae, dives in misericordia: ecce ego egenus et pauper sum, tu nosti ubi magis egeam, tu solus me ditare et juvare potes. Deus adjuva me, et ex thesauris bonitatis tuae succurre inopi animae meae.

O Dominus meus et Deus meus: ecce servus tuus sum ego, da mihi intellectum et excita affectum, ut sciam et faciam voluntatem tuam.

Tu es agnus Dei, agnus sine macula, qui tollis peccata mundi: tolle de me, quod mihi nocet et tibi displicet, et da, quod nosti tibi placere et mihi prodesse.

Tu es amor meus et omne gaudium. Tu es Deus meus et omnia. Tu es pars haereditatis meae et calicis mei. Tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

O Deus meus et omnia! absorbeat, quaeso, mentem meam vis ignita et melliflua amoris tui, ut amore amoris

tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, o Deus meus et omnia! Amen.

29. *Gratiarum actio et oblatio.* Quis sum ego, Bonitas infinita, ut me sacris altaribus adstare volueris, tibique offerre de donis tuis sanctum sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiae tuae? Venite et audite, omnes Angeli et sancti Dei, et narrabo vobis quanta fecit Dominus animae meae! Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me, et constituit me cum principibus populi sui, ut comederem panem et biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitae meae. Quas ego tibi gratias agam, clementissime Jesu, Salvator mundi? Aut quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Vere enim de te, sponso Ecclesiae, illud canticorum intelligitur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Tu omnia, quae habes, mihi largitus es, corpus, sanguinem, animam et divinitatem tuam: et si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meae, corpus, animam et libertatem, cum omnibus, quae nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur in comparatione immensi et inaestimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es: ideo debitum meum omnem facultatem meam excedit. Audeo tamen rogare te, ne despicias munusculum, quod tibi offero in simplicitate cordis mei, dicens cum sponsa: Dilectus meus mihi et ego illi. Nam sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animae meae: ita ego me totum servituti tuae consecro, et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum, tibi penitus trado, ut me totum tibi vindices, nec quidquam mei superesse mihi patiaris.

30. *Petitio pro se.* Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere.

Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum, et, quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim et velim, et da exequi, sicut oportet et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa; ut in illis non extollar, et in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam, et in adversis servem patientiam; de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in caritate da facere, et, quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara mihi sint omnia tua, et tu, Deus meus, plus quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te.

Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a

te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio; da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter ét fiducialiter exspectantem, fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. *S. Thom. Aquin.*

31. *Petitio pro aliis.* Domine, qui benedicis benedicentes te, et sanctificas eos, qui in te confidunt: salva populum tuum, et benedic haereditati tuae, et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, et ne derelinquas, Deus, sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, ecclesias, reges, sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque, qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva, et nobis gratiam tribue. Per preces et orationes, quas faciet pro nobis Domina omnium nostrum, Mater Dei, diva et sancta Maria, et sancti Michael, Gabriel et Raphael, omnesque coelestes ordines; per orationes Patriarcharum et Prophetarum, Dominorumque Patrum, Apostolorum et omnium Martyrum, omnis chori eruce signatorum, justorum piorum, sapientum

virginum et Angeli custodis benedicti: veniat benedictio eorum, caritas eorum, patientia eorum, auxilium eorum, et benedictio Salvatoris nostri boni sit cum omnibus nobis usque in aeternum. Amen.

32. *Conclusio.* Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum mundique Redemptor, me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice, et sacrificium, quod in honorem nominis tui pro salute fidelium, tam vivorum, quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime recipe; iram tuam a me remove, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et, quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Feria III. ante missam.

33. *Adora et gratias age.* O dulcissime Salvator Christe Jesu! adoro te in toto corde meo, gratias ago tibi ex intimis visceribus animae meae, quod tanta caritate nos misere perditos redemeris pretio sanguinis tui; et in hujus amoris tui memoriam, necnon in pignus futurae gloriae, tam admirabili potentia, sapientia et bonitate dederis nobis in cibum et potum ipsum corpus et sanguinem tuum; denique ad haec divina mysteria me vilissimum peccatorem in numerum tuorum sacerdotum tua ineffabili clementia vocare dignatus sis.

34. *Confundere.* Sed eheu! infelix ego homo, qui hactenus tam indigne vocatione tua vixi, et toties et tam graviter te Deum meum offendi peccatis meis, praesertim his N. N. At nunc de iis doleo ex intimo corde

meo ob amorem tui super omnia, et deinceps tibi soli servire, placere et adhaerere propono.

35. *Offer.* Proindeque nunc accedens ad mensam convivii tui ex omni affectu cordis mei dignissimum sacrificium corporis et sanguinis tui, quod tu ipse semel pro nobis in ara crucis obtulisti, pura et simplici intentione offero: ad laudem et gloriam aeternae Majestatis tuae; in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis tuae; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis, toti coetui electorum et mihi, licet indignissimo, hucusque praestitis vel unquam praestandis; in propitiationem peccatorum; pro salute quoque vivorum N. N. et solatio defunctorum N. N. Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu jam regnantium in coelo vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande pietatis opus peragere possem!

36. *Crede.* Corde siquidem credo, mi Jesu, et ore confiteor, quia Pater aeternus, Deus seipso summe beatus, potens, perfectus et nullius egens, secundum suam infinitam misericordiam sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret Salvatorem. Credo quoque, quod tu ipse, Patri aequalis per omnia, ex vi immensae caritatis tuae de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, et propter nos homines homo factus es. Credo, quod ex amore nostri hoc sacramentum in ultima coena instituens, verum corpus et sanguinem tuum, id est teipsum, nobis ad manducandum dedisti; et denique, Patri tuo factus obediens usque ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

37. *Spera.* Ideoque spero in te, et magna fiducia venio ad te, o Domine, qui nostri causa tam mira facere et tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares?

38. *Ama.* Amo te quoque, o bone Jesu, ex tota virtute cordis mei, et semper deinceps et in aeternum amabo, si tu dederis.

39. *Offer teipsum.* Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, et pro omnibus, quae retribuisti mihi? Ecce abnego memetipsum, et totum me, id est corpus, animam et omnia mea in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae plene resigno. Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur Factori suo? Quid vilis creatura, vermis terrae, miser peccator, servus inutilis, poterit praestare Deo Creatori ac Domino suo? Agnosco, quia pauper et inops sum, ideoque humilio me sub potenti manu tua. Tu vero, o Domine Jesu, utpote advocatus et Mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam, et ex thesauro immensae caritatis tuae fer opem inopiae meae; et pretium sanguinis tui omniumque meritorum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo; et hinc supple omnem defectum meum, praecipue hujus meae, heu! nimis modicae et imperfectae praeparationis, qua ad haec ss. mysteria venio: ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae.

40. *Postula.* Fac etiam, o bone Jesu, per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium et admirabile donum caritatis tuae debita semper fide, reverentia et gratitudine prosequar, idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam; statum hunc quoque sacerdotalem, ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, caritate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate etc. moribusque tibi placitis et sacerdote fideli dignis excolere studeam: idque ut servitus mea magis tibi placeat, ad majorem gloriam tuam, Ec-

clesiae utilitatem, et propriam proximique salutem. Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem corporis et sanguinis tui abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus N. N. qui gustum ac fructum hujus sacramenti impediunt, et intime tibi unias et incorpores, ut gustem, quam suavis sis, Domine, et unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me et ego in te maneam, adeoque nihil sit, quod me unquam valeat separare a te. Nam tibi adhaerere mihi bonum est etc. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? O pars mea, Deus, in aeternum!

41. *Invoca sanctos.* Ad vos quoque, o sancti, amici Dei, supplex confugio: te imprimis, o sanctissima Dei Mater, Virgo et patrona mea, quae gratia plena Deum et hominem purissimis visceribus tuis meruisti portare; et vos, o sancti N. et N. patroni, mihi singulariter electi et dilecti. Vos modo videtis illum facie ad faciem, et pleno ore manducatis panem illum, quem nonnisi per speculum in aenigmate aspicimus et speciebus velatum accipimus. Utinam vestro interventu adjutus hoc coelesti pane et viatico digne saepius reficiar in via, ut tandem vobiscum eo satiari merear in patria! Amen.

Feria III. post missam.

42. *Exulta Domino.* Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector. Te, amor et gaudium meum, obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. De omnibus necessitatibus meis erue me, Domine, et fac, ut tam plene tibi sim, quam tu mihi. Tu es, o Jesu, creator et plasmator meus: cor mundum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Tu es rex

et Dominus meus: posside me, et nemo praeter te. Tu es doctor et magister meus: bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Tu es advocatus meus apud Deum Patrem: fac ut avertat iram suam a me. Tu es, qui venturus es judicare vivos et mortuos: ne intres in judicium cum servo tuo. Tu es dilectus meus sponsus: desponsa me tibi in misericordia tua et miserationibus. Tu dux et defensor meus: pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es: in Domino sperans non infirmabor. Tu Salvator et Redemtor meus es: consumma opus tuum, et labor tuus non sit cassus. Tu es pars haereditatis meae, et portio mea in terra viventium: haereditatem meam restitue mihi. Tu es gloria mea, corona et merces nostra magna nimis: admitte me in bona Domini, quae praeparasti diligentibus te. O Jesu, piissime Jesu! o Jesu, Fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, caritatem, castitatem, humilitatem, ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire et in te gloriari, nunc et in perpetuum. Amen.

43. *Jubila Deo salutari tuo.* Quam pulcher es, dilecte mi, dilecte votorum meorum, Christe Jesu! Quam pulcher es! quam bonus et amabilis! O unicae deliciae meae, o vita mea, o gaudium meum, o suavitas summa, o Deus meus et omnia: ad te suspiro, clamo, anhelo! Complector et amo te totis praecordiorum affectibus, quia tu es Deus, ipsissima bonitas, amor aeternus, sapientia inexhausta, potentia infinita, perfectio absoluta. Ecquid tandem me poterit separare a caritate tua? An voluptas brevis, opes caducae, honores falsi, nugae nugarum? Nec illae nec istae facient, o bone Jesu: mihi enim adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Adjuva me, pie Jesu, in

sancto proposito meo; promissionum mearum ne me sinas unquam oblivisci. Sit mihi sacratissimum sacramentum tuum contra omnium peccatorum meorum vulnera efficacissimum medicamentum, ac omnis gratiae et virtutis complementum; sit contra omnia mala et pericula validissimum tutamentum, aeternaeque beatitudinis solidissimum fulcimentum. Amen.

44. *Gratias age.* O clementissime Salvator, Christe Jesu, quam suavis es et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te! Cum enim non essemus, divina potentia creasti nos; cum inimici tui essemus, a coelo veniens mira sapientia redemisti nos; et quia sine te tam corpore, quam spiritu vivere, moveri et esse non possumus, immensa bonitate tua tot sacramentis et auxiliis gratiae nos usque conservas, imo corpus et sanguinem tuum, id est teipsum modo prorsus admirabili in hoc sacramento largiris. O caritas, o pietas, o novum et grande mysterium!

Tune, Deus meus, ad me venire dignaris? Rex ac Dominus summae majestatis, ad infimum servum? Deus ad hominem, Creator ad creaturam? Unde hoc mihi, ut tu, Domine, venias ad me? O Deus et Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Et quis narrabit potentias tuas, et auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas, et omnes vitae meae respirationes in tui laudes et gratiarum actiones, attamen longe minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde, agnoscens insufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturae tuae mecum et pro me laudent et benedicant nomen tuum in aeternum.

45. *Offer.* O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ex abundantia infinitae caritatis tuae

dedisti mihi unigenitum Filium tuum: en ego miser peccator, nunc particeps factus corporis et sanguinis ejus, illum in pectore meo complectens, et tanquam rem meam intime mihi conjunctam possidens, illum ipsum in unione caritatis, qua seipsum dedit in ara crucis, tibi offero. Ecce hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam meam spem reposui; hae sunt divitiae, quas offero in satisfactionem debitorum meorum.

Aspice, pie Pater, in faciem Christi tui, et cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi bene semper complacuisti, qui mihi nunc intime conjunctus est, supplex rogo, ut me quoque aspicias oculis misericordiae tuae. Sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius, compareo coram te, ut, illum praecipue intuens, me quoque clementer ac benigne respicias tanquam mancipium ejus ac servum perpetuum.

Ne permittas, obsecro, ut pereat illa anima, quae toties in se recipit Filium tuum, qui a te missus venit in mundum quaerere et salvum facere, quod perierat. Hoc praesta mihi per infinitam misericordiam tuam. Amen.

46. *Invoca Dominum.* Sit, quaeso Domine, haec praecellentissima hostia, quam tibi modo obtuli, in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis et negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi. Per illam instaura omnes ruinas meas spirituales, et supple omnem inopiam meam. Per illam mortifica in me, quidquid tibi displicet, et effice me hominem secundum cor tuum. Per illam conforma spiritum, animam et corpus meum spiritui, animae et corpori sacrae humanitatis tuae, meque totum luce divinitatis tuae illustra. Per illam largire, ut in te stabiliar, te perfecte et perseveranter diligam, intime tibi uniar, ac totus in

te transmutet, ad laudem nominis tui, quod invocatum est super nos.

Converte, Domine, miseros peccatores, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes; adesto omnibus, qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt; adesto his, qui se meis precibus commendarunt aut commendati esse cupiunt; adesto parentibus, propinquis et benefactoribus meis, vivis et defunctis. Miserere omnium, pro quibus orare debeo et tu rogari vis: da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Tibi laus, Christe Jesu, in saecula saeculorum. Amen.

47. *Ora B. V. M.* O Maria, Virgo et Mater sanctissima! ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque sanctissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cujus aspectu laetabaris, omnibus deliciis replebaris: illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis purissimis brachiis amplexandum, toto corde amandum, sanctissimae Trinitati in supremum latriae cultum pro tui ipsius honore et gloria et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Tu maternam vim apud Deum obtines, et fieri non potest, ut non exaudiaris. Sit igitur pietatis tuae, ipsam, qua apud eum vales, gratiam notam facere mundo, sanctis tuis precibus obtinendo reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem. Amen.

48. *Ora omnes sanctos.* Omnes sancti et santae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos praesertim patroni et protectores mei! aspicite magistrum, auctorem et praemium sanctitatis vestrae, ac universam vestram felicitatem, intra viscera mea manentem, mihi-

que ab ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis, ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

49. *Conclusio.* Recedo a te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas et omne bonum animae meae; et me amantissimo cordi tuo cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis humillime commendo. Ama nos, Domine, et transforma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te, nihilque sit objectum verborum meorum actionumque mearum internarum et externarum, nisi tu, amor meus, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Feria IV. ante missam.

50. *Directio intentionis.* Domine Deus! ego indignus servus tuus intendo hoc mane, quam maximo possum amoris, reverentiae et devotionis affectu, sanctissimum missae sacrificium Majestati tuae, cui soli debetur, offerre, juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae; et ex nunc offero illud una cum omnibus sacrificiis tibi gratissimis, simulque pretium sanguinis Domini Jesu, merita beatae Virginis et omnium sanctorum, totiusque Ecclesiae preces et laudes; in unione illius sacrificii, quod Christus in ultima coena instituit, et in cruce consummavit, factus ipse sacerdos et victima; affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi et ejus sponsae Ecclesiae, ex puro tui amore ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae et increatae tuae excellentiae, dominii tui in omnes creaturas, et nostrae subjectionis ac dependentiae a te; in gratiarum

actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturae collatorum et conferendorum; in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae vel inferendae; ac in cultum latriae tibi soli debitum, cum omnibus adorationibus Christi, beatae Virginis et omnium Angelorum et sanctorum; item in augmentum gaudii humanitatis Domini nostri Jesu Christi, memoriam vitae, passionis ejusdem, et in augmentum gloriae ac beatitudinis immaculatae Virginis omniumque Angelorum et sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis; in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere doleo propter offensam et injuriam, quam tibi irrogavi; et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus et beata Virgo ejus Mater sciunt et volunt, ut sacrificem; pro parentibus, amicis, consanguineis ac benefactoribus meis; pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae; pro christianorum principum unione, haereseon et schismatum extirpatione, et omnium infidelium nationum conversione; pro totius cleri et omnium statuum religiosorum sanctificatione, conservatione et augmento; pro animarum in purgatorio existentium liberatione; maxime autem pro N. N., qui eleëmosynam dederunt aut reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc missam celebrarem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis me posse vel debere.

Respice ergo in me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti: ut defunctis requiem indulgeas, et vivis veniam gratiamque concedas tibi recte fideliterque ser-

viendi, et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

51. *Actus praecipuarum virtutum.* Credo in te, Deus, prima veritas, propter infinitam auctoritatem tuam. Adoro te propter increatam excellentiam tuam. Spero in te propter immensam misericordiam tuam. Amo te propter summam bonitatem et amabilitatem tuam. Confundor et erubesco, quod te, Bono infinito, non contentus, exigua et apparentia bona quaesierim. Doleo de peccatis meis propter te, quem super omnia diligo, et paratus, tibi in hac vita satisfacere, propono, te adjuvante, plenam et perfectam emendationem. Tibi gratias ago pro universis, quibus me cumulare non cessas, beneficiis. Quidquid habeo vel possideo, id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Omnibus, qui me offenderunt, toto corde ignosco propter amorem tuum. Rogo te per sanctissimam Filii tui passionem: miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam, omnibus sacramentis munitam, in vitam aeternam. Amen.

52. *Invocatio.* Omnipotens sempiterne Deus! ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, dominici corporis et

sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. *S. Thom. Aquin.*

53. *Ad B. V. M.* O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria! ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut, sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus, hic et in tota sancta Ecclesia ipsum hodie offerentibus, clementer assistere digneris, ut, tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

54. *Ad sanctos.* O sancti et sanctae Dei, quorum hodie memoriam in terris celebramus, ego miser et indignus peccator de vestris meritis confidens intendo hoc mane offerre sanctissimum sacrificium corporis et sanguinis D. N. J. C. pro vestro honore et gloria. Precor vos humiliter et devote, ut pro me hodie intercedere dignemini, quatenus tantum sacrificium Deo digne et acceptabiliter offerre valeam, et eum vobiscum et cum omnibus electis ejus in aeternum laudare merear. Amen.

Feria IV. post missam.

55. *Ador.* Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo, quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc Veritatis verbo verius.
In cruce latebat sola deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere!
Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum quit ab omni mundum scelere!
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut, te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae!
Amen. *S. Thom.*

56. *Gratiarum actio.* Gratias ago tibi, benigne Domine, benefactor animae meae, quod me dignum fe-

cisti coelestium tuorum et immortalium mysteriorum. Sed quid retribuam tibi? Vere minor sum omnibus donis tuis. O clementissime Deus! accipe igitur laudes et gratiarum actiones, quas Filius tuus Salvator noster in assumpta huminitate ab instanti incarnationis toto vitae suae decursu persolvit; et illas praecipue; cum instituens hoc sacramentum, et quasi jam tum agnoscens, impares nos esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, omnium nostrum nomine tibi gratias egit.

Suscipe etiam, o mitissime Pater, illas gratiarum actiones, quas B. V. unigeniti Filii tui Mater tibi obtulit, quando eum, quem ego ipse jam inclusum pectori meo complector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, gestavit et peperit; necnon et illas, quas toto vitae suae tempore et potissimum, quoties jam sublatum in coelos in sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio et intima devotione persolvit.

Benedicant quoque et laudent te omnes angelici Spiritus, qui throno Majestatis tuae jugiter et trementes assistunt et cantant, inoessabili voce dicentes, sanctus, sanctus, sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes sancti et amici tui, tecum modo regnantes in coelis, quorum communionem credimus, meam insufficientiam compensent suis dignissimis laudibus, quas unquam hic in terris in usu et veneratione hujus sacramenti devotissime obtulerunt, et quas tibi modo decantant, cum revelata facie comedunt panem vitae, et torrente voluptatis tuae potantur. Participem me fac, Deus, omnium timentium te et custodientium mandata tua.

O utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, et omnia tibi in terris placentium vota, desideria

et merita in me unum colligere possem, et sic tota animi intentione te amare et honorare pro tanto amore et honore, quo me in hoc sacramento dignatus es!

57. *Postulatio.* Credo Domine, sed credam firmius. Spero Domine, sed sperem securius. Amo Domine, sed amem ardentius. Doleo Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium, desidero ut finem ultimum, laudo ut benefactorem perpetuum, invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint a te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis, volo quia vis, volo quomodo vis, volo quamdiu vis.

Oro, Domine, ut intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

A superbia non inficiar, adulatione non afficiar, a mundo non decipiar, a satana non circumveniar.

Gratiam praesta memoriam purgandi, linguam frenandi, oculos cohibendi, sensus coërcendi.

Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Jesu, mandati tui et exempli inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniantibus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida corporis Christi communione, continua mentis recollectione, pura cordis intentione.

Discam a te, Deus, quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Clemens Papa XI.*

58. *Deprecatio pro aliorum necessitatibus.* O Domine, cujus viscera misericordiae patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subiisti, et hoc sacramentum instituisti: da, quaeso, sacerdotibus concordiam et innocentiam; regibus et principibus tranquillitatem et pacem; virginibus castitatem; Deo dicatis continentiam; conjugatis sanctimoniam; poenitentibus indulgentiam; justis perseverantiam; peccatoribus, ut mihi misero, veniam; viduis et orphanis protectionem; pauperibus sustentationem; peregrinantibus reditum; lugentibus consolationem; omnibus denique fidelibus christianis, vivis atque defunctis, gratiam et vitam sempiternam. Amen. *S. Aug.*

59. *Ad B. V. M.* O Domina mea, sancta Maria! me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo: ut per tuam sanctam intercessionem et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

60. *Ad sanctos.* O sancti sanctaeque Dei omnes, et beati spiritus angelici, quos Deus vultu suo semper laetificat, orare pro me non dedignemini. Saluto et veneror vos, sincerasque Domino gratias ago, qui vos elegit et in suis benedictionibus praevenit. Eia, impetrate mihi veniam, impetrate gratiam et perfectam cum Deo unionem. Amen.

61. *Conclusio.* Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Feria V. ante missam.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

62. *Admiratio.* Audivi vocem tuam, Domine: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. O Sancte sanctorum! ecce tu inclinas te ad me; tu vis esse mecum; tu invitas ad convivium tuum; tu mihi dare vis coelestem cibum et panem Angelorum ad manducandum, non alium sane quam te ipsum, panem vivum, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo.

63. *Laudatio.* O invisibilis Conditor mundi Deus! quam mirabiliter agis nobiscum, quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in sacramento sumendum proponis! Laetare anima mea, et gratias age Deo pro tam nobili munere et solatio singulari, in hac lacrymarum valle tibi relicto.

64. *Timor.* Terrent me, Domine, delicta propria, et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia mea. Provocat me dulcedo verborum tuorum, sed onerat me multitudo vitiorum meorum. Quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Quomodo ausus ero venire ad te, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam, quam reverentur Angeli et Archangeli, quam metuunt sancti et justi?

65. *Contritio.* Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo et lamentando, et tuam propitiationem ardenter deprecando? Deprecor te: exaudi me propitius, Deus meus. Omnia peccata mea mihi maxime displicent: nolo ea unquam amplius perpetrare, sed pro eis doleo et dolebo, quamdiu vixero. Dimitte mihi peccata mea propter nomen sanctum tuum. Ecce committo me misericordiae tuae, resigno me manibus tuis. Tu omnia delicta mea, quae a die, quo primum peccare potui, usque ad horam hanc commisi, pariter incende et combure igne caritatis tuae; dele universas maculas eorum; conscientiam meam ab omni delicto emunda, et restitue mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plene indulgendo, et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

66. *Fides.* Credo et confiteor, quia tu praesens es in altaris sacramento, Deus meus, Sanctus sanctorum,

Creator omnium et Dominus Angelorum. Quidquid intelligere non valeo, tibi Deo omnipotenti secure commendo: non fallis me, Deus meus. Et si talia essent opera tua, ut facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda. O quam admirabilis operatio tua, Domine! Quam potens virtus tua! Quam ineffabilis veritas tua! Dixisti enim, et facta sunt omnia, et hoc factum est, quod ipse jussisti.

67. *Spes.* Super bonitate tua et magna misericordia tua, Domine, confisus accedo aeger ad Salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad regem coeli, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem; sperans quod in hoc sacramento mihi conferatur spiritualis gratia: et reparabitur in anima mea virtus amissa, et per peccatum deformata redibit pulchritudo, et demum conservabitur cor meum et corpus immaculatum.

68. *Caritas.* O Dilecte mi! da me pro te omnes dilectos relinquere, et te solum super omnia amare, et te mihi viventi et morienti amicum retinere. Esse sine te gravis est infernus; et esse tecum dulcis paradisus. O thesaurus bonus! O bonum super omne bonum! O Deus meus et omnia! Intelligenti satis dictum est, et saepe repetere jucundum est amanti. Purifica, laetifica, clarifica et vivifica spiritum meum cum suis potentiis ad inhaerendum tibi jubilosis excessibus.

69. *Desiderium.* Ecce, Domine, in te est totum, quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemtio, spes et fortitudo, decus et gloria. Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere. Cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachaeo merear a te benedici ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit; cor meum tecum uniri

desiderat. Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere. Veni, Domine, veni ad pauperculum tuum, et laetum fac eum: veni, et satia me tua praesentia. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit.

70. *Invocatio.* O beatissima gratia, quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis, veni descende ad me, reple me nunc consolatione tua, ne deficiat prae ariditate mentis anima mea. Obsecro, Domine Deus meus, praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae, ut ad tuum magnificum sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te, et gravi torpore exue me. Quidquid mihi deest, Jesu bone, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose. Da pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat, et caritas, semel perfecte accensa et coeleste manna experta, nunquam deficiat.

71. *Oratio ad B. V. M.* O intemerata et in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo Dei Genitrix Maria, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, janua regni coelorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum: inclina, Mater misericordiae, aures tuae bonitatis indignis supplicationibus meis, et esto mihi miserrimo peccatori pia et propitia in omnibus auxiliatrix, et in hac praesertim hora, qua dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, aeterno Patri oblaturus sum, ut nempe eum digne et acceptabiliter offerre valeam. Amen.

72. *Ad omnes Angelos et sanctos.* Angeli, Archangeli, Throni, Dominationis, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes

sancti et sanctae Dei, imprimis dilecti patroni, intercedere dignemini pro humili servo vestro, ut hoc sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

73. *Directio intentionis.* Ego volo missam celebrare, et conficere corpus et sanguinem D. N. J. C. juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae militantis et patientis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, cor contritum et humiliatum, atque felicem vitae meae consummationem tribuat mihi omnipotens et misericors Dominus. Amen. (*Indulg.*)

Feria V. post missam.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

74. *Admiratio.* O Dilecte mi, elécte ex milibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae! O Pacifice mi, in quo pax summa, requies véra! O Deus abscondite, cujus sermo cum humilibus! O vere ineffabilis gratia tua; o vere admirabilis dignatio tua; o amor immensus, animae meae singulariter impensus! O Jesu, quanta est dulcedo in convivio tuo! O quam dulce mihi foret in praesentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare! Certe in conspectu tuo et sanctorum Angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio flere. O quam magnum suscepi Dominum, quam di-

lectum induxi hospitem, quam jucundum recepi socium, quam fidelem acceptavi amicum, quam speciosum et nobilem amplector sponsum! O Jesu bone! sileant a facie tua coelum et terra et omnis ornatus eorum. Mane in secreto, anima mea, et fruere Deo tuo; ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

75. *Laudatio.* O dulcissime Salvator! Laudent te universi populi, tribus et linguae, et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa jubilatione et ardenti devotione magnificent. Ecce omnium devotorum cordium jubilationes, spirituales affectus, mentales excessus ac supernaturales illuminationes et coelicas visiones tibi offero et exhibeo, cum omnibus virtutibus et laudibus ab omni creatura in coelo et in terra celebratis et celebrandis. Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae jure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum.

76. *Gratitudo.* O benignissime Jesu! quanta tibi gratiarum actio pro susceptione sacri corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur. Gratias tibi, o Pastor aeterne, qui me pauperem et exulem dignatus es pretioso corpore et sanguine tuo reficere. O quid retribuam tibi, Domine, pro gratia ista, pro caritate tam eximia? Non est aliud, quod gratius dare queam, quam ut cor meum tibi Deo meo totaliter tribuam et intime conjungam. Dignare Domine manere mecum, ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum sit tibi unitum.

77. *Oblatio.* Sicut igitur tu, Domine, teipsum expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis meis Deo Patri sponte obtulisti, ita ut nihil in te re-

maneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret: ita et ego meipsum tibi voluntarie in oblationem puram et sanctam cum omnibus viribus et affectibus meis, quanto intimius valeo, offero. O Domine! rogo te in simplicitate cordis mei, suscipe me tibi in servum sempiternum, in obsequium et sacrificium laudis perpetuae; suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi modo in praesentia Angelorum invisibiliter assistentium obtuli pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

78. *Petitio pro se.* Praesta, Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii crescat meae devotionis affectus. Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam et iniquitatem. Vide omnia bona mea, quam pauca sint et imperfecta; tu ea emenda et sanctifica, grata habe et accepta tibi fac et semper ad meliora trahe. Me quoque pigrum et inutilem homuncionem ad laudabilem perduc finem.

O dulcissime atque amantissime Jesu! ecce sto ante te, pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Accende frigiditatem meam igne amoris tui, verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemtum et oblivionem. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in saeculum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas, et in te transmutes, ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris! Operare, Domine, mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. O ignis semper ardens et nunquam deficiens! O amor corda purificans et intellectum illuminans!

79. *Petitio pro aliis.* Intuere quoque, benignis-

sime Jesu, pia desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum omniumque carorum meorum; et eorum, qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, et qui orationes et missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam saeculo defuncti sint: ut omnes sibi auxilium gratiae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant, et ut, ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas laeti persolvant.

Offero etiam tibi preces et hostias placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus, quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, scandalizavi, verbis, factis, scienter aut ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones.

Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et disceptationem, et quidquid potest caritatem laedere et fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere Domine misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus, et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui, et ad vitam proficiamus aeternam. Amen.

80. *Oratio ad B. V. M.* Commendo me tibi, serenissima vereque inclyta Virgo Maria, coeli terraeque Regina, quae in tuis sacratissimis visceribus eundem Dominum[1] et omnium Creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum, digne portasti; precor te Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eumdem Filium tuum intercedas, et quidquid quacumque ratione in summi hujus sacramenti celebratione deliqui, hujus negligentiae et indignitatis meae veniam mihi im-

petres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, sanctior Deoque gratior evasisti: utinam et ego tam divini sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum! Tu, concepto Filio tuo de Spiritu sancto, magnificas laudes decantasti, et in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti: fac meritis et precibus tuis, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione pie verser, tantoque Redemtori et hospiti me nunquam ingratum exhibeam, sed fidelem in omnibus servum ac ministrum. Amen.

81. *Oratio ad omnes sanctos.* Felices sancti, qui jam nostrae mortalitatis pelagus pertransistis, securi de vestra immarcessibili gloria: solliciti estote de mea multiplici miseria; date manus infirmo, coelestis patriae cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello. Ad me respicite, gens illustrissima et haereditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de coelo opem et consolationem. Circumdate me gaudentem et exultantem de vestra beatitudine, et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi: ut, vestris suffragiis adjutus, particeps fiam vestri gaudii et coronae. Amen.

82. *Conclusio.* Nunc dimittis, Domine Jesu, servum tuum in pace: tu vero ne elongeris a me, Deus meus; in auxilium meum respice, quoniam insurgent in me per diem variae cogitationes, vim mihi facient variae tentationes. Da ut pertranseam illaesus; da ut perfringam eas. Pugna fortiter pro me, et expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas. Impera ventis et tempestatibus: dic mari, quiesce, et aquiloni, ne flaveris, et erit tranquillitas magna. Benedic et sanctifica

me benedictione coelesti. Protege et conserva animam servi tui inter tot discrimina vitae corruptibilis, ac comitante gratia tua dirige per viam pacis ad patriam perpetuae claritatis. Amen.

Feria VI. ante missam.

83. *Postulatio gratiae.* Deus, qui pro redemtione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad caedem duci, atque conspectibus Annae, Caïphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari: tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam, in cujus memoriam et gratiarum actionem sacrificium offerre volo, libera me a peccatis meis, ut sancte et acceptabiliter altari tuo assistam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen [1].

84. *Contritio.* O dulcissime Deus, Creator ac Salvator meus, doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te Dominum ac Deum meum, te quem amare debeo super omnia, quia et super omnia bonus es, et plurima mihi bona tribuisti, et eheu! infelix et ingratus ego peccator non retribui nisi mala pro bonis.

---

[1] Haec oratio, paucis mutatis, habetur inter preces indulgentiis ditatas. V. p. 561.

Verum propitius esto peccatis meis, Domine: nunc enim firmiter statuo ac propono non amplius te offendere, omnesque peccandi occasiones fugere; ideoque nunc hoc sacramentum sumere cupio, ut in amore tui confirmer, et contra omnes peccandi occasiones muniar, ut tu in me, et ego in te maneam.!

85. *Actus virtutum.* O Sapientia infinita! O aeterna Veritas! Bonitas immensa, quae nec falli, nec fallere potes! credo in te, et credo tibi in omnibus, quae revelasti et per Ecclesiam mihi credenda proponis. Imprimis vero credo, te in sanctissimo hoc sacramento esse praesentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo quam ingenio meo omnibusque sensibus. Pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, o Bonitas infinita, teque per inexhaustam misericordiam tuam veniam, gratiam et gloriam mihi promissam daturum confido.

Amo et amabo te et omnia, quae tu amas, propter te, o Fons infinite omnis boni, quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore et gloria, tibi ab electis tuis et creaturis omnibus unquam reddita et in aeternum reddenda. Te tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero in omnem aeternitatem aut passus fuero, cedat ad tuam gloriam. Totus tuus sum, fac de me quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

86. *Directio intentionis.* Ad laudem et gloriam

sanctissimae Trinitatis, in memoriam Salvatoris nostri Jesu Christi vitae, passionis, mortis et resurrectionis, ac in operum et meritorum suorum omniumque sanctorum unione; ad laudem quoque et exaltationem beatissimae Virginis Mariae, coelestium Angelorum, sanctorum atque sanctarum, et signanter N. N. et aliorum sanctorum; offero etiam cum ipsorum beatorum spirituum laudibus, sanctorumque omnium precibus et meritis, nunc et semper hoc et omnia alia sacrificia, officia, orationes et bona opera totius mundi pro meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus, in auxilium et consolationem meam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habere intendo, conor et cupio; pro salute quoque meorum parentum et consanguineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus et temporalibus, ac illorum, quibus fui gravamen, scandalum et occasio peccandi; pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae, ac illius conservatione, augmento et exaltatione, christianorum principum unione, haeresum exstirpatione, summi Pontificis salute, et animarum in purgatorio existentium liberatione; pro conservatione et augmento omnium ordinum, pro conversione omnium infidelium, pro mihi commissis et commendatis; denique pro illis omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus scit et vult me debere orare et sacrificare: sic oro et obsecro, ac orare, obsecrare et sacrificare intendo atque propono juxta intentionem sanctae catholicae Ecclesiae, ego N. minister, licet indignus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

87. *Oratio ad Spiritum sanctum.* Spiritus gratiae et misericordiae, Spiritus sancte Deus! ecce accedo sanctum altare, locum terribilem et metuendum: sed quia

sine te non possum in ministrando gratus apparere, tu me, quaeso, virtute et operatione tua ad digne sacrificandum praepara. Illabere igitur in cor meum et me dignum effice. Veni, mundator scelerum, curator vulnerum, veni sanctissime Spiritus, et aufer a me, quidquid tibi, Patri et Filio in me displicet, et infunde charismatum tuorum pretiosissima dona, quibus adjutus et sancte celebrare valeam, et postmodum secundum voluntatem Jesu vivere.

88. *Ad B. V. M.* Gloriosissima Mater Dei, Virgo Maria, tota fiducia mea et unicum solatium languentis animae meae! precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui corpus et sanguinem aeterno Patri oblaturus sum, sicut amans ac dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti et se pro nostra salute offerenti adstitisti. Ne me despicias, Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem, neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit.

89. *Ad omnes sanctos.* Omnes sancti et sanctae Dei, qui beatifica jam visione aspicitis, honoratis et adoratis, quem nos hic interim non nisi sub speciebus et quasi in aenigmate videmus: orate pro me, ut per salutiferum hujus sacramenti usum vestro tandem dignus consortio inveniri merear.

Feria VI. post missam.

90. *Pii affectus.* O Jesu bone! quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum. Refice, Domine, esurientem animam meam, accende fri-

giditatem meam igne amoris tui, illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemtum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum, et ne permittas me vagari super terram. Penetret, quaeso, hujus sacramenti virtus omnia intima mea, et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet et eradicet. In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea; taedeat me gaudii, quod est sine te, amara sit mihi omnis quies, quae non est in te. Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant et, quidquid terrenum in me est, comburant et consumant, ut igne inextinguibili caritatis tuae ardeam, et vetus in me homo totus deficiat. Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te, et in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat!

91. *Actus amoris.* O Deus! ego amo te, nec amo te, ut salves me, aut quia non amantes te aeterno punis igne. Tu, tu mi Jesu, totum me amplexus es in cruce; tulisti clavos, lanceam, multamque ignominiam, innumeros dolores, sudores et angores ac mortem: et haec propter me ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, o Jesu amantissime? Non ut in coelo salves me, aut ne aeternum damnes me, nec praemii ullius spe: sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te, solum quia rex meus es, et solum quia Deus es. *Sanctus Franc. Xaver.*

92. *Gratiarum actio.* Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi; et precor, ut haec sancta communio non sit mihi

reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae ac libidinis exterminatio; caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. *S. Thom. Aquin.*

93. *Oblatio.* Protector meus aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. En Filius tuus ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit: en factus est unum mecum, et ego unum cum illo! Ipsum igitur tibi offero, Pater amantissime, ut thymiama suavissimi odoris, ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestati tuae; praesta, ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi.

94. *Reparatio injuriarum.* O Jesu patientissime, qui innumeris contumeliis in sacramento tuo afficeris: detestor et abominor ex toto corde meo omnes illas

tibi illatas a peccatoribus injurias. Obsecro te per ineffabilem sacratissimi tui cordis caritatem, ut pro illis sis apud omnipotentem Patrem tuum propitiatio. Accende in me, o Jesu, per corporis tui praesentiam zelum urentem, ut et commissa sacrilegia plangere, et committenda avertere satagam.

95. *Invocatio.* Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate: ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; et te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, de te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, salus mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, sapientia mea, portio mea, et possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter sit radicata mens mea et cor meum. Amen. *S. Bonav.*

96. *Deprecatio pro aliorum necessitatibus.* Domine Deus omnipotens, Pater Christi, tui benedicti Filii, exauditor eorum qui recte invocant te, cognitor precum etiam eorum, qui tacent: gratias agimus tibi, quod nos dignos censuisti, qui participaremus sancta tua mysteria, quae praebuisti nobis ad plenam eorum, quae bene cognovimus, persuasionem, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum; quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos. Qui segregasti nos ab impiorum communione, aduna cum iis qui tibi sunt consecrati, confirma nos in veritate per sancti Spiritus adventum, quae ignoramus revela, quae deficiunt supple, quae novimus corrobora. Sacerdotes inculpatos conserva in cultu tuo, reges tuere in pace, magistratus in justitia, aërem in temperie, fruges in ubertate, mundum in omnipotente providentia; gentes bellicosas seda, errantes converte; populum tuum sanctifica, virgines conserva, conjuges custodi in fide, castos robora, debiles firma, caecos illumina; nosque omnes congrega in regnum coelorum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor ac veneratio, et sancto Spiritui in saecula. Amen.

97. *Commendatio B. V. M.* Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, ego, licet indignus, qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia confisus, eligo te hodie coram Angelo meo custode et tota coelesti curia in meam matrem et peculiarem dominam, patronam et advocatam, firmiterque propono, me deinceps Filio tuo servire velle fideliter, et devotum tibi manere perenniter.

Obsecro te, Mater sacratissima, per amorem, quo Filius tuus, jam moriturus in cruce, semetipsum Patri suo, te vero discipulo suo, et hunc vicissim tibi com-

mendavit: ut me suscipias in curam et tutelam tuam, et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae, sed praecipue in hora mortis. Amen.

98. *Conclusio.* Mane in me, benignissime Jesu: esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut, foris et intus per te munitus, recto tramite ad regnum tuum perveniam. Amen.

Sabbato ante missam.

99. *Adoratio.* O Deus, trine in personis et unus in essentia; et tu Domine Jesu Christe, verus Deus et homo! ex toto corde te adoro, et confiteor te meum esse verum unicum Creatorem, Salvatorem et meum ultimum finem; et quia adoratio mea nimis exigua et debilis est, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continue tibi persolvit tua sanctissima humanitas, et tua gloriosissima Genitrix Virgo Maria totaque curia coelestis, ac sancta Ecclesia catholica, tua dilecta sponsa. *S. Franciscus Salesius.*

100. *Amor.* Insuper, o Domine, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus te amo, et super omnia amare desidero; et si possibile esset, te amare cuperem illo amore perfectissimo, quo teipsum amas, et quo tua sanctissima humanitas, et gloriosissima Virgo Maria cum tota coelesti curia, et sancta Ecclesia catholica te amant. *S. Franc. Sales.*

101. *Contritio.* Et cum, o Domine, sis infinite bonus, sapiens, potens, justus et misericors: ideo ex toto corde doleo, et super omnia detestor omnia mea peccata mortalia et venialia, quae unquam cogitatione, verbo et opere, a primo instanti, quo usum rationis habui, usque ad praesentem horam commisi. Et loco mei

imperfecti doloris tibi offero amaram illam contritionem, quam sanctus Propheta David, sanctus Petrus et sancta Maria Magdalena, imo omnes veri poenitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad praesens, cum voluntate absoluta te nunquam amplius, adjuvante tua divina gratia, offendendi. *S. Franc. Sales.*

102. *Satisfactio.* Et quia, o Domine, in mea non est potestate, ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata et offensas me plusquam obligatum profiteor: ideo in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, poenas et dolores, quos sustinui et adhuc sustenturus sum, cum meritis vitae, passionis et mortis tui unigeniti Filii, humillime petens veniam meorum delictorum et efficacem gratiam, ut de iis ante mortem veram poenitentiam agere possim. *S. Franc. Sales.*

103. *Oblatio.* Praeterea, o Domine, cum hocce meo sacrificio me tibi totum ad tuum honorem et aeternam gloriam offero et consecro in unione illius ardentissimi amoris et purissimae intentionis, quibus teipsum in ultima coena nobis in cibum tradidisti, et in ara crucis sacrificium cruentum pro nobis obtulisti: et loco meae exiguae praeparationis ac praesentis meae parvae devotionis tibi offero profundam illam humilitatem, caritatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima Mater et omnes tui fideles et famuli ad hoc ss. sacramentum accesserunt, et quibus ornati tui Apostoli, imo omnes sancti Sacerdotes hocce tremendum sacrificium tibi obtulerunt a prima tua institutione usque ad praesens, et quibus nunc adornata tua sancta Ecclesia catholica ubique locorum offert. *S. Franc. Sales.*

104. *Directio intentionis.* Pater coelestis, clementissime Pater misericordiarum! suscipe hodie per

manus servi tui hoc sacrosanctum sacrificium, verum corpus et sanguinem Filii tui D. N. J. C. in satisfactionem et remissionem omnium peccatorum meorum; in salutem et sanctificationem animae meae et omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor; omnium Ecclesiae tuae pastorum, ut eis gratiam Spiritus sancti impertiri digneris ad salutem animarum suarum et regimen totius populi christiani; omnium peccatorum hujus mundi, ut eos convertas et ducas in viam salutis; in consolationem omnium tribulatorum, ut eis adjutorium et veram poenitentiam tribuas; in refrigerium et liberationem omnium animarum existentium in purgatorio, et maxime illarum, quae auxilium a me jure exspectant; et ad illuminationem et conversionem omnium gentium infidelium, haereticorum et schismaticorum, ut cognoscant et ament te, summam Veritatem, Patrem omnipotentem, qui cum Filio et Spiritu sancto es laudabilis Deus et benedictus in saecula saeculorum. Amen.

105. *Ad D. N. J. C.* Accende, o Jesu, igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas extingue, ut nihil in mundo mihi placeat praeter te. In amore tui vivere cupio et mori exopto.

Vota tua, mi Jesu, haec sunt: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et expansis in cruce brachiis me exspectas. En venio, o Jesu! admitte me, obsecro, et concede, ut amoris tui complexu tibi semper conjunctus permaneam.

Praecipitur mihi, ne appaream in conspectu tuo vacuus: sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuae bonitatis dona, animae meae facultates, quas tibi in obsequium offero: memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim; nihil sciam extra te; nihil amem

praeter te, nec in ulla re mea, sed tua voluntas fiat. Amen.

106. *Ad B. V. M.* Castissima Virgo Maria! rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

Humillima Virgo! rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum et sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiae meae.

Amabilissima Virgo Maria! rogo te per singularem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

107. *Ad sanctos.* Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim ac Seraphim, omnes sancti et sanctae Dei, maxime vos N. N. quorum hodie memoriam agimus: succurrite mihi, quaeso, precibus vestris, ut ss. hoc sacrificium viva fide, ferventi caritate et plena devotione perficiam, perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Sabbato post missam.

108. *Adoratio.* Ave verum corpus, natum de Maria Virgine, vere passum, immolatum in cruce pro homine, cujus latus perforatum unda fluxit cum sanguine. Esto nobis praegustatum mortis in examine. O Jesu dulcis! O Jesu pie! O Jesu, Fili Mariae!

109. *Pii affectus.* Mirantur, bone Jesu, creaturae omnes, te in purissimum Mariae Matris tuae uterum descendisse, cum tamen integerrima illa et omni virtute

ac gratia refertissima fuerit. An non mirari magis debeo, quod volueris ad me divertere, a me recipi, a me teneri, paupere, nudo, misero, miserabili?

Tune Domine, Sanctus sanctorum, in me manere dignatus es, qui sum sordes peccatorum? Itane voluisti honorare me, qui tamdiu fui immundum vas, ut fierem templum tuum, tabernaculum tuum, et quasi theca sacrarum reliquiarum corporis et sanguinis tui, quae longe omnes sanctorum reliquias excedunt? Benedicant te omnes Angeli tui pro tanta in me dignatione! Efficе ergo, ut jam sciam et sciam semper vas meum possidere non in passione desiderii, sicut gentes, quae ignorant Deum, sed in sanctificatione et honore.

Da mihi, dulcissime Jesu, praesentiae tuae effectus persentire. Memini benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando in domum suam exceperunt. Maria Mater tua, ubi te in suum recepit uterum, omnibus gratiae donis repleta est. Zachaeo publicano, cujus usus es hospitio, salus a Deo facta est. Simul atque obita pro nobis morte in limbum descendisti, illum in paradisum quemdam commutasti. Domum Obededom et omnia ejus propter arcam testamenti large benedixisti. Benedic quoque domum cordis mei, in quam ingressus es; eam, quaeso, in paradisum converte et tuo sancto imple Spiritu.

Memini, piissime Jesu, sacris de te literis esse mandatum, quod omnis turba quaerebat te tangere, quia virtus de te exibat et sanabat omnes. Ecce ego te jam non tetigi tantum, sed in me quoque recepi: exeat, quaeso, a te virtus illa divina, quae sanet animam meam, curet omnem ejus languorem, et novas ei addat vires ad serviendum tibi omnibus diebus in sanctitate et justitia.

110. *Gratiarum actio.* O dulcedo cordis mei, et

vita animae meae, et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; signanter vero, quia hodie me dignum fecisti, verum et immaculatum corpus et sanguinem tuum pretiosissimum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam, et in remissionem omnium peccatorum, tam meorum quam illorum, pro quibus orare et offerre proposui, illoque in salutem et consolationem animae meae cibari et nutriri. Quapropter vere dicere audeo: cibus meus Christus, et ego ejus. Multiplico ergo, et quotiescumque respiro multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus, precorque beatissimam Virginem, Angelos, sanctos, sanctas et universas creaturas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo quia ista minime sufficiunt, te supplico, ut tibi ipsi gratias agere, te laudare et glorificare complaceas; et quia dignatus es istam indignam tuam tamen facere habitationem, dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Uni me tibi intime, et totum transforma ac transmuta in te. Salva me, Jesu Christe, et cunctam a me hostis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam passionem. Oro itidem, ut digneris gratias et indulgentias omnes, quas hoc sacrificio vel communione mediante acquirere et lucrari possum, concedere tam mihi quam aliis vivis et defunctis, quibus applicare proposui, quia te ipsum et pro ipsis exoro, pro quibus et tu vis et sanctissimus Pontifex intendit hac de causa me debere orare. Amen.

Pater Noster. Ave Maria.

111. *Oblatio et petitio.* Adoro te et gratias ago tibi, benignissime Domine Jesu Christe, qui me vilissimum

peccatorem admittere dignatus es ad splendidum vivificumque sacrae mensae convivium. Heu mihi, quia nimis indigne complevi hoc sanctum sacrificium! Miserere mei, ignosce mihi. Ego, quod egi, commendo divino cordi tuo emendandum et corrigendum. Suscipe, quaeso, haec sacrosancta corporis tui mysteria, quae tibi obtuli ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimae Genitricis tuae Virginis Mariae, ad honorem omnium sanctorum tuorum omniumque beatorum Angelorum, ad salutem meam et omnium fidelium, tam vivorum quam defunctorum. Suscipe hoc praecellentissimum sacramentum in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi.

Per illud sanctifica, o piissime Pater, Ecclesiam tuam, aufer ab ea omnia scandala et schismata, ut fiat unum ovile et unus pastor. Per illud effunde misericordiam tuam in gentes, quae te non noverunt, et illumina corda illarum, ut te cognoscant et ament. Per illud dissipa consilia impiorum, ne regno tuo officiant et propagationi gloriae tuae. Da summo Pontifici, praelatis et ordinibus ecclesiasticis divinum tuum amorem, ut suo officio rite fungantur; regibus, principibus cunctisque magistratibus sapientiam, qua justitiam fideliter administrent pacemque sequantur; ac populo tuo tuam benedictionem. Tribue agonizantibus veram contritionem tuumque amorem, inimicis meis tuam caritatem ac dulcedinem, amicis, benefactoribus et consanguineis tuam dilectionem; nosque et omnia nostra dirige, ut cultus tuus semper et ubique vigeat et perseveret. Animabus in purgatorio detentis, illis maxime, quae suffragiis nostris indigent, vel quibus sum obligatus, requiem sempiternam concede ac beatam tui fruitionem.

112. *Obsecratio pro peccatoribus.* Aeterne rerum omnium effector Deus! memento abs te animas peccatorum esse procreatas easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso Domine, ultra permittere, ut isti in iniquitatibus suis perseverantes Filium tuum omnium Salvatorem contemnant, sed precibus sanctorum tuorum et sanctissimae Ecclesiae, ejusdem Filii tui sponsae, placatus recordare misericordiae tuae, et oblitus inobedientiae et praevaricationis eorum efflce, ut et ipsi tandem ex toto corde convertantur ad eum, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

113. *Ad B. V. M.* O beata Maria! quis tibi digna valeat gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandae salutis aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus; accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum; et in te, beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicum-

que celebrant tuam sanctam commemorationem [1]. *S. Aug. Serm. 18. de sanctis.*

114. *Ad omnes sanctos.* O vos omnes sancti et electi Dei respicite in me, quia dignum objectum oculorum vestrorum nunc factus sum. Loquimini pro me bona summo Regi, qui me corpore et sanguine suavissime refecit, et offerte ei merita vestra in supplementum imperfectionis meae. Gratias agite ei pro me, et postulate, ut sacramentali sua praesentia non recedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

115. *Conclusio.* Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne et devote tibi cum omni puritate et in conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus: concede nobis tam digne flere mala, quae gessimus, ut in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius deservire valeamus. Amen.

---

[1] Indulg. 50 dierum, quoties oratio supra scripta: „O beata Virgo“ corde saltem contrito recitatur — si additur (nam supra non scripta est integra): „Assiste parata votis poscentium et reporta nobis optatum effectum. Sint tibi studia assidua, orare pro populo Dei, quae meruisti, benedicta, Rèdemtorem ferre mundi, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.“

V. Preces indulgentiis ditatae, ad missae celebrationem aliquo modo spectantes [1].

a. Preces ante missam recitandae.

1. Directio intentionis.

Ego volo celebrare missam et conficere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis; ad utilitatem meam totiusque curiae militantis; pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctae romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen [2].

2. Ad s. Joseph.

Antiph. O felicem virum, beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

---

[1] Preces istae desumtae sunt ex opere: Die Ablässe, ihr Wesen und ihr Gebrauch, erklärt v. P. A. Maurel P. d. G. J. Aus dem Französ. ꝛc. Paderborn. Schöningh. 1860; — et ex altero: Sammlung von Gebeten und frommen Werken, für welche die Päpste hl. Ablässe verliehen haben. 13te röm. Ausg. von Aloysius Prinzivalli, übersetzt von Michael Haringer. Regensb. Manz. 1859 — ubi accuratiora de indulgentiis annexis legi possunt.

[2] Indulg. 50 annorum. Maurel. p. 112. Prinz. p. 175.

V. Ora pro nobis, beate Joseph.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, praesta quaesumus, ut, sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare: ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem hodie digne sumamus, et in futurò saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per Chr. D. N. Amen [1].

b. Preces post missam recitandae.

3. Oratio coram imagine Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero et mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David Propheta de te, o bone Jesu: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. (Ps. 21, 17. 18.) [2]

[1] Indulg. unius anni. Maurel p. 131. Prinziv. p. 176.
[2] Indulg. plenaria lucranda ab iis, qui post confess. et commun. devote et corde saltem contrito hanc orationem coram qualicunque Crucifixi imagine recitaverint, et oraverint pro necessitatibus Ecclesiae. Maurel p. 111. Prinz. p. 145.

4. Oratio.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen [1].

5. Oratio S. Ignatii.

Anima Christi sanctifica me.
Corpus Christi salva me.
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris Christi lava me.
Passio Christi conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum sanctis tuis laudem te
in saecula saeculorum. Amen [2].

---

[1] Indulg. 3 annorum pro sacerdotibus, orationem hanc post missae celebr. recitantibus. Maur. p. 113. Prinz. p. 177.

[2] Indulg. 300 dierum pro fidelibus, quoties hanc orationem corde contrito recitaverint; ind. 7 annorum, si eam post s. communionem (sacerdotes post celebrationem) recitaverint; ind. plenaria, semel in mense lucranda ab iis, qui eam quotidie saltem semel recitare solent, si post confessionem et communionem Ecclesiam sive Oratorium publ. visitaverint et ad int. s. Pontificis oraverint. Maur. p. 113. Prinz. p. 178.

c. Preces, quae tum ante, tum post missae celebrationem recitari possunt.

6. Hymnus s. Thomae.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum
Etsi sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

V. Panem de coelo praestitisti eis.
R. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut

redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc. [1]

7. Oratio coram ss. Sacramento.

Respice, Domine, de sanctuario tuo (Deut. 26, 15.) et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus pontifex noster, sanctus puer tuus, Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce, vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine (Dan. 9, 19.); placare, Domine; attende et fac ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum; et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen [2].

8. Oratio ad ss. sacramentum et ss. cor Jesu.

Ecce, quousque processit caritas tua immensa, o mi Jesus amantissime! Carne tua et pretiosissimo tuo

[1] Ind. 300 dierum iis, qui hymnum „Pange etc.“ cum V. et orat.; 100 dierum iis, qui duas ultimas strophas („Tantum ergo“ et „Genitori“) cum V. et orat. corde devoto et contrito oraverint; indulg. plen. singulis annis feria 5 in coena D., in festo Corp. Chr. vel aliqua die infra octavam, et tandem alio die libere eligendo, iis, qui saltem decies in mense hymnum vel „Tantum ergo“ modo supradicto recitare solent, si post confess. et commun. Ecclesiam visitaverint et ad int. s. Sanctitatis oraverint. Maur. p. 116. Prinz p. 191.

[2] Indulg. plen. prima quaque feria 5 mensis, iis, qui hanc orationem coram ss. sacramento (sive exposito, s. in tabernaculo) genibus flexis recitaverint rite confessi et communicati, et oraverint pro s. Eccl. etc. —; ind. 7 annorum et 7. quadrag. sub iisdem conditionibus, quavis feria 5ta; ind. 100 dierum, si recitatur haec oratio quavis die. Prinz. p. 189.

sanguine divinam mihi praeparasti mensam, ut teipsum totum mihi donares. Quid te impulit ad tales summi amoris actus? Certe, nihil aliud, quam cor tuum amore maximo plenum. O cor adorandum mei Jesu! O fornax ardentissima divini amoris, suscipe animam meam in plagam tuam sacratissimam, ut in ista caritatis schola redamare discam hunc Deum, qui tam admirabilia amoris sui argumenta mihi exhibuit. Amen [1].

9. Deprecatio ad Jesum in ss. sacramento.

Adoro te ea profundissima veneratione, quam fides mihi suggerit, o Deus et Redemtor meus, Jesu Christe; et amo te, o vere Deus et vere homo, abscondite in sacrosancto altaris sacramento, ex toto corde, in compensationem omnium irreverentiarum, dehonestationum et sacrilegarum profanationum, quas adhuc forsitan infeliciter commiserim, et earum, quae commissae sunt, vel (quod absit) committi deinceps possent. Adoro te igitur, o mi Deus, non sicut tu dignus es adorari, nec sicut ego deberem, sed saltem, sicut possum; et id praestare optarem ea omni perfectione, cujus capaces sunt universae rationales creaturae. Et sic intendo te adorare nunc et semper, non solum pro illis catholicis, qui te non amant, sed etiam in compensationem et pro conversione omnium haereticorum, schismaticorum, atheorum, blasphemorum, impiis artibus deditorum, Mohamedanorum, Judaeorum et paganorum. O utinam, mi Jesu, semper ab omnibus agnoscaris, adoreris, ameris et dignis gratiarum actionibus colaris in sanctissimo et divinissimo sacramento! Ita fiat! [2].

[1] Indulg. 100 dier. semel quotidie lucranda. Prinz. p. 204.

[2] Indulg. 200 dierum. Prinz. p. 202.

10. Oratio in memoriam passionis Domini.

Deus, qui pro redemtione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavibus affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari: tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen [1].

(Adduntur 5 Pater, Ave et Gloria Patri.)

11. Oratio.

Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis

[1] Indulg. 300 dierum iis, qui semel in die; indulg. plen. iis, qui per mensem quotidie in memoriam passionis et mortis D. N. J. Ch. hanc orationem cum 5 P. N. Ave et Gloria recitaverint, uno ex tribus ultimis diebus mensis lucranda sub solitis conditionibus. Prinz. p. 144.

tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle; aërem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris caritatem largire; Urbem custodi, Pontificem nostrum N. conserva; omnes praelatos, principes cunctumque populum christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Chr. D. N. Amen [1].

12. Oblatio pretiosissimi sanguinis.

Aeterne Pater, offerimus tibi pretiosissimum Jesu sanguinem, quem tanto amore tantisque doloribus ex dexterae manus suae vulnere pro nobis effudit, et divinam Majestatem tuam rogamus per ejus merita et virtutem, ut sanctam tuam nobis largiàris benedictionem, qua contra inimicos nostros protegamur et ab omnibus malis fideliter liberemur, dicentes: Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, descendat super nos et maneat semper. Amen [2].

Pater. Ave. Gloria P. etc.

13. Septem pretiosissimi sanguinis oblationes.

1. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro dilatatione et exaltatione sanctae Ecclesiae,

[1] Indulg. 40 dierum quoties etc.; ind. 100 ann. et 100 quadrag. iis, qui omnibus sabbatis mensis recitaverint. Prinz. p. 55.

[2] Indulg. 100 dierum fidelibus, quoties hac oblatione pretios. sanguinem Patri obtulerint ad coelestem consequendam benedictionem, et P. Ave et Glor. P. addiderint in gratiarum actionem. Ind. plen. iis, qui per mensem quotidie illam oraverint, die libere eligendo sub solitis conditionibus. Prinz. p. 162.

carissimae matris meae, pro conservatione et incolumitati visibilis ejus capitis, sancti patris nostri Papae romani, pro Cardinalibus, Episcopis animarum, pastoribus et sanctuarii ministris.

Gloria Patri etc. Deinde:

Laudetur et benedicatur Jesus, qui suo nos redemit sanguine!

2. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro pace et unitate regum et principum catholicorum, pro humiliatione inimicorum sanctae fidei, et pro populi christiani salute.

Gloria P. etc. Laudetur etc.

3. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro illuminatione infidelium, pro exstirpatione haeresum et conversione peccatorum.

Gloria etc. Laudetur etc.

4. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro omnibus consanguineis, amicis et inimicis meis, pro omnibus miseris, aegrotis et tribulatis, et pro omnibus, pro quibus scis et vis me debere orare.

Gloria etc. Laudetur etc.

5. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro omnibus hodie in alteram vitam migraturis, ut eos ab inferni poenis eripias, et quam celerrime ad gloriae tuae possessionem admittas.

Gloria. Laudetur.

6. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris pro iis omnibus, qui tantum thesaurum agnos-

cunt et amant, pro omnibus, qui mecum sunt uniti in ejus adoratione et veneratione, pro omnibus denique, qui ejus cultum dilatare laborant.

Gloria. Laudetur.

7. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro omnibus spiritualibus et corporalibus necessitatibus meis, in juvamen sanctarum animarum purgatorii, earum imprimis, quae nostrae redemtionis pretium et sanctissimae dilectissimaeque nostrae matris Mariae dolores et cruciatus maxima devotione coluerunt.

Gloria. Laudetur.

Vivat sanctissimus Jesu sanguis nunc et per omnia saecula saeculorum. Amen [1].

14. Orationes et precationes.

O Pater, o Fili, o Spiritus sancte! O sanctissima Trinitas! O Jesus! O Maria! Benedicti Angeli et sancti coeli, impetrate mihi gratias, quas peto per pretiosissimum Jesu Christi sanguinem:

1. Ut semper faciam voluntatem Dei.
2. Ut semper Deo sim unitus.
3. Ut nil aliud cogitem, nisi de Deo.
4. Ut solum Deum amem.

---

[1] Indulg. 300 dierum fidelibus, qui hisce oblationibus aeterno Patri offerunt corde contrito pretiosum Filii sanguinem, addentes septem Gloria etc. cum aspiratione apposita, ea intentione, ut satisfaciant pro injuriis, qui Domino in sanguine suo, nostrae salutis et redemtionis pretio, irrogantur; — indulg. plen. iis, qui orationes suprascriptas per mensem quotidie recitaverint, die libere eligendo, quo confessi et communicati ad mentem s. Patris oraverint. Prinz. p. 156.

5. Ut omnia faciam propter Deum.
6. Ut solum Dei honorem quaeram.
7. Ut propter solum Deum me sanctificem.
8. Ut nihilum meum perfecte cognoscam.
9. Ut voluntatem Dei mei melius in dies cognoscam.
10. . . . . (Hic addi potest specialis precatio, quae libet.)

Sanctissima Virgo et Mater Dei, Maria, offer aeterno Patri pretiosissimum Jesu Christi sanguinem pro anima mea, pro sanctis purgatorii animabus, pro necessitatibus sanctae Ecclesiae, pro peccatorum conversione et universo mundo.

Addantur 3 Gloria P. in hon. pret. sanguinis Jesu Christi, unum Ave in hon. Matris dolorosae, et semel „Requiem aeternam dona eis Domine" etc. pro animabus purgat [1].

15. Laudes divini nominis.

(Recitandae in ejus honorem et in satisfactionem pro injuriis, quae ipsi per blasphemias et maledictiones irrogantur.)

Benedictus Deus! Benedictum sanctum ejus nomen! Benedictus Jesus Christus, verus Deus et verus homo! Benedictum nomen Jesu! Benedictus Jesus in ss. altaris sacramento! Benedicta magna et sanctissima Dei Mater Maria! Benedicta sancta et immaculata ejus conceptio! Benedictum nomen Mariae, Virginis et Matris! Benedictus Deus in suis Angelis et sanctis! [2]

---

[1] Indulg. 300 dierum iis, qui semel in die; ind. plen., qui per mensem quotidie devote et corde contrito oraverint preces suprascriptas, lucranda uno ex tribus ultimis mensis diebus, sub solitis conditionibus. Prinz. p. 53. Maurel p. 107.

[2] Indulg. unius anni, quoties istae laudes devote

16. Hymnus ad Spiritum sanctum.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.
Imple superna gratia,
Quae tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritualis unctio;

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura:

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula. Amen [1].

17. Sequentia ad Spiritum sanctum.

Venite sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.

---

recitantur; ind. plen. semel in mense iis, qui per mensem saltem semel quotidie eas recitaverint, sub solitis conditionibus. Prinz. p. 45. Maurel p. 106.

[1] Indulg. 100 dierum, quoties hymnus iste recitatur; ind. 300 dierum in die s. Pentecostes vel infra Octavam; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie semel vel saepius eum recitaverint, et intentionem fecerint orandi pro unitate principum christianorum etc. — die libere eligendo, sub solitis condit. Prinz. p. 58. Maurel p. 108.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium;

In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.
Amen [1].

18. Oratio ad b. Joseph.

Virginum custos et pater, sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa innocentia, Christus Jesus, et Virgo virginum, Maria, commissa fuit: te per hoc utrumque carissimum pignus, Jesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me, ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen [2].

d. Orationes breviores et preces jaculatoriae.

19. Trisagium

(ad adorandam ss. Trinitatem.)

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum;

---

[1] **Indulg. prorsus eaedem, quae hymno praecedenti annexae sunt. Prins. et Maurel ll. cc.**

[2] **Indulg. unius anni sacerdotibus saecularibus et re-**

plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto [1].

20. Actus renuntiationis in voluntatem divinam.

Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus [2].

21. Salutatio christiana.

Laudetur Jesus Christus! — In saecula. Amen [3].

22. Invocatio.

Jesus Maria [4].

23. Aspiratio b. Leonardi a Portu Mauritio.

Jesu mi! Misericordia! [5]

---

gularibus, quoties hanc orationem recitaverint. Prinz. p. 425. Maur. p. 131.

[1] Indulg. 100 dierum, semel in die, ter diebus dominicis et infra Octavam ss. Trinitatis lucranda; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie eam corde contrito recitaverint, sub solitis conditionibus, die libere eligendo. Prinz. p. 25. Maurel p. 100.

[2] Indulg. 100 dierum semel in die; iis qui quotidie hanc orationem recitaverint corde contrito, ind. plen. semel in anno, die libere eligendo, sub solitis conditionibus; et iis, q. frequenter per vitam recitaverint, ind. plen. in articulo mortis, si mortem in spiritu patientiae ex manibus Dei accipiant. Prinz. p. 486.

[3] Indulg. 100 dierum, quoties fideles se invicem ita salutant. Prinz. p. 62. Maurel p. 118.

[4] Indulg. 25 dierum quoties etc., ind. plen. in artic. mortis iis, qui saepe salutatione christ. vel hac invocatione uti solebant, si corde saltem (dum ore fieri non potest) ss. nomina invocant. Eaedem ind. praedicatoribus et omnibus concessae sunt, qui fideles incitant ad istam salutationem vel invocationem ll. cc.

[5] Ind. 100 dierum, quoties etc. Prz. p. 62. Maur. p. 117.

24. Aspiratio s. Hieronymi Aemiliani.

Dulcissime Jesu! ne sis mihi judex, sed Salvator [1].

25. In adorationem ss. sacramenti.

Laudetur et superexaltetur per omne momentum sanctissimum et divinissimum sacramentum [2].

26. Oblatio sui ad cor Jesu.

O mi amabilissime Jesu! Ego, NN., ut gratum me tibi exhibeam et infidelitates meas resarciam, cor meum tibi dono et me totum tibi dedico et consecro, atque te auxiliante propono non amplius peccare [3].

27. Oblatio pretiosissimi sanguinis.

Aeterne Pater! Offero tibi pretiosissimum Jesu Christi sanguinem in satisfactionem pro peccatis meis, et pro necessitatibus sanctae Ecclesiae [4].

28. Tres aspirationes.

Jesus, Maria, Joseph! Vobis dono cor meum et animam meam. Jesus, Maria, Joseph! Adsistite mihi

---

[1] Indulg. 50 dierum quoties — plen. die 20 Jul. vel infr. octav. sub solitis condit. Prinz. p. 89. Maur. p. 117.

[2] Indulg. 100 dierum semel quotidie; ind. 300 dierum singulis feriis quintis anni et singulis diebus octavae Corporis Chr., si ter dicitur; ind. plen. semel in mense, si quotidie dictum est — sub sol. condit. Maur. p 114. Prinz. p. 196.

[3] Indulg. 100 dierum, si recitatur corde contrito coram imagine sc. cordis Jesu, semel in die; ind. plen. iis, qui per mensem quotidie recitaverint — sub solit. condit. Prinz. p. 215. Maur. p. 116.

[4] Indulg. 100 dierum, quoties etc. Prinz. p. 161. Maur. p. 114.

in ultima agonia. Jesus, Maria, Joseph! Exspiret in pace vobiscum anima mea [1].

29. Oratio s. Bernardi.

Memorare, o piissima virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam, ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te, Virgo virginum Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen [2].

30. Oratio et invocatio.

O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

O Domina mea! O Mater mea! Memento me esse tuum! Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam! [3]

---

[1] Indulg. 300 dierum, quoties devote et corde saltem contrito etc. Prinz. p. 89. Maur. p. 119.

[2] Indulg. 300 dierum, quoties corde contrito; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie semel saltem hanc orat recitaverint — sub sol. condit. Prinz. p 302. Maur. p. 128.

[3] Indulg. 100 dierum semel quotidie iis, q. hanc orat. et invocat. corde saltem contrito mane et vespere, praemisso Ave Maria, recitant, ut in intentationibus, praecipue adversus castitatem, opitulante Deipara victoriam consequantur; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie recitaverint; indulg. 40 dierum, qui in tentatione invocatione breviore „o Domina“ etc. utuntur. Prinz. p. 304. Maur. p. 129.

31. Salve Regina etc. et Sub tuum etc.

(Mane.) Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra salve! Ad te clamamus, exules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

V. Benedictus Deus in sanctis suis.

R. Amen.

(Vespere.) Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

V. Dignare etc. (ut supra) [1].

32. Orationes jaculatoriae ad immac. conceptionem.

Benedicta sit sancta et immaculata conceptio beatissimae Virginis Mariae. vel:

---

[1] Indulg. 100 dierum, semel in die iis, qui, ad reparandas injurias, Dei Matri et sanctis irrogatas, et defendendam et promovendam venerationem imaginum eorum, mane recitant „Salve“ et vespere „Sub tuum“ cum VV. et RR.; — ind. 7 annorum et 7 quadrag. singulis dominicis; ind. plen. bis in mense, duobus sc. diebus dominicis, sub solit. condit.; item in omnibus festis B. V. et in festo omnium SS.; ind pleń. in articulo mortis iis, qui per vitam has orationes recitare solebant, et tunc confitentur et communicant, vel saltem cor habent vere contritum. Maur. p. 125. Prinz. p. 250. (ubi per errorem habetur: 300 dierum.)

In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti: ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti [1].

33. Aspiratio ad s. cor Mariae.

Dulce cor Mariae, esto salvatio mea! [2]

34. Oratio ad Matrem dolorosam.

Ave Maria, doloribus plena, Crucifixus tecum: lacrymabilis tu in mulieribus, et lacrymabilis fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Crucifixi: lacrymas impertire nobis, crucifixoribus Filii tui, nunc et in hora mortis nostrae. Amen [3].

35. Aspiratio ad Matrem dolorosam.

Orantur 7 Ave Maria, et singulis additur v. sequens.

Sancta Mater, istud agas:
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide! [4]

36. Ad s. Angelum custodem.

Angele Dei, qui custos es mei: me, tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen [5].

---

[1] Indulg. 100 dierum, quoties alterutra oratio recitatur. Prinz. p. 253. Maur. p. 129.

[2] Indulg. 300 dierum quoties etc. corde devoto et contrito, plen. semel in mense iis, q. quotidie etc. sub sol cond. Prinz. p. 279. Maur. p. 126.

[3] Indulg. 100 dierum quoties corde contrito etc. Prinz. p. 336.

[4] Indulg. 300 dierum semel in die iis, q. contrito corde recitant etc.; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie per mensem recitaverint, sub sol. cond. Prinz. p. 332.

[5] Indulg. 100 dierum quoties corde devoto et sal-

37. Pro morientibus.

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam cordis tui sanctissimi, et per dolores Matris tuae immaculatae: lava in sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros.

Cor Jesu, in agonia factum, miserere morientium [1].

38. Pro animabus purgatorii.

Oratur quinquies, contemplando passionem Domini, Pater, Ave et Vers. seq.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

vel:

Aeterne Pater, oramus te pro animabus famulorum tuorum, quos sanguine Jesu redemisti.

Requiem aeternam etc. [2]

---

tem contrito etc.; ind. plen. semel in mense iis, qui per mensem quotidie semel saltem recitaverint, si confessi et communicati Ecclesiam vel Oratorium publicum visitaverint et ad intent. s. Sanctitatis oraverint; ind. plen. in festo ss. Angel. custod. (2. Oct.) iis, qui per annum quotidie mane et vespere orationem recitaverint, si confessi et communicati oraverint ut supra; ind. plen. in artic. mortis iis, qui frequenter per vitam hanc orationem recitaverint. Prinz. p. 395. Maur. p. 132.

[1] Indulg. 100 dierum, quoties corde devoto et contrito etc.; ind. plen. semel in mense iis, qui per mensem saltem ter quotidie hanc orationem recitaverint — sub sol. condit.

[2] Indulg. 300 dierum iis, qui corde devoto et contrito orat. suprascriptam recitant; indulg. plen. semel in mense iis, qui quotidie per mensem eam recitaverint, si confessi et communicati orant pro s. Ecclesia et aeterna quiete defunctorum. Prinz. p. 494.

Additamentum.

Oratio ante confessiones excipiendas.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni coelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit, nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, meipsum non perdam. Amen [1].

Oratio post exceptas confessiones.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi! Suscipe hoc obsequii mei ministerium in amore illo superdignissimo, quo beatam Mariam Magdalenam omnesque ad te confugientes peccatores suscepisti et absolvisti. Et quidquid in sacramenti hujus administratione negligenter minusque

---

[1] Indulg. 100 dierum . . , semel in die. Prinz. p. 57. Maur. p. 121.

NB. Omnes indulgentiae hic notatae applicari possunt animabus purgatorii.

digne perfeci, tu per te supplere et satisfacere digneris. Omnes et singulos, quorum confessiones sacramentales modo excepi, commendo dulcissimo cordi tuo, rogans, ut eosdem custodias, a relapsu praeserves, ad meliora accendas, atque post hujus vitae miseriam tecum ad gaudia perducas aeterna. Amen.